IN PRIMVM DVODECIM PROphetarum, nempe OSEAM, Francisci Lamberti Auenionensis Commentarij.

Eiusdem libellus de Arbitrio hominis uere captiuo, sub quartum caput.

Argentorati apud Iohan. Heruagium.

Cum gratia & priuilegio Cæsareo.

Anno M. D. XXV.

CLEMENTISS. ET EIDEM INLUSTRISS.

Principi & Domino, Domino Friderico, Dei gratia Saxonum Duci, sacri imperij Electori, Archimar. Lantgrauio Duringiæ, Marchioni Misniæ, Domino & Patrono suo colendiß. Franc. Lamb. Auenionen. Gratia, & pax, ac gaudium uerum, à Deo patre nostro, per IESVM Christum Seruatorem nostrum.



RIMVM quidem, Inlustriss. Princeps, gratias agimus Deo, & Patri Domini nostri IESV Christi, q. mysteriũ ueritatis suæ, sub stercorib. inuentorum carnis, & traditionum hominum, æquißimo iudicio suo, multis sæculis absconditum, his diebus

bus felicißimis, denuo reuelare dignatus est. Elegit quoq; ad id primum, terras, & dies Principatus Clementiæ tuæ, ut sub te Duce pijßimo, haud secus atque sub fidelißimo Zorobabel, restauraretur Hierusalem ciuitas Dei, id est, Ecclesia sacrosancta, ad id maxime eligens tuam felicissimam Vuittembergam, & constituens Principem operum, Apostolum suum MARTINVM LVTHERVM, qui quantumlibet insanierint aduersus eum, illumque præpedire uoluerint Sanaballat, Thobias, Amanites, Arabes, et Azotij, ac qui cum eis erant Nee. 4. hoc est, Antichristus, cum omni sua fornicaria Babylone, nō ceßauit proinde ab opere, quin potius perpetua Dei sermonum instantia, omnes filios Israël, id est, electos, qui sunt ueri Israëlitæ, per uniuersum orbē dispersos, ad præscriptam spiritualis Hierosolymæ restaurationē animauit, ita, ut omnia Sannaballitarum, eorum scilicet, qui ad filij perditi factionē spectant, studia, corruere cœperit, ac magis magisq; in dies corruant. Operarios aūt fidelißimos per orbem multiplicauit, qui sic rei instant, ut una manu opus faciāt, uerbo & scriptis docentes populos, altera uero Dei eloquiorum gladium teneant, eo se potenter à ueritatis hostibus protegentes. Per te aūt maxime seruauit Deus, ne per tyrannidem ipsa ueritas supprimeretur. Igitur sacra eiusdē Hierosolymæ structura, in terris imperij tui feliciter ꝓgrediente, ad eas cōfugiunt, è toto Christiano orbe cōplurimi, & bene habent. Veniunt enim paßim Vuittembergam, Comites, Equites, Nobiles, et alij etiam è Gallia nostra, ut

te inclytum Ducem uideant, ac præfectũ operum MAR· Lutherum· Hoc stimulo actus ego peccator, è nostra Auenione, quæ ultra Allobroges, in ripa fluminis Rhodani sita est, cõfidenter iter adgressus sum, & ueni in dictã uere felicem Vuittembergã, in qua ad publica Dei scripta enarrandi ꝓuinciã admißus fui, & in ea Deus tuã altitudinem mihi uere patrẽ fecit· Taceo sigillatim, quæ ab ea adcepi, enumerare, ne adulari potius uidear, quàm eius in nos charitatem profiteri· Noui quàm pectus Christianum non sustineat adsentationem· Paucis hæc dixiße sufficiat, q̃ paterne semper iuuisti, & fouisti nos· Propterea moleste forsan tulisti, quòd ante fermè annum, abierim à terris imperij tui, contra omnium amicorũ, etiam prædicti Martini, atq; Philippi Melanchthonis consilium, & nõ expectato beneplacito illustriß· D· tuæ, quæ tum erat Nurembergæ, aut in uia ab ea· Sed quisquis propterea aduersum me iratus fuit, sic obsecro irascatur, ut non peccet· Vere enim uocauit me deus, & præcepit, ut exirem è Vuittemberga, uenirémq; ad Metenses, & in euentũ, quo non me sustinerent illic docentẽ Christum, uenirẽ Argentoratum, aut in aliã è ciuitatibus Germaniæ, terris Galliæ uiciniorib9, ut ipsis fratribus per Gallias ꝓximior, adeóq; utilior fierem, donec aliò uocarer. Instabat iußio Dei, ꝓinde mox abire coactus fui· Alioqui nulla erat requies obsistẽti· Nullus fuit contẽptus, nulláue ingratitudo, erga celsitudinem tuã· Qui enim fieri potuißet, ut nõ agnoscerẽ tanti Principis dignationẽ? Absit· Ego siquidẽ, & mei, tui erimus semꝑ,

ubi ubi

ubi ubi fuerimus, parati ad omnẽ iußionem tuam in Domino. Abiens denique è Vuittẽberga, ueni ad Metẽses, ubi magno gaudio ciuibus mei aduentus causa exultantib. insaniebãt aduersum me præscripti Sannaballitæ & Azotij, sitientes sanguinẽ meum. Cõuenerunt enĩ è Pharisæis nõ pauci aduersum me, in consistoriũ urbis. Dominus aũt me liberũ fecit à manibus eorum. Quid ultrà? Tã aduersum me insanierũt, ut uel coactus ueneri Argentoratũ. Erat tum Metis S. Dei Propheta, Ioannes Castellanus, uere Christianus. Is tã cõstanter anno supiore illis Christũ annũciauerat, ut ad eius cõciones pperarent ferè populi, spretis Antichristi Prophetis. Quorũ fex in eadem ciuitate tã multa est, ut eosdẽ plusq̃ nongentos esse ferãt. Hunc S. Ioannem semper quærebant ad mortẽ, eò q, dei sermonib. palàm faceret abominationes eorũ. Verũ nihil poterãt nocere illi, donec in urbe erat. Præ cunctis aũt insaniebant Antonianorũ Viẽnensium in Gallia Abbas, primus à cõsilijs inlustriss. Prin. & D. D. Antonio Lothoringiæ Duci, et Bonauẽtura Rennel Minorita, q est eidẽ Principi à confess. & alij nõ pauci, maxime è Pharisæis, qui Opt. Principib. nunq̃ nõ imponunt. Nã ut alios prætercam, dictus Lotho. Dux, tantæ est benignitatis & mãsuetudinis, ut nemo facile reperiat similẽ. Sed impostores isti, crudeles & sanguinarij sunt, suadentq; illi, ueritatẽ hæresim eße, et econtrà, agũt, q; ut ille uniuersos damnet in mortẽ, qui ueritati, quã denuo per Angelũ suũ Mart. Luth. Deus reuelauit, adquieuerint. Nam eorũ consilio, edictum tã crudele emisit, ut

non putē Diocletianū aut Neronem, olim tā immania aliquando emisisse, quo edicto omnes, qui Dei ueritatē susceperūt, ꝑ hæreticis habent. O uere rē miserā et deplorandā, ꝙ tantū poßunt hi Antichristi prophetæ, ut etiā religiosas nobiliß. Principū mentes à Christo, sub pietatis specie faciant alienas. Igitur ipsis crudeliß. Pharisæis nō ferētib. sanctitatē ac cōciones Christianiß. dicti Prophetæ Metensis, nōnulli excogitato consilio, arte egerūt, ut ab urbe egrederetur, quem egreßū, mox ꝑditores execrabiles captiuū fecerunt. Tū gauisa est tota cohors & hæresis Antichristi. En, inquiunt, in carcerem est cōiectus seductor ille. Sic lætantur bestiæ istæ, cum male fecerint, & exultant in rebus peßimis. Contra uehementißime desolabatur omnis credētium populus, ingemiscēs ꝑ ablato ab eis uigilantiss. Pastore, Propheta, & Episcopo suo. Solicitante quoq; Domino corda eorū, surrexit ex eis multitudo ingens, quam uix tādem urbis præsides compescere ualuerunt, ut non irruerent in locum, ubi captiuus erat homo Dei, ut saluus rediret ad eos, cælestisq; tritici mensuram, illis, ut ante, partiretur. Spoponderūt hostes, ꝙ illū saluum redderēt, si innoxius erat, quo mendacio populi zelum deluserunt.

Fuit ergo in carceribus, mensibus fermè nouē, semper firmus & constans, & intrepide confitēs Christū Dei, ac ueritatē eius. Veniebant ad eum filij purpuratæ, & electorum sanguine ebriæ meretricis Babylonis, fornicationum matris, grandia comminātes, suadentes, ut à Domino apostataret, adoraretq; bestiam coccineam, plenam nominib.

blasphemiæ

blaſphemiæ Antichriſtum, quo ſaluus uiueret· Sed ille non ſinebat ſe perſuaderi· Cadebant à latere tuo mille, & decem millia à dextris eius· Pſal· 90 · Petebat, ut ſicut in rebus fidei par eſt, aliud docerent ex uerbo Dei, quàm ipſe docuiſſet· Illi aũt ſicut aſpides ſurdæ obturabant aures ſuas, & nolebant exaudire uocem, eos prudenter incantare, hoc eſt, Dei uerbo docere uolentis· Toties fruſtrà tentarunt auertere à Domino cor eius · Congrediebantur cum illo uiliſſimæ & ſtupidiſſimæ talpæ, qui nec digni quidem erant, ut corrigiam calciamentorum eius ſoluerent· Qui dum ſe turpiter ꝓſterni cõſpicerẽt, zelũ clamorib· ſimulabant, & quaſi urſa raptis catulis, excandeſcebãt, & frendebant dentibus in cũ· Non uiderãt cæci, ꝙ ſpiritus Dei loquebatur in eo, & dabat illi os & ſapientiã, cui reſiſtere impoſſibile erat· Hanc aũt potentiã ſpiritus dei, blaſphemi illi dementationi tribuebãt· En, dicũt, mentiũ euerſorem, Incantat omnes cum eo congredientes, ut nemo ipſum uincere præualeat· Fugite populi eiusmodi incantatores, nam deludũt ſenſibus hominũ, ut quiſquis illos audierit, mox ſeducatur· Eiusmodi ueritatis blaſphemijs, auertũt ab ea Lothoringorũ gentẽ, alioqui zelũ habentem, tametſi non ſecundũ ſcientiam Dei· Quomodo enĩ illam habere poſſũt, quã non audierunt? Quomodo aũt audient, ſine prædicante? Nam eorũ Prophetæ, nõ prophetant niſi in Baal, et mẽdacijs hominũ· Profectò ſi ueritatẽ haberent, qui nobis cõtradicũt, nõ poſſemus ſubſiſtere corã illis· Vbi aũt uident, ꝙ ad dei ſermonẽ corruunt, ipſum ſermonem, dementatio

nē dicunt. Veh blasphemis istis, filiјs diaboli, qui ut gloriā propriam constituant, dei aūt gloriā euacuent, ueritatem eius blasphemare nō expauescunt. Igitur, cū non starent ante faciē uiri Dei, & uincerētur à sapientia ac spiritu in eo loquēte, cogitarūt ut extinguerēt eū, putantes, q̃ uel sic p uictorib. haberentur. Sed nō obseruabāt miseri, q̃ nulla arte, nullóue ingenio, posſit magis ueritas confirmari, eorū aūt malignitas, nota fieri, quàm sanguine testiū ueritatis, q̃ etiā omnigenis tormentis parati sunt, p eius confeſsione animas suas ponere. Nōne cum primū, exorto Sole iustitiæ, inluxit pariter Dei ueritas, et Sol ipse desyderabilis, morte occubuit, et post eū Apostoli, sanctiq; innumeri, ut ipsam ueritatē eſse, quod erat, pprio sanguine testarētur? Porrò, sicut tum factū est, ita & nunc fieri oportet, donec impleātur dies sæuiſs. psecutionis ac tribulatiōis Antichristi, illoq; expulso, ac sua Babylonia euersa, fiat Regnū huius mūdi, Dei, & Domini nostri IESV Christi. Putarūt ergo stulte cæci homicidæ, sanctū Dei tū uincere, cum occiderent. Putarūt itidē, morte illius cæteros à ueritate absterrere, cum per id uel multo maxime in ea firmētur, fiantq; semp ardētiores ad sanguinis adspectū, quasi strēnuiſs. Elephātes, dū illis ostēditur sanguis uuæ et mori. 1. Ezræ. 6. Venit aūt dies. 12. mēsis Ianu. Anni. 2. supra millesimū & quingentesimū, quo Deus Opt. Max. sanctū suum, preciosiſs. Martyrij corona uoluit insignire. Et congregati sunt ad oppidū Lotboringiæ, Vui nomine, ex omni ferè Lothoringia, et Principatu Metensi, Abbates, hoc est, sectarum

Patres

Patres, multi, in q̄bus Primatū tenebat Antonianus ille, illisq; adiunctus est inquisitor execrabilis, hæresum miserrimus defensor, & cælestis ueritatis impugnator, & quicunq; ad filij p̄diti factionē spectare uidebātur, et, sicut nō raro in suis cōuenticulis prædefinierāt, uirum gloriosiß. è carcere eduxerunt, ut nolentē mox canere palinodiā, perimerēt, cōijcerentq; in præparatū ignem, cōuocaruntq; in eū locum populos multos, p̄mittentes omnib. qui fideliß. atque inuictiß. Christi testis martyrio intereßēt, rem illā nocentiß. diaboli inuentū, Antichristi mercationē, nempe indulgentias fallaciss. pro quibus certiß. maledictionē Deus magis ingeminat. Nimirū Antichristorū benedictionib. maledicit, & maledictionib. benedicit. Hinc Psal. 108. Maledicent illi, et tu benedices. Et alibi dicitur: Maledicam benedictionib. uestris. Quis nō deploraret cæcitatē, simul atque sæuitiam harū bestiarum? Tā enim cupiūt exterminari ueritatē, et effundi innoxiū sanguinem professorum eius, q̄ in eius effusione gloriātur, & Sanctorū interfectionē, rem Deo adcceptiss. eße, ĩpudenter adserunt, ad eamq; sicut ad epulas, populos Dei inuitāt, cius gratiam, quæ ab eo solo est, & remißionē peccatorū, quæ nō nisi puriss. in Christū fide tribuitur, incendiū cōspicientib. p̄mittunt. O Vulpes, ò Lupos, ò feras peßimas. Tales sunt Antichristi Prophetæ, Abbates, Sacrifici, & pharisæi. Hi sunt in toto orbe Christiano, mortiferæ omniū Principū, et Magistratuum, ac plebecularū decipulæ, uentres pigri, uniuersa uorantes, Ecclesia Satanæ, hostes Dei, & Christi sanguinis,

 fidelium

fidelium incendiarij, uermes fetentißimi, ac uenenata reptilia terræ.

Adsistente ergo populo, multa dicebant in eum, ad isthæc obmutescentem, & non aperientem os suum. Adhortabantur uiri mēdaces, ut recantaret, quæ dixerat, sanctißima, ueriß. certiß. Volebant ut Christum pro Antichristo, ueritatemq́; pro mendacio abnegaret. At seruus Dei stetit immobilis, nihil territus imminente incendio, degradationem, ut uocant, iucundißime ferens. Sciebat enim nihil eße, quod per Antichristi unctionem adceperat. Propterea illud perdere non expauit. Damnatus autem à perditis illis, mox pedibus iuit quasi ad epulas, ad incendij locum. Quò ubi peruenit, complicauit genua ad orationem. Qua finita, surrexit, & se obtulit uinciendum lictoribus, ad ligna præparata, moxq́; incendio, hac uere insigni uictoria, fuit in Christi martyrem cōsecratus. Sic triumphauit de ueritatis hostibus, inuictiss. & strēnuiß. Christi miles, bonū certamē certauit, cursum cōsummauit, fidem seruauit. Nunc uere beatus & felix quiescit in Domino, iustitiæ coronam repositam habens. Aliquid de Sancti huius Triumpho, egimus in nostra rerum Theologicarum farragine, paradoxo. 109. & in totius eiusdem operis conclusione. Nunc id paulo copiosius tractare uolui, ut simul cum sequenti Propheta, uictoria noui, & eiusdem fidelißimi Prophetæ, sub nomine tuæ altitudinis, toti credentium orbi nota fiat. Noui illum ex intimis. Fuit etenim mihi perinde atque Ionathas Dauidi.

Mors Iohānis Castellani.

Quinquagenarius

Quinquagenarius circiter erat, insigniter eruditus, pro fessione Theologus, maturus, constans, intrepidusq; ueri tatis confessor, præsentia & adspectu uenerabilis, cuius sermo sicut facula ardebat. Populus aũt Metensis, audi= ens Prophetam suum defunctũ, supra quã dici possit, mœ rore adfectus est. Excitauitq; dominus aliquot ex eis mi= lia, & irruerunt, in præscriptorũ incendiariorũ, ac Pha risæorum ædes, & liberarunt è carceribus seruũ Dei Io= hannem Vedastum ex insula Flandriæ, quem dicti homici dæ ad incendiũ mox, ut fertur, rapere uolebant. Is nũc est inmeis ædibus, gallica ædens, in gloriam, & cõfusionem regni perditionis. Suscipe nunc ò Clementiß. Princeps, sancti & noui martyris ac testis Christi historiam, quàm nomini tuo dicauimus, simul etiam ueritatis scripta quæ ille professus est, nempe, Osee Prophetam, subiectis in eum commentarijs nostris, & ad finem capitis quarti ad pendente libello, de Arbitrio hominis uere captiuo, cõtra impios liberi arbitrij adsertores. Is Osee liber, prior est ex omnibus quos apud tuã feliciss. Vuittenbergam enar rauimus. Proinde inlustriss. D. tuæ illũ dicare uolui, ne me extra Saxones habitantem, tuæ clementiæ putes obli= tum. Suscipiat ergo tua altitudo, sui erga eam cliẽtuli offi cium, & oret dominum, ut quod cœpit in nobis ipse per= ficiat. Gratia domini nostri IESV Christi, & pax, & cõmunicatio sancti spiritus, sint semper cum D. T. Chri stianiß. ac omnibus aulicis suis, & uniuerso populo eius. AMEN.

Commen=

COMMENTARIORVM FRANcisci Lamberti Auenionen. in librum duodecim Prophetarum

PRAEFATIO.

LIBER duodecim Prophetarum, etsi distinctus sit in specialia, cuiusuis illorũ uaticinia, unus tamẽ est, corpore modicus, sed altissimis sensibus plenus, ut si quis Dei munere, ad mysteriorum illius intelligentiam, uel in parte peruenerit, in diuinis literis, nõ parũ profecisse censendus sit. Quandoquidem illi facile aliorum sensa patebunt, qui diuina illustratione, in hoc fuerit exercitatus. Tantus profecto est, ut nullus fere sit, qui in eorum enarratione, nõ fuerit quandoq; hallucinatus.

Oseas enim, totus comaticus est, ut plura fere mysteria habeat, quàm uersus.

Iohel, sub tropis conuenientissimis, aduersus impiorũ synagogam, & de Ecclesia Christi, ac utroq; illius aduentu, paucis multa agit.

Amos pastorem armentarium, quis unquam satis edisseruit? Quis in eo non admiretur, potẽtiam & opus spiritussancti?

Abdias Ecclesiæ malignantiũ euersionem, & sanctæ gloriam, simulq; salutem per Christum, prædixit. Quis illo breuius, simul atq; apertius sub typo Edom & Israel, ac Regno dei futuro, id fecit?

Ionæ historia mirifica est, ubiq; nos summam Excelsi bonitatē erudiens. In ea, multa Dei consilia palam fiūt.

Micheas plenus ardore & zelo, miram ubiq; spiritus uehementiam se habuisse indicat. Et quis in cæteris, uiuacior, et efficacior illo? Christi et Ecclesiæ mysteria abūde tractat, et aduersum contēptores dei, quasi facula ardet.

Naum, aduersum Niniuitas diuinæ misericordiæ contemptores, prophetans, quàm nihil sit omnis terrena altitudo, manifestum facit.

Fida Abacuch cū Deo locutio, & Dei ad eum necessaria responsio, magnā Ecclesiæ sanctæ fiduciam in deum, & quàm misericorditer illi adquiescat & condescendat Altißimus, apertissime indicant. Is demum laude insigni, dei magnalia, & domini IESV Christi, gloriam sublimi spiritu cecinit.

Sophonias aduersus Hierosolymam, Babylonem, Moab, Amelech, & alias gentes prophetat, multa quæ ad Christum & fideles attinent, oportune permiscens.

Aggeus templi reædificandi tempus aduenisse adseruit, & apertissime Christū post modicū uenturū prædixit.

Zachariæ liber multas uisiones continet, tametsi nonnulla absq; uisionum obscuritate habet. Magnus omnino est, & cælesti doctrina copiosissimus, ut omnis mortalium laus, sit illo inferior.

Malachias concludens, tractat de abiectione Israël carnalis, de oblatione etiam electorum ex gentibus, munda, impolluta, & Deo acceptißima, de Heliæ aduentu, &

tu & Angelo testamenti in templum uenturo, ac iudicio efficacissimo spiritussancti· Is miro compendio, multa ualde perstringit·

In his libris, satis atq; abunde reperies, quidquid spectat ad Christianismum· Et si in te fuerit lumen Christi, quo solo stultæ & impiæ carnis, siue hominum sapientiæ, tenebræ propelluntur, omnia sancta, utilia, impolluta, cælestia, ac suauißima, simul & efficacissima eße, probabis· Ad quorum studium, cum adcedere uolueris, obliuiscere prudentiæ tuæ, & postula à Deo, sensum spiritus sui, quod hæc diuina, humano sensu haudquaquam percipi ualeant· Non enim uoluntate humana, adlata est aliquando prophetia, sed spiritu sancto inspirati, sancti dei locuti sunt· 2· Pet· 1· Proinde sicut non est adlata, humano sensu, ita etiam per eum enarrari, non potest· Nimirum eodem sensu, illā interpretari necesse est, quo & reuelata fuit, nempe, spiritussancti·

Sed quid est prophetia? Veritatis à deo reuelatæ annunciatio, ad eius imperium facta· Clarius· Prophetia, est ueritatis, ad dei mandatum prædicatio· Idcirco ille solus uerus Propheta est, qui deo mittente illius mysteria pandit, siue iam facta referans, qualis fuit Moses Genesim scribens, quales & sancti Euangelistæ, qui historiam optimi Seruatoris conscripserunt, siue futura prænuncians, quales Prophetæ isti duodecim, siue eloquiorum dei salutari ministerio uacans, quales sunt omnes qui syncere Euangelizant· Quod autem etiam hoc postremum,

sit,

ſit uere Prophetare, ex Paulo. 1. Corin. 14. clarum eſt cernere.

Porro ad uerum prophetandi actum, duo requiruntur, primum intelligentia ſermonis, ſecundum interpretatio eius. Quandoquidem plures ueritatem intelligunt, quam cæteris enarrare non poſſunt, aut ſi poſſunt, non faciunt. Et hi Prophetæ haudquaquam ſunt. Alij etiam loquuntur, aut ſcribunt, quæ minime capiunt nec ualent interpretari, ſicut indubie quandoq; nonnulli Prophetarũ. Qui tum non prophetabant, quamuis aliunde Prophetæ eſſent. Nimirum abdita ſua ſenſim reſerat Deus, etiã his quos elegit Prophetis. Sic Heliſæo palam fecerat deus, quod Sunamitis mulier, amaro eßet animo, caußam autem ſpecialiter non indicauerat. 4. Reg. 4. Sic neq; Daniel, neq; forſan Ezechiel, & alij Prophetæ, intellexerunt ueritatem omnium uiſionum, quas adſcripſerunt, ſaltem quo ad omnes partes earum.

Hoc eſt autem dei Prophetæ munus, ut miſſus à Domino, ſolum & purißimum Dei ſermonem annunciet, uitetq; omni ſtudio, uniuerſa inuentorum hominum uenena, ſciens quod abominatio domino ſint. Nam quidquid non eſt uerbum dei, aut ſecundum illud, coram illo abominatio eſt. Quoties enim in ſcripturis ſanctis hoc uocabulum, abominationes reperimus, pro hominum figmentis, ac his quæ ſunt Dei uerbo cõtraria, adcipere neceße eſt. At qui alioqui Prophetat, non niſi pſeudopropheta, falſusue Apoſtolus eße, ac uere dici poteſt. Et qui eiuſmodi ſunt,

di sunt, à Deo neutiquam mittuntur. Hi sunt contra quos scriptum est. Prophetæ tui, uiderunt tibi falsa & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam prouocarent. Viderunt autem tibi adsumptiones falsas, & eiectiones. Et Hiere. 23. Non mittebam Prophetas, et ipsi currebant. Non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. Si stetissent in consilio meo, & nota fecißent uerba mea populo meo, auertissem utiq; eos à uia sua mala, & à cogitationibus suis pessimis. Et ibidem, ad id complura.

Hi sunt qui non Dei sed proprio nomine ueniunt, gloriam suam & terrena quærentes. Qui quoniam in doctrina dæmoniorum, ac spiritibus impostoribus ambulant, traduntur à Deo, in reprobam mentem, ut faciant & loquantur, quæ non conueniunt, et pro sanctissimis, æternisq; ac solidißimis eloquijs Domini, uaniloquia sectentur & ament, uolentes haberi pro legis doctoribus, uerum non intelligentes, ea de quibus, aut loquuntur, aut adfirmant.

Eius-



PRAEFATIO EIVSDEM IN OSEAM PROPHETAM.

OSEAS in Prophetis duodecim primus, totus per cõmata diuisus est: quo fit, ut multo subobscurior, ac mysterijs profundior sit. Attamen cuiuslibet prophetiæ partes, mirã habent connexionem, quam nisi quis intentißime perspexerit, facile à Prophetæ scopo aberrabit. Arbitramur autem prophetias libri huius, non fuiße pariter nunciatas, sed uarijs diebus, atq; temporibus, sicut uirum sanctus Dei Spiritus commone faciebat. Demum ab illo, siue ab alio, in unum uolumen collectæ sunt, quod de aliorum quoque Prophetarum scriptis sentire non erit inconueniens. Proinde quisque studiosus ac pius, inspiciat diligenter, quod sit cuiuslibet prophetiæ principium, ut illo inuento, de uniuscuiusq; uersus, cum præcedentibus atq; sequentibus connexione, facilius ualeat iudicare. Namq; loci cuiuslibet intelligentia, per uiciniores tam post quàm antè positos, admodum illustratur. Verum, quia hæc solo Dei spiritu possunt intelligi, oremus Dominum, ut illa nobis reserare dignetur. Quod si aliquando datum fuerit, cuncta inueniemus, immaculata, casta, ignita, ac desyderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum, ac dulciora super mel & fauum. Psalmo. 18.

ARGVMENTVM EIVSdem in ipsum Oseam.

OSEAS tribus primis capitibus, factis quàm maxime prophetat, reliquis fere omnibus, eloquijs mysticis. Per totum nanque librum tropos habet, ut magna eius pars in allegorias neceßario transferenda sit. Specialiter capite primo agit de uxore fornicationũ, ac trib. filijs ex ea genitis, Quæ ponuntur. 2. cap. ad primũ consequũtur. Cap. 3. de adultera, quindecĩ argenteis, coro ordei, & dimidio coro ordei cõducta, ac multo tẽpore uirũ expectante. Deniq; usq; ad ult. caput, filiorũ Israël & Iuda, & in eis uniuersæ terræ, maxime pseudocredentiũ, & Synagogæ Antichristi incredulitatem, & horrenda uitia carpit. Regnum quoque Israël, ob uitulorũ præcipue idololatriã, per Aßyrios, Regnum uero Iuda, per Chaldæos euertẽda, et populos eorũ captiuãdos prædixit. Varia autẽ et admiranda spiritus mysteria ubiq; pmiscet, sed id potißimum cap. 6 & . 11: de Christo et Eccl. pphetãs. Tandẽ ult. ca. Samariæ Dei contẽptrici primũ maledicit, atq; mox demũ illam ad uerã resipiscentiã cõmonefacit. In hoc ppheta habes illud: Ex Aegypto uocaui filiũ meũ, qd' Mat. 2. adlegatur. Hinc cõsuetudo est, ut nominib. Israël, Effraim, Samariæ, capiat Regnum decem tribuũ. Israël tamen quãdoq; p duodecim tribubus, quandoq; p electis ex gentibus adcipit, Baalim uero p omnibus, quibus Israëlitæ Deo contempto adhæserunt.

Francisci



FRANCISCI LAMBERTI Auenionensis in Oseam Prophetam Commmentarij.

CAPVT PRIMVM.

Summarium capitis. Primo tempus, quo Oseas prophetauit, describitur. Secundo, ad iußionem DOMINI *duxit uxorem fornicationum, filijs eius adsumptis. Tertio, genuit ex ea filium, quē Deus iußit uocari Iezraël, quo seminis Dei uindicta prædicta fuit. Quarto, filiam genuit, quam uocauit, Absque misericordia, qua signabatur, Regnum decem tribuū absq; reuocatiōe delendum. Quinto, alium filium habuit, nomē habentem, Non Populus meus, in figuram, q. Iudæi erant abijciendi, ne in Dei populo numerarentur, quòd* CHRISTVM *non susceperint.*

PARS PRIMA.

VErbum DOMINI, quod factum est ad Osee filium Beeri.

VErbum Domini, hoc loco, non tantum ad ea, quæ primo ca. ponuntur, sed prorsus ad omnem prophetiam libri huius referendum est. Quod factum, hoc est, dictum eße dicitur ad Osee filium Beeri. Tradunt Hebræi, quòd dum Prophetarum genitores scri-

 buntur,

buntur, certum est eos fuisse Prophetas. Proinde Amos pastoris armentarij pater subticetur, quòd Propheta non fuerit. Amos septimo.

Porrò tam in hoc Propheta, quàm in cæteris, id cunctos diligentissime obseruasse reperies, quòd sermones suos, DEI esse inculcarunt, ut scirent uniuersi, quòd nihil ex proprijs, sed omnia ex DEO loquerentur. Nam pseudoprophetarum est, ex proprijs loqui: cuiusmodi sunt omnes Regni Antichristi Prophetæ, qui nunquam syncere DEI uerba pronunciant, sed suis mendacijs uniuersa conspurcant. Proinde, Episcopi sancti, ueri scilicet Euangelistæ, modis omnibus deuitant, ne ex proprijs quicquam loquantur, scientes, quod mendacium sit. Iohan. 8. Nimirũ omnis homo mendax. Psalmo. 115. Addunt ob id multoties: Sic dicit Dominus DEVS: ait Dominus exercituum: dicit Dominus omnipotẽs: sicut Dominus locutus est & c. Timent enim uehementer, ne quispiam hominis esse putet, quod est DEI altißimi, & ne hominis somnium esse credatur, quod æternum & inuariabile est.

Denique uident nihil esse certum ad corda firmanda, aduersum peccatum, mortem & infernum, præter ipsum DEI sermonem, cui dum credimus, maximum animi robur consequimur. Consequimur itidem per firmam in eum fidem, gratiam, iustitiam, peccatorum plenißimam remißionem, ueram pacem, purißimum gaudium, & in omnibus necessariam Sancti Spiritus directionem. Spiritus quippe sanctus habitat in his, qui uerbo suo credunt,

dunt, eos illustrat, illósque suis desyderabilibus ac suauissimis charismatibus implet. Propter quod sic exorsus est Oseas: VERBVM DOMINI &c. Quasi di. Haec non sunt uerba Oseae, sed DOMINI DEI, qui ad manifestandam ueritatem suam, Osea, quasi instrumento usus est, & cui nemini contradicere licet, nisi disperire uelit: Nam Prophetis DEI, qui sunt electa organa eius, nemo licite non adquiescit. Porrò tum scies eos DEI Prophetas esse, cum non nisi impolluta DEI uerba pronunciant: alioqui non nisi pseudoprophetae essent. Quòd autem, quasi de tertio quopiam loqui uidetur, nihil obstat. Nam de semetipso, quasi de alio potuit loqui, quod non est alienum à consuetudine Scripturarum.

Tradunt Hebraei, Prophetas singulos, uarijs temporibus, uaria, non dixerim contraria, prophetasse, quorum prophetias, non nulli, nempe Sacerdotum Pontifices, collegerunt, & ex eis Libros cuiuslibet Prophetae constituerunt, praescribentes singulis: VERBVM DOMINI &c. uel, VISIO &c. uel aliud quid dam tale, quod neque displicet, tametsi primum tutius est.

In diebus Oziae, Ioathan, Achaz, Ezechiae, Regum Iuda, & in diebus Hyeroboam filij Ioas Regis Israël.

Horum Regum temporibus, prophetauit Oseas, itidem Esaias, Iohel, Amos, Abdias, Ionas, & Micheas, σύγχρονοι, id est, contemporanei eius. Quod certe fu

it, in grauißimum reproborum iudicium. Nimirum syncere Prophetantium multitudo, ueritatis hostibus, & incredulis, horrendius iudicium parit. Porrò, id adfert utilitatis, noße, sub quibus Regibus prophetarint, quòd demum ex eorundem Regum hystorijs, quæ fuerit sermonis prophetici ratio, facilius deprehendimus, tametsi non aliunde perfectius id cognosci potest, quàm ex ipsis eloquijs propheticis, quemadmodum diligenter intuenti est manifestißimum.

PARS SECVNDA.

Principium loquendi Domino in Osee.

SIC habent Hebræi codices: Primum locutus est DOMINVS in Osee. Quo sermone quidam adserunt, quod in his Prophetis duodecim, prior Oseas prophetarit. Sed huic sententiæ obstat, quòd Abdias, omnium, & Hebræorum & Latinorum consensu, Achab Regis Israël dispensator fuit. Achab autem mortuus erat annis centum duobus, antequam regnaret Ozias, sub quo Oseas prophetare exorsus est. Proinde non est uerisimile, quòd Abdias, qui sub Achab fuit, post Oseam, quin potius ante illum, prophetarit, cum Oseas annis plurimis post Abdiam & Achab fuerit.

Ergo hic principium, uel primum, non habet respectum ad cæteros undecim Prophetas, sed is est huius loci sensus

sensus; Hæc Prophetia, quæ à libri capite est, fuit DOMINO principium loquendi, id est, locutionis aut uerbi, quod in Osee locutus est. Quod apertius indicat Hebræus textus. Primum, inquit, locutus est DOMINUS in Osee. Nimirum hæc fuit prior illius prophetia, qua illustratus à DOMINO fuit.

Obserua, aliud esse, Dominum loqui in homine, aliud ad hominem. In homine loquitur, dum in corde suæ ueritatis intelligentiam operatur, itemq; dum cæteris per eum, suum beneplacitum palam facit. Psalmo. 84. Audiam, quid loquatur in me Dominus DEUS, quoniam loquetur pacem in plebem suam. Sic in filio suo, sic in Prophetis suis Dominus locutus est. Hebræ. 1. Ad hominem autem loquitur, cum eloquium suum ad eum dirigit, sicut hic mox habes: Et dixit Dominus ad Osee, & in principijs Abdiæ & Ionæ. Verum hæc regula non est usque adeo generalis, quin nonnunquam immutetur, sicut in principio huius libri, & Iohelis, & Micheæ, alijsq; locis non paucis, in quibus, non in, sed ad ponitur, tametsi SERMO DEI illis reuelatus, non ad eos, sed uel ad speciales populos, uel ad omnes terræ habitatores dirigatur.

Et dixit Dominus ad osee: Vade, sume tibi uxoré fornicationum, & filios fornicationũ.

Quidam hic putant Hebrææ simplicitati fore adijciendum, fac tibi, quòd postmodum ex ea filios genuerit. Quibus respondemus, q; filij quos ab ea suscepit, postea

quàm illius coniunx facta est, non filij fornicationum, sed legitimi fuerunt. Quòd si quispiam per fornicationes, gentes à DEI cultu alienas adcipit, nec sic filij Oseæ, filij fornicationum dici poterunt. Nam quomodo Oseas uerus & fidelis Altißimi Propheta extitit, si in Gentium fornicationibus prolem sibi traditam dereliquit?

Obijciet iterum, quòd ob id filij fornicationum dicti sint, quòd Gentilis mulier eos peperit. Dicimus paucis, hæc non conuenire textus puritati. Nam hic est apertus huius loci sensus: VADE ET SVME TIBI VXOREM EX FORNICARIIS VNAM, & filios quos primum ex fornicatione illa progenuit. Indubie autem, suscepit matrem cum filijs, quam & prostitutam, & gentilem fuiße non ambigimus. Filijs namque Israël interdictum erat, Deuteronomij. 23. ne ex filiabus eorum meretrices fierent. Verum neq; id licuit Prophetæ, nisi iubente DEO, q; nulli Israëlitarum licitum foret, contrahere cum alienigenis, Exodi. 34. At iußione Domini, nedum licitum, sed & neceßarium fuit. Nam superueniente præcepto, primum fuit infirmatum, neque illum amplius obligauit. Non enim fuit transgreßor alterius præcepti, cui tum non erat obnoxius. Neque fures extitere Israëlitæ, cum DEI iußione spoliarunt Aegyptum. Exod. 11. quin potius rem sanctam opati sunt, & adceperūt quæ sua erāt, nimirum illis tradita ab eo, cuius est orbis terræ, & plenitudo eius. Psal. 23.

Denique

Denique, sæpe fit, ut ob aliqua DEI præcepta, cætera non obligent. Quemadmodum ubi non possum obseruare iußionem de honorandis parentibus, nisi priora asperner, id est, credam, & fiduciam habeam in alium, quàm in DEVM, & CHRISTVM eius, aut nomen suum in uanum adsumam, aut negem ueritatem eius, aut aliud quiddam tale, eo casu deserendi sunt, pater, mater, uxor, filij, & omnia. Neque propterea transgreßor præceptorum Dei censendus sum, cum Spiritum omnium Dei præceptorum, qui duobus primis exprimitur, nempe scopum Scripturarum, uoluntatem Dei seruem, etiam si faciem aliquorum non obseruo. Facies quippe aut litera est, quod externè sonat, uox scilicet, opus externum, quod ubi superuenit alia Dei iußio, aut alia magis neceßaria reperitur, neutiquam obligat. Quod abunde patet in præscripto exemplo, de quarto præcepto, collato cum duobus primis. Nam propter DEVM, & CHRISTVM, & ueritatem eius, parentes, ac omnia sunt deserenda, alioqui neq; DEO, neque CHRISTO digni eßemus, ut ex compluribus Euangeliorum locis palam est cernere, quod apud Lu. Euangelium aperte docuimus. Cum uides me dixiße dignos Deo, nõ putes me proinde uelle statuere merita, quod neque Seruator ipse eiusmodi proferens uoluit unquam. Nam sic Deo digni fideles dicuntur, sicut & habere mercedem: sed mercedem non dicuntur habere, nisi quia promissa est, sua iußa plena fide custodientibus. Enimuero non à merito, sed à Dei

 promißione,

promißione, electorum præmium merces nuncupatur, Sic illi Deo digni habentur, non quod dignũ quidquam ex se ipsis facere poßint, sed quod spiritus CHRISTI in eis habitet, cuius motu, omnia digne operantur. Solus quippe CHRISTVS dignus est ex se, atq; etiam in credentibus, quibus semel in cruce meruit, quæcunq; illis sint ad salutem æternã necessaria, qui nisi suæ ueræ, et cælestis, non apostaticæ (cuiusmodi sunt fastigia Regni filij perditi) dignitatis nos fecerit participes, & nos, & quæcunq; facimus DEO sunt indignißima, quippe, quæ non nisi infidelia, ideoq; peccata sint. Rom. 14.

Nunc ad priora redeundo, dicimus, Prophetam, non obstante prohibitionis legis facie aut litera, mulierem alienigenam et fornicariam, licite, imò neceßario in uxorem duxiße. Seruauit enim spiritum præcepti, nempe uoluntatem Dei, quæ in eiusmodi præceptis semper excipitur. Sumpsit quoq; filios eius, Noluit enim omnium prouisor Deus, eosdem filios, necessario genitricis carere suffragio, quin potius ipsis, certi forsan genitoris solatio priuatis, sanctum uirum præfecit, ut patris uicem misericorditer suppleret, & simul cum matre, eius doctrina seruarentur.

O uere fidelißimum uirum & Prophetico ministerio dignum, qui adquiescens diuino imperio, talem suscipere non erubuit. Non fuit illi indecorũ, ut quidã absq; ratione putãt, q, fornicariã adcepit, qui potius summæ gloriæ, summoq;

moq; decori. Indecorum profecto extitisset, si non interuenißet iussio domini, at ubi ille iußit, eo præclarius, deoq; adceptius est, quo prudentiæ & iudicio carnis, fuit abominabilius. Si talis aliqua iussio, prophetis & Episcopis à Domino traderetur, quid responderet adultera Antichristi Synagoga? Dicerent id esse aduersarium suis traditionibus, & execrabilibus decretis, pro quibus statuendis uerbum domini, supprimere adnituntur. Prohibent siquidem sacra cõiugia, à Deo bene instituta, uenduntq; semper fœdißima scorta, etiam uni multa, detestabili mercatione. Sed proinde odiunt impollutum connubij thorum, quod timeant sibi non esse liberam omnigenam luxuriem, & scortorum conceßione, in immensum augeantur prouentus huius Satanæ infelicissimæ, simul atq; turcissimæ synagogæ.

Porro, id spetiali tractatu probauimus, omnem cuiuscumq; conditionis, etiam si monasticen incolit, & uritur, Dei uerbo adstrictum ad sacrum coniugium. Vritur autem, qui nõ se continet. Quod si se uere animo continet, & nihilominus carne stimulatur, hic stimulus non est ustio, sed Satanæ nuncius & colaphizatio. Proinde qui sic stimulantur ad coniugium neutiquam sunt adstricti. At cõtinentia est, maxime pectoris. Nam si te carne, & non animo contines, ureris, & thorus impollutus tibi est requirendus, ut scilicet capias in domino adiutorium simile tibi. Quod si Propheta aut Episcopus es, ad id

peculiari

peculiari mandato adstringeris, ut liquet ex Paulo. 1. Timoth. 3. & Tit. 1. At de his alibi plura.

Igitur: Oseæ & fornicariæ mulieris coniugium, fuit honestißimum, & sanctum, quod ad imperiũ Dei. Nam quidquid ad dei uerbũ facimus, laudabile est, etiam si alio qui uituperabile eßet. Enimuero sicut sanctum est, ita omnia in suam naturã transformat, & sanctificat. Omnẽ quoq; dei seruum, sic ad quoduis dei præceptum paratũ fore necesse est, ut semper decernat implere quidquid ille iusserit, quantumlibet humanis decretis, consilijs, & traditionibus aduersetur. Paratum quippe illũ esse oportet ad coniugium, uel ad deserendam coniugem, ad habendos filios, uel dimittendos, ad bona recipienda, & dimittenda, ad infamiam & bonam famam, ad diuitias & penuriam, ad infirmitatem & sanitatem, & ad omnia breuiter quæ Dei uerbo conueniunt, secundum idem uerbũ, admittenda & dimittenda, ut semper animo dicat, illud psal. 107. Paratum cor meum Deus, paratũ cor meum.

Obserua hunc prophetam, hoc loco itidem Esaiam nõnunquam, itidem Ezechielem, sæpiss. & alios etiam, factis prophetaße, ut scias omnem prophetiam facti esse efficacissimam, cum scilicet implemus, quæ alijs facienda nunciamus. Nullius siquidem, aut fere minimi fructus, est sermo propheticus, ubi Episcopi prophetantis uita illi contradicit.

Quia fornicans fornicabitur terra, à Domino.

Ex

Ex hac adiectione palàm fit, quod per id quod Oseas uxorem fornicariam cum filijs suis adsumpsit, & filios demum ex illa progenitos, nouis nominibus ad Dei imperium adpellauit, aliud quàm indicet ipsa gestorum facies, est capiendum. Nimirum præter id quod externe sonãt, quiddam nobis absconditum monstrant. Porro Oseas deus est, sanctus & seruator, qui Israëlem fornicariam gentem, in populum eligere dignatus est, & haud secus atq; pijßimus uir, sponsam charissimam, sibi perpetua charitate adiunxit. Cui & reuelauit impollutam legem suam, & promisit de Christo suo specialiter, quod ex eius semine nasceretur. At gens ista, pro nihilo habens tam præclaram tamq; mirificam beneficentiam Dei, ab eo supra quàm dici poßit fornicans extitit fornicata. Hæc replicatio fornicans fornicatur, & similes, ad phrasim hebræam spectant, signantq; aliquid uehemens ac certißimum.

Vehemens ergo & grauissima fuit Israëlis fornicatio, nempe, idololatria, & fiducia aliorũ à Domino, qui eum sibi uerbo & cultu suo, ac uera in se fide copularat, in Abrahamo & primis eorum patribus. Quæ omnia apertißime, & sub parabolis conuenientißimis habes. Ezechie. 16 & 23. Intelliguntur autem hic nomine terræ. Nam quod de Israelitis loquatur sequentia indicant. Sensus est. Huius terræ populus, quem præ cunctis nationibus elegi, & in ea terra feracißima, pulsis Chananæis constitui, me dimißurus est, & idolorum reprobo cultu polluetur. Multoties in hunc usq; diem, à me factus est

alienus,

alienus, & idola cæca & muta, me contempto coluit, uerum tam impudens & effrenata erit illorum fornicatio, & omnigena idololatria, ut illorum respectu, quidquid preteritum est, nihil esse putetur.

Ad huius, & omnium similium scripturæ locorum facilem intelligentiam obserua, quod tametsi omnis homo peccator est, nullusq; reperitur, qui nõ fuerit aliquando à Domino fornicatus, ipsæ tamen fornicationes ueris fidelibus, id ex fide poscentibus, confestim remittuntur, & non imputantur, sicut scriptũ est. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus uir cui non imputauit dominus peccatũ. Psal. 31. Indubie enim, hic sermo est, de uiro fideli. Proinde in scripturis sanctis, fornicariæ mulieris siue meretricis, aut adulteræ adpellatione, non fideles, neq; aperti infideles, sed hypocritæ & apostatæ communiter capiuntur. Hinc est quod hoc loco, & Hiere. 3. & Eze. 16. ac. 23. alijsq; multis locis, per meretricem ac fornicationẽ, intelligere noluerunt totum Israël, sed tantum impios & Apostatãtes à fide, qui perinde atq; execrabilia scorta. Deo cui se fide desponderant spreto, suorum figmentorum idola coluerunt. Sic & Apoc. 17. per meretricem purpuratam Babylonem, fornicationũ matrem, sedentem super bestiam coccineam, & aureum poculum plenum abominationibus, in manu habentem, intelligitur confusissimum hominis peccati, Antichristi regnum, quod ex multitudine hypocritarũ ac pseudochristianorũ consurgit. Qui omnes

forni-

fornicati sunt, & uere Apostatarunt à Domino IESV Christo· A quorũ fornicaria ac scismatica Synagoga, ne cesse est, fieri Apostatam, ne à Domino IESV Christo, apostatæ simus· Enimuero propter eũ, id est, potius quã ab illo diuidi, omnia sunt deserenda· Alioqui ab eo in æternum diuideremur·

Porro hi Apostatæ, sunt terra illa infelix, quæ indies magis magisq; à Domino fornicatur· Semper enim augentur fornicationes, & impietates eorum, & superbia hostium Dei, ac ueritatis suæ, adcrescit ascenditq; semper· Psal·73· O terram maledictam, & infrugiferam· Vtinam fiat aliquando benedictione Altißimi, ut ferax sit· Omnis quippe homo puluis & terra est· Gen·3· quæ nisi aquis cælestibus irrigetur, nõ nisi mortiferos fructus adferre potest· Nam quid sumus Domino, præterquam terra sterilis & sine aqua? At Dominus pro summa benignitate, gratis efficacissimas sui spiritus aquas infundit, & amota sterilitate perniciosissima, facit ut fructus ueros proferamus in benedictionibus multis· Crede ueritati (ò lector) quisquis ex deo es, & agnosce, quod quicunq; sint ex præscripta fornicationum matre, & Antichristi ac tyrannorum suorum uoluntatem instituta, factaq; adorant, sunt terra arida, sterilis, & à Domino maledicta, & si olim habuisti, aut adhuc habes cum eis, nonnihil commercij, citius resipisce, ne de eorum plagis adcipias, & cum illis perpetuo intereas· Hinc electis

præci=

præcipit Deus Apoc. 18. Exite de illa, nempe Babylone, populus meus, & ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius ne adcipiatis. Quoniam peruenerunt peccata eius, usq; ad cælum, & recordatus est deus iniquitatum eius &c. Quæ uerba in præfatione Enarrationis regulæ minoritanæ exposuimus.

Obserua, quod ille à domino fornicatur, & idola colit, qui alijs quàm Deo fidit, qui non purissimis dei sermonibus hæret, aut illos Ecclesiæ non sufficere credit, et ideo simul cum eis, humana figmenta, & decreta admittit. Itidem qui Deum uult, non diuino instituto, sed humano inuento colere. Adorationes quoq; Crucis & imaginum, ac omnis cultus, & quæcunq; uota sanctorum dormientiũ, præter Dei sermonẽ inuenta, item fiducia locorũ, habituum, præcularũ adnumeratarum, peregrinationum, & quorumuis operum, ac id genus reliquorum. Similiter iustificationem, & remissionem peccatorum, tribuere alijs, quàm purissimæ in Christũ fidei. Hæc inquam omnia, fornicationes, à Domino sunt.

Et abijt, & adcepit Gomer filiam Debelaim.

Hebræi habẽt Diflaum. In dubio autem est, an hoc sit nomen patris Gomer, aut loci unde orta est. Sed hoc nihil intelligẽtiæ ueritatis obstiterit. Dum legis, Et abijt &c. agnosce promptam fidelis Prophetæ obedientiã, & fidei syncerae fructum. Quia enim credidit, non nisi iusta Deum optimum præcepisse, mox iubenti adquieuit. Cui indubie

dubie fides ad iustitiam reputata est, sicut fideli Abrahamo. Nimirum omni Dei uerbo uiuimus, dum illi credimus. Deutero. 8. Matthei. 4. & Lucæ. 4. Fide quippe iustus uiuit. Abacuc. 2. Recte uiuit, q. eodẽ uerbo robur adcipiat, contra peccatum, mortem & infernum.

Abijt ergo mox, uir sanctus, & adquieuit imperio Domini, nihil dubitans, neq; exhorrens hominum loquacitatẽ ac uituperia, exprobrantiũ, quòd Propheta mulierem fornicariam, in coniugem duceret. Noluit sapere plus quàm oporteret, sed ad sobrietatem. Roma. 12. Si tale quiddam Sophistis Dominus imperasset, instituerent disputationem, & suis insanijs nempe Sophismatibus, ampliationibus, restrictionibus, suppositionibus, expositionibúsque, aperta Dei uerba perperam interpretarentur, subobscura dicerent, & semper magis suæ insipientiæ fumo contenebrarent et confunderent. Sic uere multis sæculis fuit, ab eis insanitum, & manifestißimis Scripturæ textibus tam infeliciter deluserunt, ut uix ullibi uideretur gloria Euangelicæ ueritatis. Sed quid aliud facerent carnales illi? Hinc uides, quantum sibi dißideãt, Spiritus, carnisq; prudentia: hæc Deo simplicißime credit, illa contentiose agit, cõtra Ecclesiæ Christi consuetudinem. 1. Chorinth. 11. hæc pax & uita est, illa mors. Roma. 8. hæc uera sapientia, illa summa stultitia est. 1. Chorinth. 2.

Aberraßet autem Oseas, & admodum quidem, indignúsque fuisset ministerio sacro, si Domino contradicens, aut illius sermonibus addere uolens, dixißet: Melius & perfe

 ctum

ctius agam, quàm iusserit Dominus. Nam & mulierem fornicariam minime ducam, ne offendam populos, quibus me Prophetare oportet, & à mulieribus prorsus continebo. Sic uere error pernitiosissimus atque execrabilis est, inuentum illud, quo legitima connubia Clericis interdicta fuere. Christus dicit: Qui potest capere, capiat, Matthaei. 19. Et. 1. Corinth. 7. Qui non se continent, contrahant matrimonium. Et Regnum scismaticum dixit: Hac Dei iussione, meliorem constituemus, Ecclesiae ministris interdicentes coniugia, & perpetuum coelibatum illis indicentes. Sed uide, quid fructus attulerit, addere quidquam sermonibus Domini. Nam hac constitutione, tam horrenda & spurca, in orbem inuecta sunt, ut nulla arte, nullóue studio, magis ualuissent multiplicari, tantúmque profecit impius error, ut uniuersi ferè Ecclesiae ministri, suis abominationibus, sint scandalo plebibus cunctis, & ad necessarium Dei eloquiorum ministerium facti inutiles. Quo fit, ut feré ubilibet per orbem, sitibundi populi, pro ueritatis pacificis & salutaribus undis, mendaces, & tumultuarias Aegyptiorum, id est, caecorũ, in perditionis tenebris ambulantium, aquas, haurire compellantur. Verum & illas quidem, non nisi pretio interueniente adcipiunt. Nimirum sic defecerunt in nobis, amabiles & perspicui omnis sanae eruditiõis fontes, ut pro ipsis, turbulentas & immundas carnis inuentorum lacunas, in nostrum interitum, & multo etiam rerum impendio, detestabiliq; mercatione admiserimus, ut iam plus nobis,

bis, quàm filijs Israël conueniat illud Hieremiæ ingemiscentis: Aquam nostram pecunia bibimus. Thren. 5. Aquas siquidem nostras, hoc est, doctrinas hominum, quæ nostræ sunt, pro diuinis & cælestibus, pretio comparatas, hausimus. Nam quid est, quod non uenundent, Prophetæ, impiæ & execrabilis Babylonis? Quandoquidem etiam CHRISTVM, & quæcunq; ad illum spectant, uendere, iocus illis est. Et quis enumerare sufficeret acerbißimos ac mortiferos fructus huius maledictæ radicis, quòd scilicet, pro auro & lapillis pretiosißimis, stercora, pro cælestibus dico oraculis, carnis mendacia amplexi fuimus?

Vnde tibi ò feracißima & præclara uinea Domini exercituum, unde tibi tot uulpes malignæ, paruulæ, sine spiritu & ueritate, quæ insignes plantationes tuas pro uiribus demoliuntur? Vnde tibi ò sancta DEI Ecclesia, Sponsa CHRISTI impolluta, hi Tyranni perditæ Synagogæ, qui se interim pro ministris & Episcopis tuis uenditant? Hi sunt adiuratißimi illi DOMINI IESV CHRISTI hostes, impudentissimi legis diuinæ aduersarij, suarumque traditionum obstinatißimi adsertores, cæci, elati, ambitiosi, omnigena luxurie pollutißimi, in omnibusque effœminati, interim nihilominus de cœlibatu gloriantes. Hi sunt inquam Saulis miseranda proles, qui eundem perinde atque patrem, uigilantißime imitantur. Nam ipsius exemplo, aliquid semper addunt ad DOMINI eloquia & ius-

 siones,

ones. 1. Reg. 15. contra id quod habetur. Deut. 12. Quod præcipio tibi, hoc tantum facito domino. Non addas quidquam nec minuas. Et Prouerb. 30. Non adijcias quidquam uerbis illius, & arguaris, inueniarísque mendax. Proinde, quemadmodum Saul tum reiectus fuit, ne esset Rex, ac postmodum à Spiritu Domini malo, per interualla uexatus, sic illi à Christi Regno (cum quo iam nihil commune, nisi in mendacio & hypocrisi habent) infeliciter pulsi, in diaboli possessionem transierunt. Quod pariter de omnibus, qui figmentis hominum, plusquàm diuinis legibus consentiunt, est uerissimum.

PARS TERTIA.

Et concepit, & peperit filium. Et dixit DOMINVS ad eum: Voca nomen eius Iezrael.

ADmissa mulier fornicaria, à Propheta sancto, ad impollutum coniugij thorum, omnibus honorabilem, Hebræ. 13. sanctè ex illo concepit filium, quæ prius ex alijs, fornicario & reprobo concubitu, cæteros conceperat. Ergo thorus & congreßus, res quædam indifferens est. Nam in coniugio, sanctus, extra illud uero est execrabilis. Veh, ueh congredientibus absque coniugio, & nolentibus admittere illud. Sed illis uel multo maxime ueh, qui idem sacrum connubium, contra sermonem

monem Dei altißimi, omni hominum conditioni honorabile fore abnegant, non nullisq; illicitum adserunt.

Fit quoque ex coniugio, sancta & legitima, quae antè fuit scortum miserrimum. Magna ergo est, huius thori impolluti efficacia. Vnde non nullis etiam clericis sanctè consulitur, ut scorta, quae seduxerunt, & pro censu annuo, eis à reprobis illis Tyrannis concessa fuerant, in legitimas ducant, & huius Prophetae exemplo, fornicariam mulierem, etiam cum filijs, quas illis, ex fornicatione pepererunt, matrimonio casto sanctificent.

Gomer ergo filium ex Osea concipit, & oportune parit, cui & alijs, quos postmodum peperit, in mysterio, ac futurorum portentum, nomina à Deo imponuntur. Quod maiorem in modum in sacri coniugij gloriam facit. Sic Isaac nomen imposuit Deus. Gen. 17. & filio Hesaiae, quem Prophetissa illi peperit. Hesaiae. 8. Nullibi enim legimus, quòd filijs illegitimis nomen imposuerit. Pollutos nanque amplexus summe odit. Proinde sic natos paruulos, non uocat specialiter. Polluta autem & impura sunt coram illo, quaecunq; non conueniunt eloquijs suis. Filio Abraham, quem Agar ancilla ei peperit, nomen imposuit Ismaël. Sed ipsa Agar, quamuis esset ancilla, uxor tamen erat, ut patet. Gen. 16.

Igitur, Osee primogenitum uocat Iezraël, quod interpretatum est, Semen Dei. Hoc semen sunt fideles ueri, qui sunt ueri filij Dei. Iohannis primo: Dedit eis, ut lice-

ret filios Dei fieri, uidelicet his, qui credidißent in nomen ipsius; qui non ex sanguinibus, neque ex uoluntate carnis, neque ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt. Et Roman. nono: Non qui filij carnis, ij filij Dei, sed qui filij promißionis, recensentur in semen. Et apertius Matthæi, 13. Bonum semen, hi sunt filij Regni, subaudi, Dei. Seminis quoque adpellatione, Domini sermo capitur, Lucæ. 8. Semen est Sermo Dei. In quo etiam sensu capitur Matthæi. 13. & Lucæ. 4. Recte autem etiam credentes, seminis adpellatione, ut prædiximus, designantur, quòd cæleste Dei eloquiorum semen, in eorum cordibus radices fixerit.

Quoniam adhuc modicum, & uisitabo sanguinem Iezraël super domum Iehu.

Sanguis primum, mors & adflictio est. Gen. 42. En sanguis eius exquiritur. Est quoque animarum perditio, Ezechielis tertio: Si, dicente me ad impium, morte morieris, non annunciaueris ei, neque locutus fueris, ut auertatur à uia sua impia, & uiuat, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius (perditionem) de manu tua requiram. Sensus est: Quia ille ob uerbum meum, à te absconditum, perijt, tu quoque peribis. Itidem per sanguinem capitur, quodcunque graue periculum. Proinde Sanctus Dauid sitiens, ex aqua cisternæ Bethleëmiticæ, à tribus uiris fortißimis, cum uitæ periculo adlatam, bibere nolens, dixit: Absit, ut

in conspectu Dei mei hoc faciam, & sanguinem uirorum istorum bibam, quia in periculo animarum suarum, attulerunt mihi aquam. 1. Paralipo. 11. Omnibus his modis, sanguis hic capitur.

Demum uisitatio, est dictio in archanis literis admodum frequens, quæ pro locorum congruitate, uarie enarratur. Siquidem, nos uisitare dicitur, cum nostri miseretur, nobísque in auxilium uenit: Iob. 7. Visitas eum diluculo, & subito probas illum. Et capite. 10. Visitatio tua custodiuit Spiritum meum. Item Psalmo. 105. Visita nos in Salutari tuo. Rursúmque Lucæ. 2. Visitauit nos, oriens ex alto. Visitat autem peccata, aut nos pro illis, dum propter ea, sua flagella immittit. Summa: Domini miserationes, & flagella, uisitationes eius sunt. Modo ultimo hic uisitatio capitur.

Vide quanta sit Scripturæ modestia, quæ etiam grauissimas Dei punitiones, uisitationes adpellat. Et uere Deus clementissimus, hic neminem punit, nisi oleo suæ miserationis semper admixto. Simul ergo cum flagellis Dei, ipsius flagellantis clementiam indicat. Dicit ergo: Adhuc modicum, supple, expectabo, & uisitabo sanguinem Iezraël super &c. Sensus est: Breui flagellabo & puniam domum Iehu Regis Israël, propter sanguinem Iezraël, id est, quia adflixit, contristauit, & occidit semen Dei, nempe fideles & electos, è quibus non dubium est, plures in Israël fuisse, Iehu & filijs suis principantibus, qui usque in quartam generationem sceptrum

Israël tenuerunt, & idololatria, ac criminibus horrendißimis, innumeros ex populo seduxerunt, æternique interitus periculo, uniuersum Israël exposuerunt. Propter quod sacrum electorum semen, apud se, mœrore nimio conficiebatur, & ex eis multi contradicentes impijs Regibus, non dubium, quin etiam corpore torquerentur, & nonnunquam perimerentur. Ob id Iehu domus, ex qua tum regnabat Hyeroboam, in proximo delenda prædicitur. Quod impletum fuit, in Zacharia, Hyeroboam filio, qui sexto mense Regni sui, à Sellum filio Iabes, occisus fuit. quarti Reg. 15.

Causa ergo deletionis familiæ Iehu, fuit uindicta seruorum Dei, qui tum erant. Ipsius nanque Dei proprium quiddam est, pro electorum semine in reprobos facere uindictam, sicut scriptum est, Mihi uindictam, & ego retribuam in tempore. Deut. 32. & Rom. 12. Ad id habes aptißimam parabolam, Luc. 18. Fuerat primum ipse Iehu à Domino super Israël in Regem electus, ut uniuersam Achab domum, in ultionem sanguinis Prophetarum, ac seruorum Dei penitus deleret, quarti Regum nono. At posteaquàm impleuit Domini iußionem, qui in aliorum uindicta crudelis extiterat, in se fuit crudelißimus. Nanque impietates Hyeroboam filij Nabath in suam perniciem imitatus est. 4. Reg. 10. Quam ob causam, domus eius hic uisitanda, id est, punienda prædicitur. Porrò, tam in punitione domus Achab, quàm domus Iehu, est obseruandum, quàm fuerit in illis clemẽs ipse dominus. Nam tametsi ambo

bo impijßimi erant, non tamen illos mox puniuit, ſed ex pectauit diem oportunum, ſicut ab æterno præfinierat, Lege Regum hiſtorias, & reperies id communiter feciße Dominum, quòd poſt unam aut duas generationes, impiorum Regum domos uiſitauit. Sic ob impietates Salomonis, diuiſit Regnum Iſraël, ſed non niſi ſub filio ſuo Roboam. 3. Reg. 12. Domũ quoq; Hyeroboã delere uoluit, ſed id tantum fecit anno. 2. Nadab filij ſui. 3. Reg. 15. Sic de domo Baaſa, Achab, & Iehu, ut ſacræ hyſtoriæ tradunt.

Attendat obſecro hæc, magna & ſpurcißima meretrix Babylon, ebria ſanguine Sanctorum & Martyrum IESV, ac circundata auro, gemmis, & purpura, Apocalipſis. 17. inſaniátque ut uoluerit, in DEVM CHRISTVM, Eccleſiam ſanctam, & ueritatem eius, quoniam in una hora uenit iudicium eius, nempe fames, luctus, plagæ, & mors, quoniam fortis eſt Deus, qui iudicat illam. Et breui illam flebunt, imò iam flere incipiunt, plangúntque ſe ſuper illam, Reges, Principes, & Nobiles terræ, ac quotquot cum illa ſcortati ſunt, & in delitijs uixerunt &c. Senſim enim cadit imperium eius, & cito miſerante DOMINO, per orbem cantabitur: Cecidit, cecidit Babylon, & palam fiet cunctis, quòd non ſit, niſi habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi, & cuſtodia omnis uolucris immundæ & inuiſæ, quia de uino ſcortationis eius biberunt omnes gentes. Apocalipſis. 18. dicetúrque: Alleluia. Salus, & honor, & uirtus, & gloria, Domino Deo noſtro, quia

uera & iusta iudicia eius, quia iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram prostitutione sui, & uindicauit sanguinem seruorum suorum de manu eius. Apocalipsis decimo nono.

Et quiescere faciam Regnum domus Israël.

In uindictam sanguinis Iezraël, id est, seminis Dei, nõ tantum ait se uisitaturum domum Iehu, sed et quod quiescere, id est cessare faciet Regnum domus Israël, id est, decem tribuum. Nam ut patet secundo & tertio Reg. à primo eorũ Rege, scilicet Hieroboam filio Nabath, ob uitulorum cultum, semper fuit in eodem Regno, grauissima electorum persecutio, & adflictio. Quia ergo totum idem Regnum siue domus Israël, fuit rea sanguinis Iezraël, hoc est, seminis DEI, æquissimo DEI iudicio, sicut domus Iehu delenda fuit.

Obserua, quòd DEVS, sensim deleuit Regum Israël domos, ob Idolorum præcipue cultum, donec domum ipsam Israël, uel Regnum decem tribuum cessare fecit, & sub Osee, anno scilicet nono, Regni sui, eam transtulit in Assyrios. 4. Regum. 17. Impossibile quippe est, ut mendacium à ueritate, & idola à DEO uiuo & uero neutiquam uincantur. Sic Regnum abominationum & fornicationum uere apostaticum & scismaticum, à Domino IESV Christo, habet Idola, uitulosque suos, quos adorat, nempe membranas rescriptorum siue indultorum filij perditi, propter quas spernit DEVM VIVVM ET VERVM, ac Dominum Seruatorem et ueritatem eius.

Et

Et quemadmodum Reges Israel, sanctos Dei prophetas extinguebant, cùm eorum abominationes palàm facerent, ita præscriptum Babylonicum regnum, eos qui à principio prophetarunt aduersus abominationes suas, interemit, interimitq; & suffocat indies, nec cessabit, donec Deus omnipotens, illud prorsus quiescere faciat. Sed uincet breui illius mendacia, æterna ueritas, & aureos eius uitulos, superbiam, tyrannidem ac membranas, est in proximo euersurus. Mittet enim Iosiam Regem, qui uniuersa demolietur.

Et in illa die, conteram arcum Israel, in ualle Iezrael.

Sæpe in scriptis Dei, arcu, gladio, scuto, curru, equo, auro, argento, & his quæ armis bellicis ac terrenæ prouidentiæ congruunt, omne auxilium humanum capitur. Psal. 43. Neq; enim in arcu meo sperabo, & gladius meus, non saluabit me. Quæ uerba omnium externorum diffidentiam indicant. Arcu, gladio & similibus utebatur, uerum nihil fidebat illis. Sic & fidelis quisq; terrenis utitur, nullam tamen in eis fiduciam habet. Item psal. 19. Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini inuocabimus. Et infra cap. ultimo. Super equum nõ ascendemus. Quibus sermonibus, quod in solum Deum sit habenda fiducia experimur. Nimirum ille est maledictus & execrabilis, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. Hiere. 17.

Arcus itidem pactum siue promissionẽ aut rem ipsam

promißam significat. Sic capitur illud. Abac. 3. Suscitans suscitabis arcum tuum, iuramenta tribubus, quæ locutus es. Quo loco arcus & iuramentum, æquiuoca sunt. De quo arcu suo loco, Deo uolente tractabimus.

Sub utraq; adceptione, hic textus intelligendus est. Nam omne carnis robur, quo Israël Deo contempto fidebat, prænunciatur fore conterendum. Fœdus quoque illud, quo terræ quas possederant, illis fuerant traditæ in possessionem, rumpendum erat, eo quod Deum obstinatis animis dereliquerant. Porro hic arcus conterendus erat, in ualle insigni, quæ Vrbi Iezraël uicina erat, in qua sub Oseæ cæsus est Israël, & inde translatus in Assyrios 4. Reg. 17.

Duplici ergo ratione, primogenitus Oseæ, Iezraël à Domino adpellatus est. Primo in portentū uindictæ sanguinis electorum, Secundo, quia ipsa uindicta, maxime in præscripta ualle Iezraël, facienda erat. Recte autem, in ualle Iezraël, fit sanguinis Iezraël, id est, seminis Dei ultio, ut etiam ex loco & nominis concordia, magis sit memoriæ fixum, atq; animaduertamus quanta seueritate punientur; quicunq; electos, & ueritatis sermonem, qui sunt uerū Dei semen; odio habent, & persequuntur.

PARS QVARTA.

Et concepit adhuc, & peperit filiam. Et dixit ei, uoca nomen eius, absq; miseri-

cordia

cordia: Quia non addam ultra misereri, domui Israel.

QVAE ultimo diximus, de Regni decem tribuum euersione & cesßatione, nomine huius puellæ cõfirmantur. Ad dei quippe iußionem uocata fuit, Absq; misericordia, in portentum deletionis eius.

Sed quid est quod ait. Non addam ultra misereri domui Israël? Nunquid tota hæc domus perijt, posteaquã fuit in Aßyrios translata? Absit. Sed in hoc dixit se non misurturum, quod decerneret eam domum irreuocabiliter delere, & sceptrum eius secundum carnem ultra erigere nollet. Misericordiam autem conuersionis eorum & auxilium oportunum, non abnegat. Nimirũ ad deum oportune conuertentur, & ingressa in Christi Ecclesiam gentium plenitudine, Israël quoq; introibit. Rom. 11. Electis etiam, qui in Aßyriorum terras fuere translati, suæ misericordiæ sinum claudere non potuit, qui semper optimus est, ac plenus misericordia, in omnes qui inuocant illum, superq; etiam impios, solem suum oriri facit, & pluuias mittit.

Deniq; non est prætereundum, quid sit misericordia Altissimi. Miseretur cum iuuat, & misericordia illius, auxilium eius est. Proinde omnis eius in nos beneficentia, misericordia appellatur, & eo quidẽ maior, quo sublimius ac præstantius est, quod ab illo adeipimus. Hinc Dauid sanctus, cum ob adulterium, factumq; Vriæ, grauißime corruißet,

corruisset, multoq; & insigni Dei auxilio indigeret, præcabatur. Psal. 50. Miserere mei Deus, secundũ magnam misericordiam tuam. Effectus ergo summæ bonitatis diuinæ, misericordia est, cuius oppositum est iustitia, non qua iustificamur credentes, de qua toties alijs locis tractauimus, & cuius soli fideles per Christum fiunt participes, sed ea quæ omnibus palàm facit, quod deo sint odio, impius & impietas eius. Hæc est uirga & flagellum, seu punitio domini, quæ eo terribilior & maior dicitur, quo & grauior est. Prior iustitia, scilicet qua fideles iustificantur, nihil differt à summa eius bonitate, potentia, sapientia, ueritate, clementia, & similibus, posterior uero non nisi effectus prioris est. Nam idcirco nos flagellat, quod bonus, sapiens, uerus, sanctus, potens, ideoq; summe iustus & perfectus est. Nunquam enim suis flagellis nos cedit, nisi oleo suæ dulcißimæ bonitatis, semper admixto. Quæ bonitas non raro misericordiæ adpellatione signatur, ut cum Deus plenus misericordia adseritur. Obseruet ergo studiosus quisq;, qua ratione hæc sint pro locorum uarietate enarranda, ubi scilicet per misericordiam & iustitiam, summã dei perfectionem, & ubi effectũ eiusdem perfectionis significat. Nam alioqui facile à scripturæ & sancti spiritus scopo aberraret.

Sed obliuione, obliuiscar eorum.

Hebræi habent. Vastans uastabo eos. Septuaginta uero: Aduersans aduersabor eis. Quorum idem sensus est. Primum autẽ, nostra translatio, est interpretanda. Deus

tametsi

tametsi nullius rei obliuiscitur, eiusq; oculis nuda et aperta sunt omnia. Ad Heb.4. Alicuius tamen obliuisci dicitur, cum illi non auxiliatur. Psal.136. Si oblitus fuero tui Hierusalem (si non te iuuero) obliuioni detur dextera mea. Dextera hæc Domini, eius potentia est. Sensus est. O Hierusalem, si non te iuuero, mea summa potētia, à nemine agnoscatur. Q.d. Nunquam obliuiscar Hierosolimæ, id est, Ecclesiæ. Nam per Hierosolimam, quæ Israëlitarum prima ciuitas erat, sic capitur Ecclesia, sicut per Israelitas ipsos, filij Ecclesiæ, ueri scilicet fideles, qui sunt uerum Abrahæ semen & filij promißionis. Rom.9. Nostri ergo Deus obliuiscitur, cum non iuuat, & nos eius dexteræ, id est, magnitudinis & potentiæ obliuiscimur, cū eam non agnoscimus, nec illi ex fide inseruimus. Omnes ergo Antichristi, & quotquot apostatant, à purißimis sermonibus domini, adhærentq; hominum traditionibus & doctrinis, Excelsi dexteræ obliuiscuntur. Quorū oculi tum importune, quasi talpæ mortuæ aperientur, agnoscentq; ipsam dexteram, cum illius flagella uel in inferno persentiscent. Eiusdem quoque dexteræ magnitudinem, etiam in proximo, uel nolentes profiteri cogentur, tum solo uerbo eius, phana, excelsa, luci, pompa, diuitiæ, gloria, & omnis Satanæ altitudo, quæ apud eos cernitur, radicitus corruet.

Porro cū nō iuuat nos dominus, aduersatur nobis, uastatq; nos. Sanctos quippe suos nunquam derelinquit. Nanq; in eius auxilio, & protectione habitant & commorantur.

morantur. Dicuntq́; domino. Susceptor meus es tu, & refugium meum, deus meus, sperabo in eum &c. Psal. 90. Reprobi autẽ, quia sunt extra gratiam Dei, ipso illis aduersante, uastantur. Idem ergo signatur, uaria præscripti textus translatione. Quod si ut probauimus, tũ deus nostri obliuisci dicitur, cum à nobis suum auxilium subtrahit, tum quoque nostri recordari dicitur cum auxiliatur. Psal. 73. Memento congregationis tuæ, quàm possedisti ab initio, hoc est, illi auxiliare.

Peccatorum autem nostrorũ, quasi obliuiscitur, dum illa dimittit ac nos pro illis minime punit. Psal. 78. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, id est, illas nobis dimitte, & pro illis nos minime puni, ut meremur. Propter quod subiunxit. Cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. Tum uero dicitur illorum recordari, cum ea non remittit, proq́; illis sua flagella immittit. Psal. 73. Memor esto improperiorũ tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt tota die. Ne obliuiscaris uoces inimicorum tuorum. Ne remittas malignitates hostium tuorum, sed pro eisdem illos flagellis cede. Sic & capitur illud psal. 130. Memor esto domine filiorũ Edom, in die Hierusalem. Qui dicunt. Exinanite, exinanite, usq; ad fundamentum in ea.

Et domui Iuda miserebor.

Domui Iuda hanc misericordiam spondet, ut tametsi illam pro suis impietatibus animaduersurus erat, eam tamen non sic erat puniturus, ut non staret Dei sermo, quē

Iacob prophetans, dixit: Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec ueniat qui mittendus est. Genes. 49. Neque enim fieri potuit, ut ob carnalium Iudæorum incredulitatem euacuaretur, irritáque fieret promißio Dei, quin potius illam impleri necessum fuit, ut illorum iniustitia Dei iustitia gloriosior redderetur. Nostra quippe iniustitia, Dei iustitiam commendat. Roman. 3. Et dum ab incredulis, mutabilitatis ac crudelitatis perperam arguitur, quàm bonus sit, quamq; uerax in suis promißionibus, & iustus ac fidelis in omnibus uerbis suis indicat, cum etiam maxime aberrantium miseretur, & non obsistentibus etiam inferi portis, & quibusuis horrendißimis criminibus, quod perpetuo fœdere stabiliuit, obseruat. In quem sensum, Dauid à Deo misericordiam petens, adiecit: Vt iustificeris in sermonibus tuis, & uincas, cum iudicaris. Psal. 50. In quem etiam sensum, hunc locum Paulus adlegauit. Rom. 3. Proinde, tametsi domum Iuda adflixit, nunquam tamen abstulit misericordiam ab illa, ut sceptrum in ea maneret, quoadusque Dominus IESVS Christus in carne adparere dignaretur. Regnãtibus quoq; Regibus etiã impijs. Iudam multoties ab hostibus mirifice liberum fecit. In Babylonem itidem translato populo, nunquam defuit ex domo Iuda, Princeps & Dux. Et post annos septuaginta, à Babylone in Iudæam reducti sunt. Domus uero Israël, id est, Regnum decem tribuum, non fuit reductum in terram suam. Verum, quamuis hic locus generaliter adcipi poßit, pro eiusmodi beneficijs Do

mini, in Iudæos collatis, tamen specialiter uidetur intelligendus, de insigni uictoria, quæ sub Ezechia fuit, ac de præclarißimo fideliũ triumpho, quo sola fide, peccatum, mortem & infernum, atque simul mala omnia uincunt, quod sequentia uelle uidentur.

Et saluabo eos in Domino Deo suo, & non saluabo eos in arcu, & gladio, & in bello, & in equis, & in equitibus.

Nimirum, sub eodem Ezechia Rege Iuda, obsidentib. Aßyrijs Hierosolymam, nocte una, Angelus Domini occidit ex eis centũ octogintaquinq; millia, 4. Reg. 19. sicq; salui facti sunt, sine arcu, gladio, bello, equis et equitibus. Perfectißime autem hæc gloriosa salus quotidie impletur in fidelibus, qui sunt ueri Israëlitæ, et uera domus Iuda, in qua Dominus IESVS Christus regnabit in æternum, ut apud Lucæ Euangelium cap. 1. abunde tractauimus. Hæc salus est in solo Domino, non in gladio, arcu, equis, exercitibus multis, iustitijs externorum operum, aut quibusuis rebus creatis. Quandoquidem sola fide in Christum, Dei unigenitum, salui efficimur, à peccato, morte et inferno, atq; simul ab omni malo. Nam eiusdẽ fidei mirabili efficacia, fit ut etiam aduersa quæcunq; electis ꝓficiant in æternam salutem. Proijciunt omnem cogitatum suum, in eum qui est cunctorum moderator, scientes, ꝙ illi multa sit cura de nobis. Omni quoq; solicitudine bene ex fide oꝑantur, ꝙ id acceptum fore coram Domino, suo uerbo agnoscant: uerum non nisi cum omni eorundem oꝑum diffidentia, & purissimi

ſima in ſolum Deum fiducia. quicquam faciunt. Hoc eſt, Non fidunt ſe quidquam ex ſeipſis mereri, aut Deo gratū efficere poſſe, ſed tam multum ſentiunt, de Domini bonitate ut non dubitent illum grata habiturum ipſa opera, ob ineffabilem bonitatem ſuam, & Seruatoris optimi, in cuius nomine & fiducia omnia faciunt, gratiam & merita præclariſsima.

Si infirmantur, & medicos uocant, ac iuxta eorum cōſilia faciunt, ſic hæc faciunt, quaſi ea non facerent: id eſt, neque medicis, neque medicinis quidquam fidunt, ſed medico ſupremo omnium moderatori.

Si gladijs in protectionem ſui aut ſuorum adcingūtur, aut arces, machinas, clypeos, haſtas, aurū, diuitias, equos, currus, equites, aut quæcunq; bellica habent, ſic ea habent, quaſi non haberent. Enimuero nihil illis omnibus, ſed prorſus omnipotēti & fortiſsimo protectori Deo, omnium exercituum Domino fidunt. Etenim niſi ille uictoriam tribuerit, nemo uincet, quantumlibet his, quæ ad bellum ſpectant, abundet.

Dum operantur, et ſudore manuum panē quærunt, nō ſuo opi aut ſudori, ſed Domīo fidūt, à quo, nō à ſuo opere, uitæ neceſſaria expectant. Operantur uerūtamen diligentiſsime, ut adquieſcant imperio Domini, qui ait, Geneſ. 3. In ſudore uultus tui ueſceris pane. Nam ſi operi tuo fidis, incidis in Domini maledictionē, q; ponas carnem brachiū tuum. A Deo autē habes, q; operari potes. In Deum ergo ſolum, non in munus qđ ab illo habes, fiducia eſt habenda.

Si ministri uerbi sunt, & omnibus linguis, omnique eruditione præpolleant, non ipsi sufficientiæ, sed Deo, à quo est ipsa sufficientia, omnino fidunt. Si amicos habent, & multos quidem etiam potentißimos, non in eos, sed in Deum uniuersorum cordium rectorem, illáque habentem in manu sua, fiduciam habent. Si quidquam promittunt, non id faciunt, ut fidant se propria uirtute implere promißum, scientes, quòd à se mendaces, uermiculi fragilißimi, nulliusq; uirtutis, constantiæ, ac ueritatis sint, sed in eum qui ueritas est, & à quo est omnis uirtus credunt, proprium cogitatum in eum iacientes, non dubitantes, quòd illius auxilio, & directione Spiritus eius, quod promiserunt, sint impleturi. Idem faciunt, dum eisdem quidquam ab amicis promittitur. Et sic de cunctis similibus. Summa summarum. Profitentur, in Deo solo ueram esse salutem, ideóque illi soli fidendum in omnibus, non diuitijs, fortitudini, amicis, potentiæ, aut reliquis omnibus. Et qui eiusmodi sunt, perire non possunt. Nam Deus est protector, Saluator, & prouisor omnium sperantium in se, quemadmodum in diuinis literis, nullibi non inculcatur. Quia autem à nulla re extraria, sed à solo DEO, se posse salutem consequi firmißime credunt, unde & saluantur, iuxta præscriptam sententiam, sine arcu, gladio, equis, & omnibus creatis, in solo Domino DEO suo salui fiunt.

PARS QVINTA.

Et ablactauit eam, quæ erat absque misericordia, & concepit, & peperit filium. Et dixit ei: Voca nomen eius, Non populus meus, quia uos non populus meus, & ego non ero uester.

Per id, quòd filia, uocata, Absque misericordia, à lacte amouetur, quidam uolunt designari, omnem consolationem (quam per lac capiunt) ab Israël fore subtrahendam. Sed uere commenticium est, nec quidquam tale hic locus expostulat. Denique omnem consolationem, ab electis ex Israël, etiam translatis in Aßyrios, minime subtraxit, sicut paulo ante diximus. Porrò hunc locum, ex ipsius textus consequentia, ita adcipere neceßc est, quòd Oseæ coniunx, non prius ab illo concepit, quàm dictam filiam ablactarit.

Ablactata ergo filia, Gomer filium concepit, ac peperit, quem Deus iubet adpellari, Non populus meus, in portentum domui Iuda, quòd reijciēda foret, ob id uel multo maxime, quòd Christum in carne adparentem nō susciperet, & suum esse Regem abnegaret. Iohan. 19. Non habemus Regem, nisi Cæsarem. Et rursum: Noli scribere, Rex Iudæorum. Quod ita oportere adcipi, palàm fit. Danielis. 9. Post hebdomadas sexaginta duas, occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est. Item Ro. 9. ubi principium sequētis cap. quod ab eo loco pēdet, adlegauit de gentibus, quæ Iudæis reiectis, Dei plebs uocantur. Excisi nanque fuere Iudæi, quasi rami ab olea, ut Gen

tes insererentur. Verum potens est Deus, iterum insere-re illos, quod & fiet. Nam cæcitas ex parte contigit illis, donec plenitudo Gentium introierit, demúmque introibit & omnis Israël, ac saluus fiet, sicut scriptum est: Veniet ex Sion, qui eripiat, & auertat impietatem ab Iacob. Ro. 11. Etenim nihil futurum dubitamus, electos ex toto Israël, ad Christũ fore conuertendos. Reliquiæ etenim Israëlis saluæ fient. Hinc Esaiæ 10. & Rom. 9. Et erit in die illa, non ad ijciet residuum Israël, & hi qui fugerint, de domo Iacob, inniti super eum, qui percutit eos (mundo, Satana, Principibus, scientia, potentia, et quauis re creata) sed innitetur super Dominum sanctũ Israël. In ueritate reliquiæ cõuertentur, reliquiæ, inquam, Iacob ad Deum fortem. Si enim fuerit populus tuus Israël quasi arena maris, reliquiæ conuertentur ex eo. Reliquiæ sunt electi, et sic ideo uocantur, quòd sibi eos reseruet, & relinquat Deus, ne pereant, & quantumlibet in eos desæuiant mũdus, caro, & infernus, non possunt eos rapere de manu Domini. Ioã. 10. Nam in sanctorum benedicta sorte, illos relinquere compelluntur.

Porrò, ne reiecto Israël, id est, Regno decem tribuum, domus Iudæ, quæ toties à Domino per idololatriã fornicata fuerat, præscripta misericordiæ promissione magis insolesceret, eam etiam reijciendam, Deo iubente, Propheta prædixit, tametsi præcipuam huius abiectionis causam, nempe CHRISTI abnegationem, illis tum minime patefecit.

Sunt

Sunt complures, qui in Iudæorum populos insanire uidentur, de eis sentientes, quòd sint indomabili corde, duræq; ceruicis, & corde præ cæteris obstinatiore. Nec uident, quòd natio, sicut neque pios, ita neque impios facit. Sit homo cuiuscúnque gentis, aut nationis, sine Dei Spiritu, duræ in Deum ceruicis, obstinatique animi, nunquam non erit. Qui mox ubi Dei Spiritum ad=ceperit, mox fiet corde tractabili, & in Dei uoluntatem paratißimo. Sanctißimi, & Deo obsequentißimi fuere Israëlitæ, ubi aderat Spiritus, sic & aliæ gentes, quibus, ubi illis defuit idem Spiritus, nihil ceruicosius, prophanius, abominabiliúsque fuit unquam. Generaliter ergo sunt hæc capienda, de omni natione, quæ sub cælo est, quòd uidelicet Deo adquiescere, & non eße duræ ceruicis ualeant absque Spiritu Sancto, quo præsente, ad omnem Dei iussionem maxime uoluntarij fiunt.

Quid dicet reproba Filij perditi Synagoga, quæ Iudæos ipsos sic odire uidetur, ut eos putes, cum ceruice illorum durißima, nihil habere commune? Vlulant in delubris suis, clamantque multoties. En gentem execrabilem, quæ non cognouit SERVATOREM SVVM, IN CARNE VENIENTEM, quin potius illum odio habuit, persecuta est, blasphemauit, & crucifixit. O si tum fuissemus, nihil tale fecissemus unquam. Mētiris ò fallax conuratio, mentiris in caput tuū. Nam grauiora forsan absque similitudine, in eum fecis=

ses. Quis Iudæorum te crudelius, unquàm surrexit in
Deum, Christum, Ecclesiam, & ueritatem eius? Non
ne hæc omnia, perinde atque aspidis uenena, ac nocentis
simos Basiliscos abominaris? Fingis te fouere ueritatis
sermonem, quem ut tuarum traditionum Idola statuas,
subdole abscondere, ac perinde atque abiectißimum
terræ puluerem conculcare niteris, omnésque dilectores
eius, persequeris, diuexas, occidis. Nonne ipsißima
Satanæ figmenta, mendacia execrabilia, & abomina
tiones fornicationum sunt, quæcúnque in te reperiun
tur, ó insana meretrix Babylon? Dißipet te DOMI
NVS, Spiritu oris sui, & illustratione aduentus sui,
& dicat omnis populus, fiat, fiat.

Iudæi ergo abiecti fuerunt, ne sint DOMINI po
pulus, quód CHRISTVM non susceperint, ne
que in illum crediderint. Deus quoque dicit, se non fu
turum illorum Deum: Nimirum, incredulorum De
us minime est. Quandoquidem illud pro Deo cuique est,
cui maxime credit, & fidit. Proinde, diuitiæ & gloria hu
ius mundi, carnis sapientia, traditiones humanæ, & cæte
ra huiusmodi, quibus impij fidunt, sunt fallaces dij, & ido
la eorum. Sic Ecclesia perdita, habet Idola sua, quibus
abiecto Deo uiuo & uero, in suum interitum fidit & hæ
ret. Si cuipiam uiuentium fidis, id tibi Idolum, & deso
lationis abominatio est. Si auro, diuitijs, potentia, ami
cis, industria, operibus, arte, experientia, per id De
um

um abnegasti, adorasq; deos recentes, alienos, & inefficaces. In Hebræo non habet DEVS, sed tantum, Et ego non ero uester. Verum DEVS subauditur, itidem quæ Dei ppria sunt, nẽpe, protector, Saluator et director.

Sensus est: Quia repulistis & abnegastis me, & me abiecto Idolis adhæsistis, nolo esse amodo uester, qui uos olim tanti feci, ut nihil uestris patribus intimius fuerit, quàm ego. Nanque nedum mea, sed & meipsum uobis tradideram, nihilque uobis abnegabam, quod conduceret. Nunc uolo alienus esse à uobis, nolóque ut sitis populus meus, nec solo quidem nomine. Fuistis diu populus meus, sed in hypocrisi & mendacio, & semper ueritati obstitistis, nunc consequens est, & æquissimum, ut cunctis palam faciam, quod nihil minus sitis, quàm populus meus. Nulla siquidem uobis in me pars est, quoniam abieci uos.

O iudicium horrendissimũ, abijci à Domino, ne simus Domini populus. Quod Iudæis carnalibus factum est, nunc impletur in falsis Christianis, his maxime, qui ad Regnum apostaticum spectant, et bestiæ characterem habẽt, atq; amant. Serua nos Domine IESV Christe, & confirma in ueritate tua, & noli abijcere nos, Quid faciemus, si non es noster? Quid habemus, quid nobis utile esse potest, sine te? Perimus, nisi sis protector, & auxiliator noster. Aufer quod uolueris, flagella nos, tantum sis tu noster, & Dominus & Deus, & Pater, & Seruator. Adorauimus Idola sæculis multis, quia nos excæcauerant in-

uenta nostra, sed splendescit lux ueritatis tuae, & uidemus quàm aberraremus à te. Vae, uae nobis, quia peccauimus, Sed tu miserere nostri, & serua nos secundum nomen tuum. Tu solus spes, salus, gloria, & refugium nostrum es. Noli nobis sic unquam maledicere & irasci, ut nobis dicas: Non populus meus uos, & ego non ero uester. Ardet Domine cor nostrum ad te, & nos populus pascuae tuae, & oues manus tuae. Pasce nos purißimo uerbo tuo, & fac, ut mortifera hominum inuenta abominemur. Fac nos audire solam uocem tuam. Vox enim tua dulcis, praeter quam omnis alia amarißima est, & ad mortis somnum crudeliter prouocat, seq; audientes seducit.

OMNIVM PRAECEDENTIVM ALLEGORIA.

Quoniam allegoria est huic loco conuenientißima, non fuerit inutile, si hanc Oseae hystoriam ad mysterium transtulerimus. Oseas Saluator interpretatur, & typum CHRISTI gerit. Is est filius Beeri, id est, putei mei, Dei scilicet, qui de seipso dicit: Me dereliquerunt fontem aquae uiuae. Hier. 2. de quo & Psal. 35. Apud te est fons uitae. Putei altitudo abyßum diuinitatis significat, qui simul cum unigenito suo, fons hortorum, & puteus aquarum uiuentium adpellantur. Canticorum quarto. Is filius caelestis & aeterni Beeri, ipsius altißimi decreto & iußione, naturam humanam, fornicariam, peccatricem, iniustam, miseram, perditam, uxorē duxit, & filios, quos in incredu litate

tate genuerat, itidem adſumpſit, dum pro nobis caro factus eſt, & habitauit in nobis· Ioan·1 fecit quoq; ex fornicaria caſtam, ex peccatrice ſanctam, ex iniuſta iuſtam, ex miſera felicem, ex perdita ſeruatam· In ſe quippe eſt, carnalis, imprudens, fornicaria, fœda, polluta, ingloria, in ſponſo uero, ſpiritualis, ſapiens, fidelis, formoſa, immaculata, glorioſa· Hinc dicitur Canti·1· Nigra ſum ſed formoſa· Nigra in me, formoſa in ſponſo Chriſto domino·

Tres filij poſtmodum geniti, omnes qui pro fidelibus haberi uolunt, deſignātur: Primus Iezrael, hoc eſt, ſemē dei, eſt paucitas electorum & ſyncere credentium, alij duo ſunt hypocritæ, & pſeudocredentes, quorum eſt ingens multitudo, è quibus filia, ſynagogæ Antichriſti, filius uero Mahumetarum ſiue Turcarum & Agarenorū figuram tenet· Illa ſine miſericordia recte uocatur· Quia enim, ſe proprijs operibus poſſe iuſtificari, & miſericordiam conſequi arbitratur, quod eſt impoſſibile, ideo abſq; miſericordia eſt, & remiſsionem peccatorum ac gratiam domini adſequi nequeunt· Iſti uero quantūlibet, pro dei populo haberi uelint, nihil minus quàm populus domini ſunt· Tametſi et hypocritæ ſiue Antichriſti Eccleſia, non habeant partem in deo uiuo & uero, nec ſint populus eius·

CAPVT SECVNDVM·

Cap S·

Cap. 8. Primum gentium conuersio, & illarũ cum Iudæis sub uno capite unio prædicitur. Secundo cõuersis ex Iudaismo iubet, ut synagogam pietati repugnantem arguant, & increpent. Tertio illius fornicationes recenset, permixtisq; sententijs illi propterea comminatur. Quarto ultimam eiusdem cenuersionem prænunciat. Quinto de conuersis ex gentibus denuo memoriam facit.

PRIMA PARS.

ET erit numerus filiorum Israel, quasi arena maris, quæ sine mẽsura est, & non numerabitur. Et erit in loco ubi dicetur eis. Non populus meus uos, dicetur eis filij dei uiuentis.

CONVERSOS ex gentibus, spiritus sanctus hic Israël uocat, quod fidem Iacob qui & Israël dictus est, imitentur. Nimirum non omnes, qui secundum carnem sunt ex Israël, sunt Israelitæ (ueri) nec quia sunt semen Abrahæ statim omnes filij, sed sicut scriptum est: Per Isaac nominabitur tibi semen. Gen. 21. hoc est, non qui filij carnis, hi filij dei, sed qui sunt filij promißionis, recensentur in semen. Promissionis enim sermo hic est. In tempore hoc ueniam, & erit Saræ filius. Rom. 19. de hoc uero Israëlis semine. Esa. 44. scriptũ est. Effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem

dictionem meam, super stirpem tuam, & germinabunt inter herbas, quasi salices iuxta præterfluentes aquas. Iste dicet. Domini ego sum, & inuocabit in nomine Iacob. Et hic (conuersus ex gentibus) scribet manu sua domino (sic scriptis et operibus, quæ per scripturam manus capiuntur, domini esse profitens) Et in nomine Israël adsimilabitur, quia scilicet erit uerus Israëlita. En uides omnes credentes filios Israel dici, etiam si secundum carnem filij Israël minime sint.

Porro hunc locum, & nonnulla immediate sequentia, de conuersis ex gentibus oportere intelligi, patet Ro. 9. ubi Apostolus ait. Quod si deus uolens ostēdere iram, & notam facere potentiam suam, tulit multa animi lenitate uasa iræ, adparata in interitum, ut notas faceret diuitias gloriæ suæ, erga uasa misericordiæ quæ præparauerat in gloriam. Quos & uocauit, nimirum nos, non solum ex Iudæis, sed etiam ex gentibus, quemadmodum & Oseæ dicit. Vocabo populum qui meus non erat, populū meum, & eam quæ dilecta non erat, dilectam. Et erit in loco, ubi dictum fuerat eis, non populus meus uos, ibi uocabuntur filij dei uiuentis. Ad id spectat, quod habetur. 1. Pet. 2. Qui quondam eratis non populus, nunc autem populus domini, qui quondam non consecuti misericordiam, nunc estis misericordiam consecuti.

Igitur, numerus filiorum Israël, id est, credentium, erit quasi arena maris &c. id est, innumerabilis, propter conuersionem ex gentibus. Et erit in loco (in quo uiget idolorū

idolorum cultus) ubi (ante eorum conuersionem) dicetur eis (à Domino) Non populus meus uos (quia mihi non creditis) dicetur eis (à Domino posteaquã crediderint) filij dei uiuentis, estis scilicet ob fidem.

Et congregabuntur, filij Iuda, & filij Israel pariter. Et ponent sibimet caput unum.

Hæc congregatio est unio illa sacrosancta, qua domini seruatoris spiritu, & una in eum fide, filij Iuda, id est, conuersi ex Iudaismo, & filij Israël, id est, conuersi ex gentibus, in unam Ecclesiam congregantur. Hinc dixit Christus Ioan. 10. Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere. Et fiet unum ouile, et unus pastor. Ex ouili conuersorum, ex Iudæis & ex ouili conuersorum ex gentibus fit unum ouile, una Ecclesia sancta, sub uno pastore & capite Christo. Quem esse fidelium caput, Paulus adserit. Ephe. 1. Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius. Et cap. 5. Vir caput est mulieris, sicut Christus Ecclesiæ. Rursumq; Col. 1. Ipse caput corporis Ecclesiæ. Quod si Christus est caput Ecclesiæ, ipsa est corpus eius. Et omnes fideles, sunt unius corporis sub eodem capite membra.

Et ascendent de terra, quia magnus dies Iezrael.

Non uidetur hic ascensus à terra significare pullulationem, siue multiplicationem (quod nonnulli uoluerunt) quod huius multiplicationis sub typo arenæ maris paulo ante meminerit. Cæterum eiusmodi enarratio, nimium à

textum

textus simplicitate abscedit· Porro aliud nihil hic designã dum putarim, quam quod terrenis primum dediti, cælestes, & carnales spirituales fiunt, indiesq; magis fide, charitate, ac reliquis sancti spiritus charismatibus adaugentur· Dum enim quotidie seipsis iustiores fiunt, & ab amore ac fiducia terrenorum, ad Christi fiduciam, & ea quæ Christi sunt conuertuntur, quasi à terra ascendunt· De hac ascensione, Dauid sanctus ait· Psal· 83· Beatus uir cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit in ualle lachrymarũ, in loco quem posuit· Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de uirtute in uirtutẽ, donec uideatur deus deorum in Sion· Ad hunc felicissimum ascensum, nos Paulus adhortatur· Col· 3· Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera dei sedens· Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram· In terra sunt, de quibus Phili· 3· Multi ambulant, quos sæpe dicebam uobis, nunc autẽ & flens dico inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum deus uenter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt· A terra uero ascenderant, de quibus ibidem subiungitur· Nostra autem conuersatio in cælis est·

Sed ad quid à terra ascendent? Quia magnus dies Iezrael· Magnus, sublimis, præclarus, admirabilis, atq; totus desyderabilis est hic dies· Hic est dies Christi: Cuius ipse est sol iustitiæ· Malach· 4· Itidem & uera lux· Ioan· 1· Lumenq; ad reuelationem gentium· Lu· 2· Quo infidelitatis tenebræ propelluntur· Hic dies initium habuit, cum

radij præscripti solis primum adparuerunt. Quod fuit in mundi principio, dum serpentis caput, per mulieris semen conterendũ, dominus prænunciauit, & promisit. Inimicitias, inquit, ponam inter te & mulierem, & semen tuum, ac semen illius, ipsum (semen) conteret caput tuum. Gen. 3. Creuit demum sensim hic dies, cũ adcreuit huius seminis cognitio, & fides in illud, quemadmodum cum Abraamo, Iacob, Dauidi, promißiones de eo factæ sunt, & ipsæ promißiones, per Prophetas semper inculcatæ. Tandem iste dies, factus est magnus, gloriaq; illius innotuit, cum filius Dei carnem adsumpsit. Solis huius diei, nempe Christi, splendor & radij sunt, spiritus illustratio, fides, spes, charitas, & quæcunq; ab eodem spiritu, atq; ex fide sunt. De hoc die Paulus ait. Rom. 13. Nox præceßit, dies autem adpropinquauit. Diem uocat, magnitudinem diei Christi, qui & dies Iezraël dicitur, hoc est, dies seminis Dei, scilicet tam ipsius Christi, quàm uniuersorum in illum credentium, qui per eius spiritum semen & filij Dei fiunt. Enimuero potestatem contulit Deus electis, ut filij dei efficiantur, credentes in eum. Ioan. 1. Porro Iezraël, semen Dei interpretatur.

O uere amabilem & præclarissimum diem, uniuersum scilicet tempus, quo Christi ueritas & Euangelium cognoscitur. Hic est dies iustitiæ Dei, cuius dominus Sol, ut prædiximus, nuncupatur. Hinc psal. 71. Orietur in diebus eius, iustitia & abundantia pacis. Eius quippe iustitiæ plenitudinem adcepit, ex qua fiunt participes, quotquot

quot credunt in eum·Ioan·1· Proinde dicitur Rom·5· Sicut per unius delictum propagatum est malum in omnes homines in condemnationem, ita per unius iustitiam propagatur bonum in omnes homines ad iustificationem uitæ· Et multa ad id eodem capite· Etenim quemadmodum per Adæ peccatum mors & tenebræ factæ sunt, ita per Christi iustitiam, ipsa nox & tenebræ pelluntur, & lucis ac claritatis dei, sacer ac gloriosus dies adcedit· Qui præter antedicta, idcirco à Propheta magnus dicitur, quod innumeri credituri essent, sitq; prædicta iustitia sempiterna· Dan·9· Septuaginta hebdomadæ adbreuiatæ sunt super populũ tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consumatur præuaricatio, & finem adcipiat peccatum, & deleantur iniquitates, & adducatur iustitia sempiterna.

Dicite fratribus uestris, populus meus, & sorori uestræ, misericordiam consecuta.

Conuersis ex Iudaismo imperat dominus, ut eos qui ex gentibus crediderunt, consolentur, illis dicentes, quod facti sint ex fide populus suus, ac misericordiam consecuti· Id quod Apostoli & discipuli Christi fecerunt· Quandoquidem gratiam Dei & remissionem peccatorum, credentibus uniuersis annunciarunt.

Fratris deinde ac sororis nominibus, fideles cunctos

Dei Spiritus honorat, ut quã uelit eos habere Spiritus ge
manitatem, uel ex hoc palàm faciat. Omnes enim unũ su
in uno Spiritu IESV Christi. Hinc est, quòd Paulus e
ad quos scripsit, fratres paßim adpellauit. Hæc est sacr
sancta fraternitas, ex qua nullus est, nisi Spiritum Chr
sti habeat. Proinde ex ea non sunt falsi Christiani, n
quispiam ex his, qui ad Antichristi Synagogam spectan
tametsi Pharisæi, qui ad eam pertinent, præ omni natio
quæ sub cælo est, fratris & sororis uocabula, sibi in men
cio & hypocrisi uindicant. Nimirum, nihil minus, qu
fratres sunt. Nam quid in eis uides, nisi inuidiam, sim
tates, ambitionem, iracundiam, murmura, detractione
superbiam, & reliqua eiusmodi, quæ ueræ fraternit
ti sunt oppositißima.

Igitur solum inter ueros fideles est uera fraternitas, (
in eis uera Spiritus germanitas sit, id quod Dominus ap
te dicit, Matth. 23. Omnes uos fratres estis. Huic collat
omne carnis uinculum, cognatio, amor, natio, uicinitas, n
hil sunt præterquam fictio & mendacium. Omnes en
quæ sua sunt, quærunt, non quæ IESV Christi. Quod
multo maxime in Sectis perditionis nullus non uidet, n
qui cæcus est. Cæterum, qui in Christo, fratres, german
unum sunt, nõ quæ sua sunt, sed quæ IESV Christi, & p
ximorum, modis omnibus uolunt et requirunt. Enimuer
ipsam fraternitatem operibus protestantur. Disperdat o
mnipotens Deus omnes fallaces apostatici Regni ac Syn
gog

goge Antichristi fraternitates, & sola Regni Christi fraternitas, quæ in æternũ est mansura, à cunctis ametur & suscipiatur, & dicat omnis populus, fiat, fiat.

Ex his, quæ ab huius capitis initio diximus, obserua nouem, quæ ad Dei Ecclesiam, & alia nouem primis opposita, quæ ad Antichristorum Synagogam spectant.

Primum, quòd soli fideles sunt ueri Israëlitæ, et uerum Abrahæ semen, Antichristi, uel falsi Christiani minime, quin potius sunt impiorum semen, quod dispcribit, Psalmo trigesimo sexto, semen mendax, Isaiæ primo, semen nequam, Isaiæ. 65.

Secundum, quòd ueri fideles sunt Domini populus, hypocritæ nequaquam, sed populus furoris Domini, Isaiæ decimo nono: grauis iniquitate & incredulus. Isaiæ sexagesimo quinto: stultus & non habens cor, Hiere. quinto.

Tertium, quòd fideles sunt filij Dei uiuentis, reliqui, filij diaboli. Iohannis octauo: Vos ex patre diabolo estis. Filij huius sæculi. Lucæ decimo sexto. Scelesti, Isaiæ primo. Mendaces & nolentes audire legem Dei. Isaiæ trigesimo. Insipientes & uecordes, Hieremiæ quarto.

Quartum, quòd soli credentes sunt plebs Dei misericordiam consecuta. Nam incredulis, nec gratia, nec peccatorum remißio tribuitur.

Quintum, quòd omnium fidelium una & eadem sola fraternitas est, Antichristi aut pseudocredentes, non nisi in hypocrisi, fratres in Domino adpellantur. Nihil e-

nim minus sunt. Rectius fratres in Satana uocarentur, q
illius filij sint, sicut prædiximus.

Sextum, quòd fideles cuncti, cuiusuis nationis, sexu
conditionis, unum sunt in Christo IESV, unumq; om
siue unam Dei Ecclesiam constituunt. Ex hypocritis co
surgit Ecclesia malignantium, Psalmo uigesimo quinto
& Satanæ Synagoga: Apocal. 2. & 3.

Septimũ, quòd unum est Dei Ecclesiæ caput, Christu
Dominus, cuius omnes fideles sunt membra. Synagogæ Sa
tanæ caput summum est Draco, qui & Diabolus. Apo. 12.
Aliud, bestia coccinea, habẽs capita septem, Apocalip. 17.
id est, Filius perditus, magnus ANTICHRISTVS, c
ius septem capita, sunt omnes Tyranni Regni sui, & Pri
cipes qui illi fauent.

Octauum, quòd fideles ascendunt à terra, id est, seipsi
spiritualiores indies fiunt, hypocritæ semper ad deterior
prolabuntur, & fiunt carnaliores. Nam superbia eo
rum qui Deum oderunt, ascendit semper.

Nonum, quòd ueri credentes, sunt in magno die Iezra
el, id est, seminis Dei & electorum. Nam ex fide fiun
participes luminis Spiritus, ac iustitiæ Dei. Hypocritæ
uero, iniusti, cæci, & impij, in nocte & tenebris, ac sin
Dei Spiritu manent.

PARS SECVNDA.

Iudicato

Iudicate matrem uestram, iudicate, quia ipsa non uxor mea, & ego non uir eius.

Contendite (siue litigate, uel inite iudicium) cum matre uestra, contendite &c. Hebrae.

Haec mater, non est sola Hierosolyma, sed fornicaria carnalium Iudaeorum Synagoga, quae Dei unigenitum in carne adparentem, suscipere recusauit, atque ut paulo ante uidimus, proinde abiecta fuit, ne sit Domini populus. Nam ijdem, qui ibi per populum, hic per matrē capiūtur. Porrò, his qui ex ea crediderūt, iubet Dominus, ut eandem incredulam matrem arguant, et carpant, & cum resistente iudicium ineant, litigent, & contendant. Dum audis cōtentionem, nihil impium, rixosumue Deum mandasse suspiceris, sed instantiam doctrinae ueritatis, quantumuis illi ab incredulis resistatur, quale est, dum initur iudicium cum ueritatis hostibus, & solis scriptis Dei, res agitur. Opponenda sunt impijs ipsa scripta, quibus praeualere nunquam poterunt. Illi praelientur cum suis phaleratis equis, multitudine curruum, gladijsque, fustibus, ac armis, id est, loricata, ampullosa, superba, et armata philosophia, decretis & somnijs, nos solo Dei uerbo illis fortiter resistamus, in fiducia eius, qui dicit, Lu. 21. Ego dabo uobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & cōtradicere omnes aduersarij uestri. Ergo impppria est uulgata translatio, iudicate matrē &c, nisi sic capiatur: Iudicium habete cum matre uestra: quod & septuaginta uoluerunt, dicentes: Iudicamini cum matre uestra, iudicamini.

Sic est hoc iudicium, Synagoga carnalium Iudæorum, in erroris spiritu ait: Populus Dei, & semen Abrahæ sumus. cui serui Dei cum Christo respondent: Vos ex patre diabolo estis. Ioan. 8. & multa ibidem. Dicunt etiam: Nos sumus Ecclesia Dei, Sponsa eius dilecta. Aiunt credentes: Vos non estis Sponsa Dei, sed estis adultera, & fornicaria meretrix. Ezech. 16. & 23. Repudiauit namque Deus, carnalium & incredulorum, etiam ex Israëlis populo Synagogam, dicens hoc loco de eadem. Ipsa non uxor mea, & ego non uir eius. Qua. di. Ecclesiam Sanctorum, quæ uos antecessit, & fidem & opera Abrahæ fuit imitata, quasi unicam Sponsam dilexi, foui, iuui, & nunquam deserui. Cæterum uos, putatis uos felices, qui ex Abrahamo secundum carnem estis, & ob id pro populo ac Ecclesia Sponsa mea uultis haberi, cum nihil minus sitis. Ideo nolo uos amodo habere pro Ecclesia mea charissima, cum sitis ipsissima Satanæ Synagoga.

Quidquid autem de carnalibus Iudæis hic dicitur, de hypocritis, Sectarum amatoribus, & pseudocredentibus nunc impletur. Enimuero, quia nihil minus quàm Dei Ecclesia sunt, sponsa eius Ecclesia esse non poßunt, sed sunt perditorum Synagoga. Et uere huic Synagogæ impijßimæ, ex falsis Christianis siue Antichristis collectæ, à Domino IESV Christo hodie dicitur: Tu non uxor mea, & ego non uir tuus. Nimirum fornicationibus innumeris est commaculata. Nam rupto fidei sacratißimo nexu, ac contempto florido & impolluto pacis Christi lectulo,

(Cæ

(Canti.1. Lectulus noster floridus) adulteris suis, nempe, iudicio carnis, diuitijs, terrenorum abundantiæ, factis, hominibus, sectis perditionis, ac reliquis id genus idolis, quibus fidit, est in suum interitum commixta. Tot nanque multiplicauit sacrificorum altaria, phana templorum sacellorumq́; nunquam à Deo institutorum, claustrorum & sectarum excelsa, ac uotorum ad hunc uel illum locũ, abominabiles lucos, ut nihil feré reliquũ syncerae in Christum fidei, in terra relictum sit, oblitusq́; fermè sit orbis ipse totus Regni & templi Dei uiui, quod intra nos est, Regnum uero Antichristi confirmatũ et corroboratum.

Porró, his qui ab Antichristi Regno uel Synagoga defecerunt, præcipit Dominus, ut cum ea iudicium ineant, & contendant, & id quidem non seditioso tumultu, sed instantia sermonis Domini, per eum adserentes, quòd nihil commune cum Christo habeat, quódq; ab illo reiecta sit, ne sit Ecclesia sponsa eius. Iudicium habete (ait Dominus) cum matre uestra &c. Quid respondebunt pseudo prophetæ, & uulpes illæ, quæ demoliuntur uineam Domini? Adserent ne adhuc, quòd non liceat fidelibus conuersis Dei uerbo adgredi iudicium cum eis? Quousque sibi usurpabunt iudicium negotiorum Regni CHRISTI, quod ad omnes, qui habent Spiritum & uerbum eius, pertinet. Nihil metuãt fideles cuiusuis cõditionis, aut sexus hos titiones fumigãtes, nolẽtes ut eorũ abominatiões palàm fiãt. Nam etiam si carnem occiderint, anima uiuet, et cum spe resurrectionis & immortalitatis ipsius carnis, feliciter

in Domino requiescet. Sic carnales Iudæi occiderunt Apo-
stolos & discipulos Domini, quod eorum Synagoga[illegible]
reiectam prædicarent, & Martyres, id est, testes ueri-
tatis eßent. Enimuero præscriptam Domini iußionem
impleuerunt.

Ipsam quoque iußionem, quicunque parentes secun-
dum carnem, incredulos, & ueritati contradicentes ha-
bent, sibi necessariam putent. Nam credens filius, pa-
trem matrémque aberrantes, oportune adhortari, & ad
meliora prouocare, suámque illis notam facere perditi-
onem, & si causa exegerit, obstinatos durius increpa-
re tenetur. Aliter cum ipsis pereuntibus ipsi quoque pe-
rirent. Crudele etiam foret, eis non rependere, id quid-
quid est beneficentiæ, ut reuocent ad pietatem parentes
charißimos, quos per ignorantiam, uel imprudentiam,
aut execrabili tot seculorum consensu, aberrare conspici-
unt. Quod autem necessarium diximus, de filijs erga
parentes, idem de uxoribus erga maritos, & de quibus-
uis subditis erga Dominos, neceßarium fore non dubites,
modo Christianæ modestiæ non obliuiscantur. Itidem de
his, qui in erroris spiritu Monasticen admiserunt, per
quam à Christo apostatæ facti sunt, dum rursum illustra-
ti Domini Spiritu, ad Christum redeunt, & ab his Se-
ctis mendacibus apostatant, aut in eis manentes, ab illis a[illegible]
mo diuiduntur. His, inquam, præcipitur, ut cum matre su[a],
nempe monastice iudicium habeant, illíque ex Dei uerbo
ostendant, quod nihil habeat commune, cum Ecclesi[a]

Domin[i]

Domini nostri IESV Christi, quod & ego ipse, ab his p̄ditionibus Dei misericordia ereptus, adquiescens Dei imperio, feci, in Minorum Regulam Commentarios ædẽs. O felix et necessaria apostasia, deficere ab Antichristo & sectis eius, in gratiam Domini nostri IESV Christi.

Auferat fornicationes suas, à facie sua, & adulteria sua (uel adulteros suos) de medio uberum suorum.

Ecce quid uelit à filijs conuersis Synagogæ aberranti dici. Auferat, inquit, fornicationes suas &c. Fornicaria dicitur, quòd pluribus fuerit per idololatriam copulata, adultera uero, quòd legitimo sponso infidelitate contempto, alijs reproba fide iuncta sit. Sic spreuit Dominum Seruatorem, Cæsarem, Romanos, Barrabam, mundique delitias, illi præferens. Siquidem nihil est, quod CHRISTO *& ueritati non præferat maligna & impia pseudocredentium multitudo.*

Denique facies, præsentiam, & quæcunque patent, indicat, ut Psalmo 50. Foderunt ante faciem meam (in præsentia mea) foueam. Et Psal. 81. Et facies peccatorũ sumitis imperpetuũ, id est, Omnia opa uestra peccata esse ppetuo ag oscuntur. Porrò in Dei præsentia sunt, quæ ille agnoscit. Omnia quippè nuda & aperta sunt oculis eius. Hebr. 4. Proinde uniuersa tam interna, quàm externa, coram illo facies sunt, at coram homine, qui sola quæ foris patent, consyderat, ipsa sola externa facies sunt.

Igitur carnalis Iudæorum Synagogæ facies, fornicati-

onibus plena erat corã Domino, à quo tam interne quàm externe apostatarat, & illo contempto Idolis adhæserat. Verum ab intus cepit fornicatio, et ad externa demum progressa est. Fide seruatur animi castitas & integritas, quæ infidelitate corrumpitur. Ergo infidelitas est fornicatio, & ab intus quidem, ex qua proficiscitur externa omnium operum quæ non sunt ex fide. Nimirũ, quidquid non est ex fide, fornicatio à Domino & peccatum est. Rom. 14. Siquidem quorumuis externorum operum facies, fornicationes haudquaquam sunt, nisi fuerint ab interna facie, scilicet à fornicaria mente profecta. Hinc dicitur Matthæi. 6. & Lucæ. 11. Lucerna corporis est oculus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. Oculus simplex est fides, iudicium, & intentio à Spiritu Dei proficiscens. Oculus nequam, est infidelitas, iudicium, & adfectus carnis. Corpus uero opera significat. Sensus est: Si adfuerint iudicium Spiritus & fides, totum externorum operum corpus, sanctum & mundum erit, quæ ubi defuerint, omnia impura & maculata erunt.

Ait ergo Dominus: Auferat fornicationes suas à facie sua. Hoc est, Abijciat infidelitatem cum fructibus suis, quæ in conspectu meo fornicationes sunt. Nam quidquid in eà uideo, fornicatio est. Fiat autem amodo fidelis in ueritate ambulans, & omnia ex pura in me fide, & sui ac omnium creatorum diffidentia operetur

Adulteria

Adulteria quoq; siue adulteros, uult à medio uberum auferri. Vbera in Scripturis mystice posita, consolationẽ siue delectationem, & eandem quidem uehementem significant, quales sunt immoderatiores carnis uoluptates, & excessus animæ iubilantis in Christo. Hinc Prouerb. 5. Vbera eius inebrient te. Id est, delectare in ea, & inebriare consolatione eius. Et capite septimo: Veni, inebriemur uberibus, id est, pariter in carne lætemur. At de his plenius in Salomonis Canticis tractauimus.

Igitur Synagoga, quasi in medio uberum adulteros habuit, dum Idola coluit, & illis adfectu ardentißimo cohæsit, Sponsoq; gloriosißimo Deo fidem nõ seruauit. Quia denique paruuli lac ab uberibus sugunt, ex hic positis adulterorum infirmitas noscitur. Nimirum non uerbum Dei, non fides, qua iusti uiuunt, neque alius eiusmodi solidus prouectiorum cibus, sed lac infantium, terrena scilicet ac carnalia pascunt. Nanque eis solis oblectantur. Quid enim uoluere dæmonia, quid gentes, quid pseudoprophetæ, nisi ut Israël Deo contempto, caducis terrenis, & carnalibus adquiesceret. Quibus dum Synagoga adquieuit, quasi paruulos lacte pauit.

Hanc præcipit Deus commonefieri, ut adulteros è medio uberum auferat, hoc est, ne alijs ab ipso ultrà fidat, nec alicui re aliter quàm in eo adficiatur. Nimirum illi est fidendum, & toto animo inhærendum, qui solus ex se, bonus, potens, sanctus, iustus, uerus, immortalis, & immutabilis est.

onibus plena erat corā Domino, à quo tam interne quàm externe apostatarat, & illo contempto Idolis adhæserat. Verum ab intus cepit fornicatio, et ad externa demum progressa est. Fide seruatur animi castitas & integritas, quæ infidelitate corrumpitur. Ergo infidelitas est fornicatio, & ab intus quidem, ex qua proficiscitur externa omnium operum quæ non sunt ex fide. Nimirū, quidquid non est ex fide, fornicatio à Domino & peccatum est. Rom. 14. Siquidem quorumuis externorum operum facies, fornicationes haudquaquam sunt, nisi fuerint ab interna facie, scilicet à fornicaria mente profecta. Hinc dicitur Matthæi. 6. & Lucæ. 11. Lucerna corporis est oculus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. Oculus simplex est fides, iudicium, & intentio à Spiritu Dei proficiscens. Oculus nequam, est infidelitas, iudicium, & adfectus carnis. Corpus uero opera significat. Sensus est: Si adfuerint iudicium Spiritus & fides, totum externorum operum corpus, sanctum & mundum erit, quæ ubi defuerint, omnia impura & maculata erunt.

Ait ergo Dominus: Auferat fornicationes suas à facie sua. Hoc est, Abijciat infidelitatem cum fructibus suis, quæ in conspectu meo fornicationes sunt. Nam quidquid in eâ uideo, fornicatio est. Fiat autem amodo fidelis in ueritate ambulans, & omnia ex pura in me fide, & sui ac omnium creatorum diffidentia operetur

Adulterii

Adulteria quoq; siue adulteros, uult à medio uberum auferri. Vbera in Scripturis mystice posita, consolationẽ siue delectationem, & eandem quidem uehementem signant, quales sunt immoderatiores carnis uoluptates, & excessus animæ iubilantis in Christo. Hinc Prouerb. 5. Vbera eius inebrient te. Id est, delectare in ea, & inebriare consolatione eius. Et capite septimo: Veni, inebriemur uberibus, id est, pariter in carne lætemur. At de his plenius in Salomonis Canticis tractauimus.

Igitur Synagoga, quasi in medio uberum adulteros habuit, dum Idola coluit, & illis adfectu ardentißimo cohæsit, Sponsoq; gloriosißimo Deo fidem nõ seruauit. Quia denique paruuli lac ab uberibus sugunt, ex hic positis adulterorum infirmitas noscitur. Nimirum non uerbum Dei, non fides, qua iusti uiuunt, neque alius eiusmodi solidus prouectiorum cibus, sed lac infantium, terrena scilicet ac carnalia pascunt. Nanque eis solis oblectantur. Quid enim uoluere dæmonia, quid gentes, quid pseudoprophetæ, nisi ut Israël Deo contempto, caducis terrenis, & carnalibus adquiesceret. Quibus dum Synagoga adquieuit, quasi paruulos lacte pauit.

Hanc præcipit Deus commonefieri, ut adulteros è medio uberum auferat, hoc est, ne alijs ab ipso ultrà fidat, nec alicui re aliter quàm in eo adficiatur. Nimirum illi est fidendum, & toto animo inhærendum, qui solus ex se, bonus, potens, sanctus, iustus, uerus, immortalis, & immutabilis est.

Quidquid

Quidquid autem de Carnalium Iudæorum synagoga hic dicitur, de omnibus hypocritis & pseudocredentibus dictum non dubites. Idem namq; iudicium est, de uniuersis carnalibus et incredulis, siue Iudæis, siue barbaris, siue græcis, siue alterius cuiusuis nationis. Nam tametsi sæpe moribus sint discordes, in hoc tamen uniuersi conueniunt, quod omnia eorum opera infidelitatis fructus sunt. Nam iste adulter est, quia incredulus, & ille homicida & raptor, quia incredulus, & sic de furibus, usurarijs, ebrijs, comeßatoribus, hypocritis, sectarũ dilectoribus, inuidis, hæreticis, ambulantibus in doctrinis dæmoniorũ & spiritibus impostoribus, atq; id genus impijs ac scelerosis uiris.

Ne forte spoliem eam nudam, et statuam eam, secundum diem natiuitatis suæ.

Non desunt, qui dicant, forte liberi arbitrij causa hic fuiße adiectum. Sed profecto nullus est uere liber, præter eum quem Altißimi filius in se credentem liberum fecerit. Ioan. 8. Nam alioqui, iniquitates suæ capiunt impiũ, & funibus peccatorum suorum quisq; cõstringitur. Prouerb. 5. Quod fatebatur, qui dicebat. Funes peccatorum circumplexi sunt me. Psal. 118. Qui ex fide uere liber factus, gratias agebat, dicens. Dirupisti uincula mea. Psal. 115. Ergo non ad liberum arbitrium spectat hic locutionis modus, qui haud secus est, atq; si quis filio ad implendam iussionem pigritanti, diceret. Fac quod iußi, ne forte uirgis cedam te.

Dicit

Dicit igitur· Auferat fornicationes &c· Ne forte spo liem &c· Sensus est· Nisi resipuerit ab idololatria, & destiterit morem gerere adulter[illegible]s, id est, fidere alienis à me, & colere deos nouos atque recentes spoliabo, id est, priuabo eam gratia, lumine, ac donis spiritus mei, qui bus perinde ac uestimentis gloriæ contegitur, & exornatur, sine quibus, non nisi misera, polluta, cæca, perdita, execrabilis domino, hostis eius, filia diaboli, Synagoga Satanæ, maledicta, fatua, abominabilis, & per omnia mi serabilis est· Obserua quod quidam enarrant hunc textũ, cum multis sequentibus, de Hierosolymæ euersione per Nabuchodonosor facta, sed non conuenit, quòd maxime de synagoga, Christum in carne uenientem, non recipien te capiantur· Alij eos exponunt de euersione, quam Romani fecerunt· Quam expositionem tametsi non abijcimus, ueruntamen satis esse neutiquam uidetur· Proinde nos hos locos, de grauioribus malis, uniuersis carnalibus ex Israël, qui Christum non receperunt, à Deo iuste missis, interpretati sumus·

Et ponam eam in solitudinem.

Spoliata Synagoga carnalis Israël, uestimentis gloriæ spiritus dei, & ab eo derelicta, in puris, ut loquuntur naturalibus, quid nisi solitudo infrugifera, desertumq́; est? Nimirum eo ipso est indurata, excitata, excœcata, inducta in tentationem, & non potest non errare à uijs Domini, nec fructus ueræ iustitiæ ullatenus proferre ualet, quod ex fide operari nõ possit· Omnes autem fructus

eius,

eius, sunt amari, insipidi, acerbi, mortiferi, quod ab infi-
delitate proficiscantur · De his libro de causis excæcatio-
nis &c· plene tractauimus·

Et statuam eam uelut terram inuiam:

Quæ ob infidelitatem derelicta, facta est, inculta so-
litudo, terra mox inuia fit, quæ nihil sanum utileq; produ-
cit· Ob id autem uel multo maxime, in hanc perniciem ue-
nit, qđ sermonē domini uelociter currentē (psal·18·) &
efficacissimum, qui sicut imber, inebriat terram, & ger-
minare eam facit, datq; semen serenti, ac panem come-
denti, sic fructum profert infidelibus (Esa·55·) in suum in-
teritum reiecit, dum illum nunquam pure admisit · Nam
tametsi illum se diligere adsereret, tamen in ueritate ni-
hil minus fecit, quod non nisi secundum carnem, illum
unquam intellexerit & seruarit, subiecerit q; ut poterat,
ipsum æternum & inuincibile Dei eloquium, suis repro-
bis traditionibus & doctrinis· Huius impietatem & hy-
pocrisim, tota Antichristi cohors est amplexa, quæ non
nisi suis somnijs & inuentis nititur, quibus perinde atq;
feris crudelissimis, passim & undique perniciosissime
conculcatur· Propter quod, à Deo & Christo eius, pro
meritis abiecta, uelut solitudo & terra inuia facta est, nul-
los ueræ fidei ac iustitiæ fructus unquam proferens·

Et interficiam eam siti.

Quæ diuinis eloquijs uiam clausit, nec illa admittit,
recte siti perimi dicitur · Nimirum imbres quidam sunt,
in fructi-

in fructū æternæ salutis mentē irrigātes, & uiuificantes, sine quibus mors & perditio est. Proinde non hærenti uerbo Dei, dicitur. Apoc. 3. Nomen habes quòd uiuas, & mortuus es. O uere sitim perniciosissimam, quæ mortem & æternam quidem inducere potest. Hanc in punitionē grauissimam, se missurum dominus comminatur. Amos 8. dicens: Mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi uerbum domini. Et commouebūtur à mari usq; ad mare, et ab aquilone usq; ad orientem circumibunt, quærentes uerbum domini, & non inuenient.

Hac siti nocentissima Synagoga interijt, itidem innumeri pseudocredentes, qui Dei uerbo contempto, proprijs figmentis tot sæculis adhæserunt, absconderuntq; ipsam ueritatem dei, sub mendacijs suis. At tandem nostri misertus est dominus, & ueritatis eloquiorum suorū nobis aperuit suauißimum fontem, ut credentes salui fiant, incredulis in reproborum sorte dimissis. Hunc necessarium fontem, ne fluat, pietatis hostes obcludere nituntur, quem uidebunt eo abundantius, in flumina se diffundentem, quo fluxum eius magis cohibebunt. Siquidem potentissimus & inuincibilis est, omnia autem uincit.

Et filiorum illius non miserebor, quoniam filij fornicationum sunt, quia fornicata est mater eorum.

Non possunt filij fornicationum dici, qui à matris spurcitijs dißentientes, ex Deo per fidem nati sunt. At

hi qui

hi qui fornicariæ, id est, per impostores spiritus ac dæmoniorum doctrinam, geniti & enutriti fuere, sceleribusq; apostatæ & adulteræ genitricis communicant, misericordiam haudquaquam suscipient, donec ab illa desciscentes, ad Christum fideliter conuertantur. Cæteris uero misericordia præstabitur, quod impiæ matris carnalis synagogæ, impietatibus non consenserint. Etenim anima quæ peccauerit ipsa morietur. Neq; parentum iniquitatem filij portabunt, neq; parentes filiorum. Ezechi. 18.

Obserua, quod nullus omnino sit Dei iudicium euasurus, qui patrum suorum, id est, rectorum et antecessorū, adulteria & fornicationes à Domino, id est, scelera, traditiones, & mandata, fuerit secutus, ac illis quauis ratione adquieuerit. Qui uero sub impijs pie uixerit, & illorum quantum potest impietati obstiterit, beatus erit. Ergo plurimum, & quidem perniciosißime aberrant, qui prædecessorum suorum uestigia sequi, neceßarium putant. Nam proinde tantum Israëlitæ plurimi disperierunt, quod Hyeroboam, & reliquorum qui eos præcesserant, incredulitatem, & scelera, fuere imitati.

PARS TERTIA.

Confusa est, quæ concepit eos.

Signat hæc confusio deordinationem, & omnia à sua rectitudine inuersa. Nō enim significare potest, eam confusionem, quæ Deo est adceptissima, qua electi posteaquā peccauerunt, pro contempta Dei bonitate, & impolluta ueri-

ta ueri-

ta ueritate eius, resipiscêtes confundũtur· Porrò Israëlis Synagogæ, credita fuerũt eloquia Dei, quibus solis regere tur, & cælesti quodã ordine in terris cõuersaretur, plena in Dominum & Christũ ex eis ꝓmissum fiducia uiuens, ut ꝑ eũ sempiternã Dei iustitiam fide adsequeretur· Sed cum nihil horum fecerit, sed potius his aduersantia perpe trarit, ideo cõfusa esse prædicatur· Sed unde confusa?

Quia dixit: Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, et aquas meas, et lanam me am, & linũ meũ, oleum meũ, et potũ meum.

Hi amatores sunt, adulteri, quos paulo ante à medio u berum auferri præcepit, nempe Idola, pseudoprophetæ, gentes, maxime Romani, superba legis Dei, absq; eius spi ritu, scientia, si tamen scientia tum dici potest, auaritia, terrenorum amor, fiducia operum, iustitiæ carnis, & o mnia, quibus Deo & Christo eius contemptis, carnalis Israël cohærebat, propter quæ in tam grauem cæcitatem deciderat, ut non Deo, à quo omnia sunt, sed illis tribue ret panes, aquas, lanam, linum, oleum, & quæcunque Deus ipse optimus maximus larga manu ei contulerat· Is profecto est summæ apostasiæ actus, gloriã immortalis Dei trãsferre in similitudinẽ creaturæ, illi tribuẽdo, quod est solius Dei· Hic est uenenatiß· fructus indurati cordis, excæcati animi, hominisq; dati in reꝓbam mentẽ, ut qđ solius Dei est, tribuat luto & stercori, id est, conditis re bus, quæ proba fidelium mens, uel ut stercora Dei causa floccipendit·

Dicebant caeci illi: Cum adquiesco Dei iußionib curta est mihi supellex, non abundo lana, lino, frumen to, uino, & oleo, quibus gentes ditatae & multiplica sunt; quod Deos alios colant. Aemulabor ergo ritu eorum. Colam eos, & mihi pro amatoribus erunt; quárque leges eorum. Quid enim sceleris erit, si simul alios Deos, eorúmque leges amauero? Colam inte rim Deum, nostrum, & deos gentium pariter. Na quid uolo, hic super terram uiuens, nisi abundare, frui bonis saeculi huius? Quod ferè tum habui, cum os gentium adamaui. Proinde uadam post eos, ut pl ceam illis, placeam & ipsis gentibus, cum earum D amauero, ritúsque seruauero. Foedus meum ponam eis, quòd dent mihi panes, aquas, lanam, linum, leum &c.

Sic cogitant apostatae & increduli aemulátes in gnantibus, et aestimantes, q; melius sint habituri, cum adquieuerint solis purißimis sermõibus Domini, ac possint Deo simul & alijs fidere. Sed longe aliter est tas. Nam melius est modicum iusto, super diuitias pecc torum multas. Psal. 36: Et non uidi iustum (credentem de iustificatum) derelictum, nec semen eius quaerẽs pa eodẽ Psal. Deniq; seruos suos ptegit, cõseruat, et illor curam semper habet Deus. Ipsi quoq; Deo & alijs sim uere credere non poßumus. Nam cor nostrum angust est, & utrunq; recipere nequit. Nimirum adducta ex norum, id est, aliorũ à Domino fiducia, fides uera in

nu

nũ iminuitur, quæ in nullo minime est, et nec esse quidem potest, nisi omnium aliorum ab eo, diffidentia adsit.

Propter hoc, ecce ego sepiam uiam tuam spinis, & sepiam eam maceria, & semitas suas non inueniet.

Tropica locutio est, quemadmodum si quis diceret loquaci, ponam ori tuo frenum, aut uago, adligabo te, id est, impediam te, ne quoquo proficiscaris. Sensus est: Quia fidis præscriptis amatoribus tuis, sepiam uiam tuam (adfectus, cogitationes, opera, prudentiam carnis, humanas traditiones, quibus perinde atque uia incedis) spinis (flagellis pungentibus, quales sunt, euersio à Romanis facta, & eorum dura captiuitas, quæ usque hodie manet, ut uel sic reuertaris à uia tua peßima) Et sepiam (eandem uiam) maceria, hoc est, impedimentis firmiter obsistentibus, ne in dicta uia tua ambules. Quia enim maceria horti clauduntur, ne in eos quispiam introeat, recte per eam impedimenta capiuntur, unde & sequitur, Et semitas suas non inueniet. Quod antè per uiam, hic per semitas intelligit, quas tum non inuenit, cum ob præmißas spinas & maceriam, per eas ambulare non potuit.

Eiusmodi sepes odit caro, amat Spiritus. Nam cum infirmantur, adfliguntur & lacerantur, tum sunt fortiores, qui Spiritum Christi habent: contrà, carnales propter hæc à pietate deficiunt. Maximum autem electionis signum est, cum sicut prædicitur, uiæ nostræ à domino sepiuntur, ne per eas ambulemus. Nam reproborum uiæ

nunquam sic sepiuntur, ut non semper uiam suam pera bulent. Nam tametsi ob Dei flagella multoties retine tur, ne aliqua ut antè faciant, semper tamen impij su ac cum execrabili et impatientißimo corde, illata mal scipiunt. Porrò impatientia ad uiam nostram atti O quàm necesarium est, dictis spinis & maceria sep Beatus, qui ista intelligit & experitur, gratam in sel bens manum Domini.

Et sequetur amatores suos, & nõ adpreh det eos: et quæret eos, & non inueniet. Et d cet: Vadã, & reuertar ad uirum meũ prio quia bene mihi erat tunc, magis quàm nu

Carnales, tametsi spinis & maceria, ut præmitti sepiuntur, suos ueruntamẽ amatores, & ea, quibu um interitũ fidunt, sequi non desinunt, sed eos minim prehendunt. Nam quæ ab eis sperãt, minime adsequ In quẽ etiam sensum, subiungitur. Et quæret eos, & ni ueniet. Fidunt nanq; impij suis amatorib. sed uana et fructu est omnis spes ac fiducia eorum. Ecce quòd Syn ga, ubi Christum ob præscriptos amatores conte sentiens, manum Domini contra se, quærebat ab ips matoribus auxilium. Sequitur etiam usq; hodie iusti carnis, quam spreta Dei iustitia, constituere nititur. quòd poßit illa iustificari, & à malo tam longæ capti tus libera fieri. At ubi, qui ex eis electi sunt, uiden prosperum eße in studijs suis, seque ad hæc frustra agnoscentes quàm hucusque aberrauerint, dum Ch

si

ſtum minime ſuſceperunt, aiunt: Vadam, & reuertar &c. Prior uir, Deus & homo Chriſtus, Eccleſiæ uerus ſponſus, unicus & impollutus, poſteriores amatores præſcripti. Ergo electi, qui à Chriſto ob ſua Idola & inuenta defecerunt, reſipiſcentes ad Chriſtum reuertuntur. Illuſtrati nanque à Dei Spiritu, aiunt: Bene nobis erat tunc, cum Domino uera fide cohæſimus, magis quàm nunc, cum in incredulitate manemus. O inſigne & memorabile uerbum. Bene eſt credentibus, incredulis autem minime. Nam illis in omnibus, ubique, & ſemper bene eſt, quòd uniuerſa in bonum illis cooperentur, iſtis uero omnia in interitum conuertuntur. Nimirum, quemadmodum quæcunque ſunt ex fide, bona ſunt, ſic alia cuncta ſunt pernitioſa. Etenim quidquid non eſt ex fide, peccatum eſt. Rom. 14.

Hic quatuor obſerua, Primũ, quàm impia ſint omnia ſtudia carnis, quæ etiã Deo ſibi reſiſtente, nititur adimplere, quod inconſulte definiuit. Sequitur enim et quærit Idola adulteroſq; ſuos, quantumlibet Deus ſibi obſiſtat, ne ea reperire & adprehendere poſſit. Nimirum caro ipſa in Dei conſilia nunquam non nititur.

Secundo, quàm immutabile ſit conſiliũ Domini, dum nihil poteſt in tẽpore fieri, quod ille ab æterno faciendum nõ præcognouerit ac prædefinierit. Deo ſiquidẽ nolente, & aliter decernẽte, nõ potuit Synagoga implere quæ uoluit. Nam q̃tumuis impij reſiſtãt præceptis & iuſsionibus Domini, etiam faciendo contra eadem præcepta, im-

plent consilium eius. Verum non proinde concludo, quòd peccata fieri prædefiniat, etiam si ante secula, reprobos excæcare decreuerit, propter quod illi non peccare non poßunt.

Tertio, quòd Dei flagella, sunt magna eius miserationis ac pietatis indicia. Etenim per hæc, electos aberrantes ad se redire compellit. Nam flagellat omnem filiū quē recipit, & quasi pater in filio complacet sibi.

Quarto, q̄ pro delictis à Domino flagellari, & à suarū peruersarum cogitationū impletiōe præpediri, magnum æternæ electionis ac prædestinationis indiciū sit: tametsi hoc nō est omnino tam generale, ut diuersum aliquādo uideamus, sicut in Pharaone, quem Deus uarijs modis flagellauit, & ne faceret, quæ de filijs Israël cogitauerat, impediuit, ut in Exodo habes.

Et hæc nesciuit, quia ego dedi ei frumētum, uinum, & oleum, & argentum multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt Baal.

Magna ualde fuit adulteræ Synagogæ ignorantia, cæcitas, atq; dementia, ut non agnosceret se à Deo recepisse quæcunq; poßidebat. Enimuero illam excæcauerat malitia sua. Sapi. 2. Hæc malitia est studiū carnis, cuius omnis conatus impius, omnis sensus malus, omne iudicium reprobum est. Proinde carnales ex Israële, nescientes Deum & opera eius, dicebant: Non Dominus fecit hæc omnia nobis, sed Baal. Nimirum frumentum, uinum, oleum, argentum, aurum, & alia quæuis Dei munera, non illi, sed Ba

Baal fecerunt, id est, attribuerunt. Hæc locutio, Fecerunt hæc Baal, talis est, quemadmodum si quis diceret: Hæc domus fit Iohannis, hoc est, dicitur esse Iohannis.

Sed quis est Baal iste? Nunquid est Idolum illud, quod increduli ex Israël toties in suum interitum coluere? Hoc quidam uolunt, hunc locum sic, textu perperam diuiso, enarrantes. Et argentum multiplicaui & aurum, quæ fecerunt Baal, id est, ex eis fecerunt Baal Idolum. Alij sic exponunt hæc: Fecerunt, id est, immolauerunt Baal, Idolo execrabili. Quæ tametsi carnales multi ex domo Iacob aliquando fecerunt, nihil tamen horum uidetur hic uelle Spiritus sanctus. Nam hic textus capitur de Synagoga, quæ præcedenti capite abiecta dicitur, ne sit Domini populus, quod Christum in carnem uenientem non receperit, qui post Christi aduentum, non legitur Baal Idolum coluisse.

Ad id obserua, quod Baal maritus iterpretatur, et omnes prescriptos adulteros, quibus Synagoga, Deo et Christo eius contēptis, adhæsit, significat. Eteni dū illis spreto uero spōso, adhæsit, quasi illos pro maritis habuit. Denique tam cōmunis fuit apud Israëlitas cultus Idoli Baal, & illi tā dediti fuere, ut quæcunque postmodū impēse amabāt et colebāt, Baal itidem adpellarent. Ergo terrena, gloria seculi, scientia legis sine Spiritu, iustitia operum, quam constituere nitebatur, templum Hierosolymæ, Romani, & reliquæ gentes, ac omnia, quibus CHRISTO abnegato, adultera Synagoga cohæsit, illi Baal, id est,

mariti fuerunt. A quibus in erroris spiritu se adcepisse iudicabat, quæ à solo Deo optimo maximo larga manu ac ceperat. Ob id, ut paßim legimus, Christum eorum auaritiam detestantem persequebantur. Ob id cupiebant illi extinctum, ne uenirent Romani, & ab eis tollerent locum & gentem, quasi non Dei, sed Romanorum esset hæc auferre & dare. Ob id etiam uolebant constituere propriam iustitiam, ne Dei iustitiæ locus eßet. Etenim eidem pseudoiustitiæ tam fidebant, ut seducti arbitrarentur, se per eam poße apud Deum quæcunque mereri.

Porrò quidquid de falsis Iudæis hic dicitur, de Antichristis seu falsis Christianis etiã dictum nõ dubites, quorũ Synagoga plus omnibus Iudæis, ac suprà quàm dici poßit, à Christo spõ, o uero deficiẽs, cũ Baalim, hoc est, Idolis suis adulterata est. Nimirũ non agnoscit, quod ea quæ habet, sint à Dei bonitate pfecta, sed id tribuit suis inuẽtis, studijs, operibus, meritis (quæ uere nulla sunt) ac falsißimæ iustitiæ, quæ nihil minus quàm iustitia est, nã est ipsißima hypocrisis. Cæterũ Dei iustitiæ obliuiscitur, adseritque se posse mere iustificari, suis operibus ac bullis, conceßionibus, & id genus somnijs Antichristi, contra Dei eloquia introductis. Sed audi rectißimum iudicium Domini.

Idcirco cõuertar, & sumã frumentum meũ in tẽpore suo, et uinũ meum in tempore suo.

Quia Domini est terra & plenitudo eius, Psalmo 23. quæcunque nobis tribuit, sua eße dicit. Sumam, inquit, frumentum meum &c. Ait ergo: Idcirco, id est, quia ea

qui

quæ ſibi miſericorditer largitus ſum, Baalim tribuit, conuertar. Id eſt, Qui uidebar abſens, & non attendere eorum infidelitatem, dum illos pro ea minime puniebam, oportune puniendo, oſtendam me præſentem. Porrò hæc eſt punitio, q, ſumet frumentũ ſuum in tempore ſuo &c. Senſus eſt, quòd ab eis auferet, ea quæ prius illis contulerat.

Quod hic ſubiungitur, In tempore ſuo, non ſatis liquet, an ſic adcipi debeat. In tempore ſuo, id eſt, tempore ab æterno præordinato, quo id fieri præfiniuit. Aut ſic: In tempore ſuo, id eſt, meßis, aut uindemiæ, quo ſe præſcripta recepturos putant. Quidquid horum dixeris, non eſt alienum à ueritate. Ego malo primum, quòd perfectius ac generalius ſit, ſecundum autem, uim aliquando pateretur. Nam ſæpe frumenta & uina aufert Deus, alio tempore, quàm diebus meßis ac uindemiæ, ut cum frumenta aut uina corrumpit.

Obſerua, quòd in archanis literis, Deum ire, redire, conuerti, audire, uidere, eſt præſentiam ſuam aliquo patenti effectu manifeſtare. Sic Geneſ. 11. dicitur deſcendiße, ut uideret turrim, quam ædificabant filij Adam, ubi ædificantium linguas confudit. Sic & Gen. 18. & 19. cum pluit ſulphur & ignem ſuper Sodomam & Gomorram, ad eos dicitur deſcendiße. Sic & hoc loco capitur, Idcirco conuertar &c. ut ſuprà expoſitum eſt.

Et liberabo lanam meam, et linum meũ, quę operiebãt ignominiã (uel nuditatem) eius.

Sensus est: Hæc abs te auferam, ne illis abutaris, tu-isque turpitudinibus inseruiant. Sic omnis creatura, Ro-man. 8. prædicitur liberanda à seruitute corruptionis, id est, ne seruiat corruptionibus impiorum, in liberta-tem gloriæ filiorum Dei, id est, ut liberrimis Dei filijs in gloriam ueniant.

Hic uerunt amen locus, non tantum de lana & lino, sed etiam de uniuersis Altißimi donis, quibus carnalis Syna-gogæ impietas abscondebatur, adcipiendus est. Ipsis nanq; donis, perinde atq; uestimentis gloriæ decoramur, & abs-que illis inglorij, nudi, ac pleni ignominiæ sumus. At quæ nos decoros efficiũt, nostræ multiplicis miseriæ ignomini-am tegũt. Proinde hic de uniuersis quæ Synagoga à Deo adceperat, dicitur, q. operirent ignominiam eius.

Et nunc reuelabo stultitiã eius, in oculis ama-torum eius, & uir nõ eruet eã de manu mea.

Septuaginta habẽt: Et reuelabo immundiciam &c.

Igitur Synagogæ turpitudo seu immũdicia in hoc est, q. sponsum deseruit, adulteraq; facta est, qđ etiam summã esse stultitiam, nemo compositi animi nescit. Nanq; apo-statare à Deo opt. max. pro quibusuis cõditis, extrema o-mnino stultitia est. Nimirum quidquid antè fuit in ea de-coris, gloriæ, ac pulchritudinis, amisit, dũ à Christo, à quo erat omnis species eius, defecit, & cum suis Idolis mœcha-ta est. Cuius mœchia eò fuit abominabilior, quò nec eã qui-dem agnoscebat, sed etiam se immiscens paßim quibusuis adulteris, uoluit semper pro casta & uera sponsa haberi.

Hanc

Hanc turpitudinem & stultitiam eius, reuelauit Deus, in oculis adulterorum, id est, Romanorum ac cæterarum gentium, quibus inhæsit ueritate contempta. Hæ primum arbitrabantur, eam esse plebem dei, quod nondum nota eßent figmenta & mendacia eius. At posteaquam ueritatem ipsis primū absconditam, palàm facere dignatus est, agnouerunt, quàm stulta, misera, turpis, cœca, abominabilisq; fuerit Synagoga, dum Christum deum uerum & hominem, sponsum suum amabilem non recepit, sed abnegauit, & spurcissimis adulteris, nempe carni & sanguini fidit & cohæsit. Verum enimuero hanc eius extremam stultitiam, nemo agnoscere potest, nisi is cui deus suo spiritu eam notam fecerit, neq; alioqui eam damnare potest. Proinde Antichristi ac pseudocredētes, nunquam uere agnoscere, neq; damnare poßunt, reprobe ac carnalis Synagogæ stultitiam, quod & ipsi carnales sint, ac in grauiorem stultitiam deciderint. Nimirum à Domino IESV Christo, etiam si id negent, turpissime apostatarunt, & cum idolis ac inuentis suis mœchati sunt. Sed miseri & stolidißimi homines, nihil tale profitentur, nec possunt quidem, quod indurati sint, & eorum malicia eos grauißime excœcarit. Cæterum nūc miserante domino, spiritu oris sui, palàm fit eorum turpitudo ac stultitia, & Regnum Antichristi sensim cadit, quousq; deficiat.

Sequitur. Et uir non eruet &c. Manus domini, illius operatio ac potentia est. Iob. 10. Cum sit nemo, qui de manu tua poßit eruere. Manus tuæ domine fecerunt me, &

blasmā

plasmauerunt me. Et psal. 94. In manu eius sunt omnes fi
nes terræ. Sensus ergo huius loci est. Nullus omnino po
terit eripere Synagogam à malis seu flagellis, quæ ego po
tentißimus, illi nunc, id est, cito immittere uolo. Hinc
tria colligimus, Primum quòd apostatare à Deo Chri
sto, ac impolluta ueritate eius, summa stultitia est.

Secundum quod plurimi, præsertim electi, cum aber
rant, sæpe coram hominibus à Deo confunduntur, nõ ut
pereant, sed ut ipsa confusione nonnihil stimulentur, ut
ad cor redeant, & ab impietate ad ueram pietatem con
uertantur. Ob id oramus, psal. 82. Imple facies eorũ (apo
statantium à te, aut alioqui aduersantium tibi) ignomi
nia, & quærent nomen tuum Domine. Tametsi nulla cõ
fusio, nullum flagellum, nullaue tribulatio, quidquam fa
cit ad pietatem ueram, ut quis scilicet ad eam perueniat,
nisi spiritus domini cooperetur. Sic multoties Deus con
fudit & flagellauit electos, qui erant in populo Israël, ut
resipiscerent. Sic & Iudæi longa captiuitate durisq; pres
suris confunduntur & atteruntur, ut tandem reliquiæ
eorum saluæ fiant, redeuntes ad Christum Regem suum,
& pauentes ad bonum eius, quemadmodum sequenti ca.
apertißime habes. Sic quoq; electi, qui seducti à spiriti
bus impostoribus, adquieuerunt Antichristi perditioni,
nunc ueritate reuelata confunduntur, ut salui fiant, re
uertentes ad dominum, & adquiescentes ueritati eius,
quem ob Antichristi factionem contempserant.

Tertium, quod nullus potest liberare à Dei manu po

tentißi-

tentissima, eos quos ille flagellare uoluerit. Nimirum quantumlibet Synagoga dei inuariabili decreto obstiterit, & Dominum IESVM Christum regnare super se noluerit, ipso regnante est confusissima & adflictissima. Itidem qui hominis peccati, filijq; perditi partes agunt, quantumlibet Christo, & ueritati nunc denuo reuelatæ contradicant, regnabit ipse dominus IESVS Christus, & eius ueritas inuictißima, uincet & conteret sine manu, ipsum regnum perditionis.

Et cessare faciam, omne gaudiũ eius, solennitatem eius, neomeniam eius, sabbatum eius, et omnem festiuitatem eius. Et corrumpam uineam eius, & ficũ eius. De quibus dixit. Mercedes hę meæ sunt, quas dederũt mihi amatores mei.

His qui seruatorem abnegarunt, nunquam potest eße uerum gaudium. Nimirũ soli credentes, ab eius fontibus aquas in gaudio hauriunt. Esa. 12. Et dicit eorum quisque illud. Abac. 3. Gaudebo & exultabo in Deo IESV meo. Proinde recte subiunxit, & cessare faciam gaudium eius. Quia enim synagoga carnalium ex Israël, aliena facta est ab eo in quo solo est uerum gaudium, ipsum quoq; gaudium perdidit. Nam quantumuis illi, itidem omnes pseudocredentes, & Antichristi, externe letari uideantur, nunquam tamen, ueram animi lætitiam habent, sicut neq; etiam pacem. Nam intranquillo pectori, quæ pax esse potest? Impijs autem, & hypocritis, non est pax.

Esa.

Esa. 48. Dicunt, Pax pax, & non est pax. Eze. 13 Gaudent in comessationibus & ebrietatibus, adflictoq; misero spiritu, lætātur in carne ad sonitum cytharæ & organi. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Iob. 21. Cæterū credentibus et Dei legem amantibus est multa pax, miraq; suauitas. Psal. 118. ac gaudium inestimabile per spiritum sanctum. Per quem etiam fit, ut in omnib. hilares sint. Proinde quisquis hoc uero gaudio potiri concupiscit, claudat pectus suum, cunctis hominum figmentis, & solus Deus sit animi sui cōuiua. Quod tum faciet, cū ueritati purissime adquiescet. Etenim credentium ueritati secura mens, est quasi iuge conuiuium. Prouer. 15.

Igitur tum cessare fecit Deus gaudium Synagogæ, cū à Christo defecit, & eum qui pro se redimenda aduenerat, minime recognouit, quin potius illum in suum interitum abnegauit. Hac etiam causa dies letitiæ auferendos prædixit. Hi dies sunt festa & solennitates, quas olim deus ipse constituerat, quibus carnales Israëlitæ abutebantur, & multum fiduciæ adponebāt. Omnia enim ad quæstum et impietatem, ac solas carnis delitias conuerterāt, ut tum uel multo maxime, grauissimus ubiq; esset dei ac sacrosanctæ legis suæ trangressio. Quia enim carnales erant, non nisi secundum impium carnis iudiciū eam seruare ualebant, quod uere nihil minus, quàm eius obseruatio est. Nam quid est, nisi mendacium, hypocrisis & impietas? Fingit enim caro, quod ipsam legem seruet, quàm

ex in-

ex intimis odit. Vult quoq; pro illius obseruatore haberi, ipsam obseruationem in externis (quibus & fidit) sitam esse putans & adserens.

Hæc similiter est perditio Synagogæ apostatæ Antichristorum, quod Dei sermones quasi hominum somnia essent, capit & tractat, eos tantum secundum carnem & externe seruandos eße putans. Fidit locis, diebus, uestimentis, ceremonijs, preculis, sectis, & id genus figmentis, & p ea se iustificari, & deo grata fieri autumat, prædicat, & adserit, sua mendacia pro fidei articulis, in dei Ecclesia ponens.

Sed quid Iudæis carnalibus, comminatus fuit Deus? Quod ceßare faciet, omnem solennitatem. Id quod bifariam impletum est. Primo quod non poßunt, ut ante uenire Hierosolymam, quod exules sint, & ipsum templum dirutum: Vnde nec poßunt offerre pro eorum more & legis instituto, uictimas, holocausta, & sacrificia. Fidebant primum uerbis mendacij, dicentes. Templum domini, templum domini, templum domini est. Hiere. 7. Proinde euersum fuit ipsum templum, ut iuxta seruatoris dictum, non fuerit in eo relictus lapis super lapidem, et pulsi Iudæi omnes, eo quòd non cognouerint tempus uisitationis suæ, quo dei unigenitus oriens ex alto, illos uisitauit Lu. 1. Pulsi autem, iam non poßunt agere dies festos, quibus eos in ipsum templum uenire oportebat, sed manent sine rege aut principe, qui ex eis sit, & sine altari, sacrificio, ephot, & similibus, ut cap. seq. aperte habes.

Secundo

Secundo fecit Deus cessare Iudæorum solennitates, in his qui credunt. Nam Christo adueniente, eiusmodi legalia cessauerunt. Nimirum futurorū umbræ quædam erāt. Denicq; fidelibus ueris, non est dierum caußa discretio: Nam omnis dies, est illis Natalis Christi, Pascha, Penthecoste &c. quod istorum quotidie apud eos memoria sit. Veh Veh regno filij perditi, quod nobis tot festa adfinxit & imperauit. Interdicit laborem necessarium, & à Deo iussum, & omne ocium, comessationes, ebrietates, ludos, omnemq; spurcitiā admittit. Sciat hoc certißime, tota Antichristi factio, quod dies suos festos cessare necesse est, q̃d ad eos similiter spectet, prophetia loci huius. Nam si dies festos Iudæorum, ab ipso Altissimo institutos, cessare oportuit, quanto magis illos quos hominum superstitio excogitauit.

De Apocalypsi

Ego nihil reprobauerim dominicam diem, quod testimonium habeat ab Apocalypsi, libro sanctissimo, et christianam doctrinam uere tradente, quidquid multi profecto inconsulte de eo perperam loquantur, & scribant. Ego illum uolo & reuereor, nec minoris authoritatis apud me est, quàm Paulus, Matthæus, aut Petrus. Certe qui parum illi tribuunt, quid in eo uelit spiritußanctus non satis expenderunt. At de hoc plura aliquando, si id donauerit Christus. Placet ergo dominicus dies, itidem & alij pauci, ad summum numero sex aut septem, in quibus seruatoris prima mysteria recoluntur. Placent dico hi dies, non ut quisquam ocio uacet, aut carni et sanguini

dominicus dies

inserui-

inseruiat, sed ut his maxime diebus audiatur Euangelium Regni Dei, uisitentur pauperes, adflicti, pupilli, & uiduæ. Vbi autem nihil tale faciendum occurreret, aut his factis, adhuc superesset aliqua diei pars, uiderint, ne sub dici pallio otiose uiuant, aut quidquam perperam faciant. Laborent tum manibus suis, absq; dierum quorumuis discrimine, modo non obliuiscantur eorum, quæ à Domino iubentur, sicut prædiximus, scilicet, ut tum maxime quisq; uerbo intendat, & adflictorum memoretur. Laudandum quoque, si eisdem diebus, fratrum Ecclesia, aut aliquot ex eis conueniunt, ut in Dei charitate & zelo tractent, de negotijs Regni Christi. Tametsi omnia prædicta quotidie facere opus sit, ubi Ecclesiæ & fratrum necessitas id expostularit. Verum & de Dominico die, & de reliquis sic dico: Vacandum à seruilibus quibusdam operibus, maxime propter subditos, famulos & ancillas, quibus id facere non uacat diebus quibus operantur, ut semper eos pijs operibus intendere opus sit. Omne autem opus, quod est ex fide pium est, quod alioqui peccatum esset. Rom. 14. At de his alibi plura.

Sequitur: Et corrũpam uineã &c. Per uineam et ficum omnes terræ fructus sunt capiẽdi, q̃ ab eo corrũpuntur, à quo et sunt pfecta. Nã quis euertet Dei opus, nisi ipse uoluerit? Nimirum uentus urens, locusta, brucus, eruca, ac reliqua omnia, nihil absumere & demoliri possunt, nisi DEVS ea sibi instrumenta fecerit, quibus sua iudicia impleat.

G igitur

Igitur Deus comminatur se corrupturum omnia terræ nascentia. Quare? Quia gloriam immortalis Dei tribuit creaturæ, dixitq́; Mercedes hæ meæ sunt &c. En cæcata dixit, se Dei munera in suæ apostasiæ mercedem ab adulteris adcepisse. De his suprà eodem capite tractauimus, ibi: Vadam post amatores meos, qui dant mihi &c.

Ex hoc loco et similibus, argumentum habes, quòd mors, infirmitas, terrenascentium consumptio siue corruptio, & omne flagellum à Deo sint, ideoq́; in multa patientia sunt perferenda. Itidem quòd ob id uel multo maxime ipsa flagella à Deo immittuntur, quòd ab illo deficimus, ac ueritatem eius contemnimus, & post abominabilia figmentorum cordis nostri Idola properamus, tribuentes creaturæ, quod est solius Dei, ac Christi eius, & de illo, quasi de hominibus iudicantes.

Et ponam eam in saltum.

Quid per saltum, nisi sterilitatem intelligimus? Saltus quippe infrugifer est, & feris, reptilibusq́; abundat. Sic carnalis Synagoga, absque fructibus ueræ iustitiæ manet, & criminibus, quasi feris, ac uenenatis reptilibus est repleta. Etenim nihil sanctum, bonum, pium habet, posteaquam à Domino IESV CHRISTO apostatauit. Nam quid laudabile in eis esse potest, qui Saluatori ac ueritati eius abrenunciarunt. Profectò quicquid faciunt, cogitant, loquuntur, peccatum & impietas est, etiam si secundum faciem aliud uideatur, quia

non sint ex fide. Siquidem omne quod non est ex fide, peccatum est. Roman.14.

Pari ratione, saltus quidam est Antichristi Synagoga, quae reliquit ducem pubertatis suae, & pacti Dei sui oblita est, unde nullos uerae iustitiae, quae est ex fide, fructus profert. Nam quidquid in ea uides, aut est apertissima iniquitas, aut pseudoiustitia siue hypocrisis, qua nihil est coram Domino execrabilius & abominabilius,

Et deuorabit eam bestia agri.

Facta saltus, nempe sterilis & infrugifera carnalis Israelis ac omnium hypocritarum Synagoga, non nihil aliquando uiride habere uidetur, maxime in simplicibus & plebeculis, quos Spiritus Christi solicitat, ut ad se redeant, & à traditionibus hominum alieni fiant. Dicit Spiritus Iudaeis cõpluribus: Patres tui seducti & maligni, non receperunt Christum, sed illi contradixerunt, donec illum traderent in condemnationem mortis. Qua ratione completae sunt Scripturae. Nam sic fieri oportuit. Quòd si expenderis ipsas Scripturas, reperies quòd ita necessum fuerit. Dicit quoq; idem Spiritus multis, qui per spiritus impostores seducti, defecerunt à Christo, & Filij perditi partes agunt, & amant. Error à multis saeculis fuit, quod relictis DEI sermonibus, hominum somnijs totus orbis adhaesit. Enimuero nec iota quidem unum, in uniuersis DEI scriptis quisquam reperiet, quo pompae, ornatus, Sectae, Indulgentiae, Decretaq; firmentur. Solo DEI uerbo, et his quae illi per omnia

consentiunt, fideles adstringuntur. Reliqua omnia, errores, mendacia, et abominationes coram Domino sunt. Hæc, & eiusmodi plurima facit Spiritus sanctus.

Sed mox irruit ferocißima bestia agri, & uorat uniuersa. Ager mundus est. Matth. 13. Bestia autem huius agri, quisquis in mundo exercet tyrannidem, maxime autem pseudo legis doctores & falsi Prophetæ, ac Antichristus & sui. Sic enim uocatur apud Danielem, & Apocalypsim. Nam Daniel. 7. dicitur quartæ bestiæ cornu, à cuius facie tria cornua euulsa sunt. Quarta bestia, ut uno consensu omnes scribunt, est Regnum Romanorum, à quo prodijt Antichristi altitudo. Is è decem cornibus, id est, Regibus, tres humiliauit, quia è multitudine Regum et Principum, qui olim Romanis obediebant, tres tantum, id est, paucos, sibi subiecit, qui per erroris spiritum seducti, & arbitrantes diuinum esse, quidquid fastigij in hoc cornu bestiæ conspiciunt, suo reprobo iugo colla submiserunt. Itidem Apocal. 17. Bestia coccinea, plenaq; nominibus blasphemiæ adpellatur.

Non nulli per hanc bestiam agri, Nabuchodonosor, alij Titum & Vespasianum, alij reliquos plebis Israëliticæ oppreßores uolunt intelligi. Primum de Nabuchodonosor dicimus, quòd hic locus ad eum nihil spectet. Nimirum de his, quæ fuere post CHRISTI aduentum capitur. Cæterum de Tito, Vespasiano, & Romanis, qui Hierosolymæ & Iudæis grauißima intulere flagella, non satis dictum putarim. Nam tametsi Iudeos maiorem

iorem in modum adfluxerint, non tamen Synagogam deuorauerunt. Vorauerunt autem illam, qui suis mendaeijs eam fecere à CHRISTO alienam. Quia enim fecerunt, ut ab eo, in quo solo est uera salus, deficeret, ac in perditionis erroribus permaneret, recte Synagogam uorasse dicuntur.

Sunt ergo bestiæ agri, falsi legis doctores & Prophetæ, quibus ueritas ait, Matth. 15. Quare transgredimini præceptum Dei, propter traditionem uestram? Hypocritæ, bene de uobis prophetauit Esaias, dicens: Adpropinquat hic populus mihi ore suo, & labijs me honorat, cæterum cor eorum procul abest à me. Sed frustra me colunt, docentes doctrinas & præcepta hominum. Rursumq; Lucæ 11. Veh uobis legisperiti, qui tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis (in Ecclesiam CHRISTI) & eos qui introibant, uetuistis. Ecce crudeles agri, id est, mundi, bestias, Israëlis deuoratrices, quæ etiam usq; hodie ipsum seducere, & à uia salutis auertere non cessant, interdicentes, ne eorum quispiam cum nominis CHRISTI professoribus congrediatur, aut eos prædicantes audiat, ne forsan eos à suis erroribus resipiscere contingat. Proinde illis imperant, ut si quid aliquando eis proponant fideles CHRISTI, hac ratione euasionem querant, ut responsionem suis Rabinis excæcatissimis referuent.

Sunt quoq; aliæ uoracissimæ bestiæ agri, nempe homo peccati cum suis Tyrannis, ac falsis Apostolis & Pro-

 phetis,

bestie agri qui

phetis, qui præscriptis bestijs Israëlem uorantibus, maxime suffragantur, modo aliquid adcrescat ærarijs suis. Nam eisdem priuilegia tribuunt, quibus in suis ritibus & erroribus liberius maneant, usuras suas exerceant, & id genus alia faciant, quæ non conueniunt. Denique peruertunt Scripturas, inuertentes germanum & simplicem illarũ sensum, ut suam cõfirment tyrannidem. Idola fabricant, phana, lucos, & excelsa in omni angulo constituunt. Adijciunt ad Dei eloquia, & decreta illis contraria statuunt. Omnino contra sermonem Dei est omnis eorum sensus, institutio, uita, mores, ut propter eos male audiant Christus & Ecclesia eius, ex qua illi se esse detestabili mendacio gloriantur. O utinam scirent omnes gentes, quàm nihil ad ipsam Ecclesiam attineant hæ feræ crudelißimæ, quantumq; intersit inter Christum & Antichristum. Vere propter huius filij perditi factionem, Iudæorum cæcitas maiorem in modum confirmatur, propter quod etiam uoratrices Israëlis bestiæ recte dicuntur.

Eßet autem forsan tolerabilius, si solam carnalium ex Israële Synagogam perderent, & nõ etiam simul omnem terram absumere, & absorbere niterentur. Quam, heu, tot iam sæculis uorarunt, ita ut cuncti perierint. Paucißimis nempe electis demptis, quos ab eorum medijs faucibus, quasi ex ore sæuißimorum leonum Deus clementer eripuit, & inter tot errorum densißimas tenebras, sola fidei puritate saluos fecit. Ecce, quòd nostro felicißimo sæculo, nos in uisceribus misericordiæ suæ uisitauit Deus,

& ueritatem suam tot annis absconditam denuo reuelauit, quàm illi à quopiam nolunt suscipi, quin potius inter dicunt, & modis omnibus ad id nituntur, ut nemo illi adquiescat. Volunt omnes perdere & deuorare, sed à faucibus eiusmodi ferarum ac bestiarum, est diligentissime fugiendum.

Et uisitabo super eam dies Baalim, quibus adolebat incensum, & ornabatur inaure sua, & monili suo, & ibat post amatores suos, & mei obliuiscebatur, dicit Dominus.

Visitatio Dei in archanis literis pro correctione multoties capitur, sicut hoc loco. Vbi obserua, quanta sit Scripturæ sanctæ modestia, quæ Dei punitiones etiam grauissimas, uisitationes adpellat. Et recte quidem, nam paternæ clementiæ semp sunt admixta. Visitatio quippe potius optimi patris clementiam indicat, quàm eiusdem adirati rigorem.

Dicit igitur: Et uisitabo super eam dies Baalim, hoc est, puniam eam pro diebus, siue temporibus, quibus adhæsit Baalim, & coluit eos. Baalim plurale est huius nominis Baal, et maritos significat, p quos præscriptos adulteros uult intelligi. Quibus adolebat incensum, id est, eos adorabat et precabatur, illisq; fidebat. incẽsum quippe oblatum, oratiõis et cultus, ac fiduciæ indiciũ est. Psal. 140. Dirigatur oratio mea sicut incensum, in conspectu tuo.

Sequitur: Et ornabatur inaure &c. Per hæc corporis ornamenta, ostenditur, quanta solicitudine Synagoga

à CHRISTO deficiens, & facta huius sæculi filia, satagebat, ut suis grata foret adulteris. Filij quippe huius sæculi prudẽtiores sunt filijs lucis, in generatiõe sua. Lu. 16.

Et ibat post amatores suos, tametsi ab illis nũquam plenè reficiebatur, nec pacem ueram adsequebatur, quam ab illis optabat. Nimirum qui alios à Deo non in illo diligit, ac sequitur, nuquam uere quiescit, quòd in eo solo uera et perfecta quies ualeat reperiri.

Et mei obliuiscebatur &c. Quia Deum in carne uenientem, in gratiam adulterorum contempsit, repudiata est, ne ultra Dei sponsa esset ac uocaretur, ut abunde in superioribus tractatum est. Tũ oblita fuit Domini, pmissionumq; ac eloquiorum eius, in quibus tam multa de Christo testimonia erant. Proinde autem Dei oblita est, quòd Spiritum eius contristarit & extinxerit, fueritque ob id Dei iudicio, à propria malitia excæcata. Nam alioqui Seruatori nunquam contradixisset. Quemadmodum enim soli spirituales pietati consentiunt, ita soli carnales illi aduersantur. Hinc Paulus. 1. Cor. 12. ait: Notum uobis facio, q nullus per Spiritum Dei loquens, dicit anathema IESV. Et nemo potest dicere Dominum IESVM, nisi per Spiritum sanctũ. Quòd si nõ adsit Dei spiritus, nemo Christum nisi in hypocrisi profiteri ualet.

PARS QVARTA.

1 propter hoc, ecce ego lactabo eam.

Vere

VEre magna atq; immēsa est misericordia dei. Praecepta bene uiuēdi Synagogae tradidit, pphetas, q illos docerēt, multiplicauit, errātes, et Idololatriae deditos, flagellis grauiß. ut resipiscerent, puniuit. Iterū toties misit, q eos admonerēt, misitq; tandem filiū suum. At impij illi corripientes in porta, persecuti sunt, & interemerunt, ipsum autem Dei unigenitum abnegauerunt, ac terrores & contumelias ab eis paßum diro crucis telo crudelißime affixerunt. Rursumq;, longa illos captiuitate afflixit, praeter euersionem Hierosolymae, sub Vespasiano & Tito factam. Verum nec sic conuersi sunt, neque ad Cristum redierūt, quin potius semper à ueritate, se magis faciunt alienos. Immutabile autem Domini consilium est, ut reliquiae Israël saluae fiāt, Esa. 10. utq; ingressa gentium plenitudine, ille ingrediatur. Rom, 9. Nam propter Abraam, Isaac, et Iacob, à quorum semine descenderunt, non uult omnem Israël male perire. Putares illum nunc propterea famem, gladios, feras, ignes, & his grauiora, immißurū, Sed non sic uoluit, qui optimus est. Nō potest obliuisci miserationum suarum. Quid facies ô clementiß. Deus semini Abrahae serui tui? quid facies miserae Synagogae? Propter hoc, inquit, id est, quia uideo tam mei oblitā, post suos amatores pperantem, quae facit penitus nescientem, ac quantumlibet flagellis caesam, nihil absque auxilio meo opari ualentem, lactabo, id est, consolabor eā Spiritu meo & sermonib. atq; perinde ac tenellum infantem, sic benigne refouebo, ut uel hac dulcedīe mea, derelictis adul-

terijs suis, ad me sequendũ efficacius pūocetur. Vere efficax ad impiorũ conuersionẽ remediũ, quo solo potuit illa cōuerti, lactare illã, hoc est, cōsolari, non dubiũ, quin diuini Spiritus suauitate, et puriß. Dei sermōibus, q̄bus mens ab omni impietate retrahitur, et semp̄ ad meliora deducitur. Vidēs autẽ eandẽ quantũcunq; admonitã et cæsam, ac q̄busuis munerib. adlectã, nō posse redire ad Christũ, nisi ab eo tracta fuerit, ac misericorditer edocta, subiunxit.

Et ducã eã in solitudinẽ, et loquar ad cor eius.

Nō uidetur nomine solitudinis aliquem locũ adcipi oportere, sed tantũ derelictionem & contemptũ, omnium quæ illam à Christi fide & charitate impediebant, ut tum dicatur in solitudinem ducta, cũ sp̄retis omnibus caducis, in quietum & felicem pacati animi statum perueniens, soli Deo toto corde uacabit. Sic autem uacanti, incerta & occulta sapientiæ suæ manifestabit Deus, & ad cor illius loquetur. Ad cor loquitur, dum aut ueritatis intelligentiã inspirat, aut dum facit, ut uerba sua secundum cor audientis sint, id est, ut audienti sint grata. Sic ad cor Synagogæ loquetur, dum illam interne erudiet, atque uerba sua Synagogæ erunt adcepta.

Et dabo ei uinitores eius ex eodem loco, & uallem Achor ad aperiendam spem.

Nō sunt uinitores, nisi sint uinea, uitis, uinum. Igitur quid unumquodq; istorũ sit, uideamus. Vinea Domini exercituum domus Israēl est. Esai. 5. Domus autem Israēl, sunt omnes credentes, ex quibus solis constituitur

Ecclesia

Ecclesia Domini IESV Christi· Namq; non omnes filij Iacob, Israelitæ sunt, nec à semine illius excluduntur, quicunq; ex carne eius non sumpsere originem, sed quot quot etiam ex gentibus crediderunt, semen Israël sunt, sicut à capitis huius principio uidimus· Ergo domus Israël Ecclesia sanctorum siue credentium est· Habes uineã·

Vitis Christus est·Ioan·15· Ego sum uitis uera· Vitis quidem est, ut homo, qui in uinea ecclesiæ natus est, illius Rex, Pastor, caput, unguentarius, sponsus, ut in Salo· Canti· abunde tradidimus· Vnde nihil aptius uini adpellatione capiemus, quàm quod uerbum dei, factum caro, factum uitis, nobis per semetipsum tradidit, & ad patrẽ rediens, nobis perpetua hæreditate reliquit, nẽpe, Euangelium suum· Hoc autem uinum fidelis cor mire lætificans, dum conuersi ex Iudæis Synagogæ annunciabunt, quasi dabit ei dominus uinitores eius ex eodem loco· Verbi quippe sancti ministri, recte uinitorum nomine capiuntur, qui sitientibus populis, salutaria diuinæ legis pocula fundunt·

At quia non requiescit ueritatitis spiritus, nisi super humilem & quietum, ac dei sermones timentem, atque diligentem, hæc autem quouis humano studio aßequi nemo potest, ideo illi spondet se daturum uallem Achor, id est, conturbationis· Etenim Achor, non pro loco hic capitur, sed nomen est, adpellatiuum, conturbationem significans· Quid autem per conturbationis uallem conuenientius intelligimus, quàm humilitatem se peccatorem miserrimũ

seruitium agnoscentis, deq; se ac quocumq; creato penitus diffidentis, in deum uero pleno corde fidentis, cui solis animæ conturbatio. Crux uidelicet, & odium omnis impietatis, non potest non succedere. Habent enim uniuersi credentes, crucem internam, dum illis mundus crucifixus est, & ipsi mundo, itemq; externam dum omnes, qui pie uolunt uiuere in Christo IESV, persecutiones patiuntur. 2. Ti. 3. Namq; Euangelium sanctum, semper crucem habet comitem. Propterea dilectorem Euangelij, crucem perpeti necesse est. Prædictam ergo uallē Achor, dabit Synagogæ. Sed ad quid? Ad aperiendam spem, id est, ut sibi uiam paret, ut speret & fidat in eum. Nunquam enim spes ac fiducia in deum magis aperitur, quàm dum crux sentitur, dum homo grauius adfligitur. Nimirum ipsa crux & tribulatio, ad deum mittit, atque ad illum cruciati animum erigit, à quo se credit auxilium consecuturum.

Et canet ibi, iuxta dies iuuentutis suæ. Et iuxta dies ascensionis suę de terra Aegypti.

Sicut enim, dum Israël ascendit ab ægypto, submersis pharaone ac curribus, & uniuerso exercitu eius, benedixit dominum, dicens. Exo. 15. Cantemus Domino, gloriose enim &c. Sic egrediens postmodū, à tenebris ignorantiæ & multipharię cœcitatis, ad lumen autem iustitię Christum credendo perueniens, benedictionis cantica, & spirituales hymnos decantabit. Laudabit enim illum laude perfectissima, & corde, & uoce, & actis,

scilicet in omni uita sua, sicut scriptum est· Psal·145·Lauda anima mea dominum, laudabo dominum in uita mea, psallam deo meo quamdiu fuero·

Et erit in die illa, dicit Dominus, uocabit me, uir meus, & non uocabit me ultra Baali.

Quemadmodũ adultera coniunx, tunc maxime sponsum glorificat, cum desciscens ab adulteris suis, se uehementer aberrasse cognoscit, & quæ prius illum contempserat, atq; perinde ac quempiam ex adulteris, ac minus etiam illis, eundem faciebat, illum tantum, reiectis cæteris diligit, & requirit, sentiensq; quantum intersit, inter sponsum, & adulteros, ipsi sponso toto corde cohæret, sic tunc synagoga, uere laudabit dominum, cum ad Christum toto corde conuersa, illum spretis reliquis, quibus prius adhæserat, sponsum legitimum recognoscet, & illi pleno corde fidet, ac cohærebit· Vidensq; quantum inter Christum & adulteros intersit, quæ prius illum flocci pendebat, & in illo Deum, ac suis Baalim, id est, idolis et amatoribus siue adulteris eundem non pluris faciebat, tantum in eiusdem cognitione proficiet, ut illi dicere poßit·

Non es Baalim, nõ es similis adulteris, quibus (heu misera) spurco fui amore tot sæculis copulata· Non externa, ut illi, quæris, nec carnis opera, id est, quæcunq; non per dei spiritum fiunt, tibi placent· Tu deus, Tu spiritus, Tu in carne, non caro, ut illi· Cor uis, fidem tantũ exigis·

Dum

Dum ceremonias in lege præcepisti, dum immaculat[illegible] iussiones tradidisti, à meo, heu, sensu decepta, per omni[illegible] à legis scopo aberraui. Arbitrabar enim, in ceremonijs externisq;, tibi grata effici, scopum, uim, spiritumq; legis ignorans. Propterea, non contenta templo sancto tuo, quod apud Hierosolymā elegeras, ædificaui tibi ex[illegible] celsa. Credidi enim, stulta, me abundantius quiddam ac[illegible] cepturam, si altaria tua multiplicarentur. Heu mihi, qui[illegible] non in bonitate, non in spiritu de te sensi, sed in carn[illegible] Ipsa quoq; lege tua, ac Prophetis, mihi obsistētibus, plu[illegible] sapere, in stulta carnis prudentia, quàm oportuit, uolen[illegible] simulachra tibi feci, thura incendens. Et quia de te carn[illegible] liter sapui, alios pariter colendos admisi. Colui idola u[illegible] ria, diuinitatem pluribus attribuens, tametsi te posse si[illegible] mul coli arbitrarer, imò te primum in illis me colen[illegible] adserebam.

Carnalis igitur facta, non potui latentem in lege, sub literæ tegumento spiritum capere, ideo illam tantum ca[illegible] naliter intellexi. Non agnoui scopum illius, quod me ad Christum mitteret, in humilitate uenturum, contum[illegible] pro omnium salute adficiendum, flagellandum, cruci[illegible] gendum. Errabam credens, quod foret secundum carn[illegible] & regnaturus, & Israël restituturus. Quæ igitur de te deq; lege tua, carnaliter sapui, uenientem illum, sponsum & saluatorem meum esse nō recognoui, quin potius illū innumeris contumelijs affeci, flagellaui, diris spinis ca[illegible] put illius uenerandum, crudeliter punxi, Barrabam il[illegible]

prætul[illegible]

prætuli: Regem meum fore negaui, ac sic per omnia à me reieci, quod me postulante, illum Pilatus cruci inuitus affigi præcepit. Sciui illum à mortuis tandem surrexiße, sed tantum inualuit in me, sensus perditionis, sensus dico carnis, ut eos qui illum, à sepulchro uiderant resurgentē, pecunia corrumperem, ne resurgentis gloria panderetur. Quam ob causam perij, dum nec sic, meum saluatorem agnoui. Sed heu me infelicißimam, cæca eram, nunc autem illustrasti cor meum. Domine Deus meus, & saluator meus.

Video quantum distet caro à spiritu, sensus carnis, à sensu tuo. Scio quod nisi in me sapias, & intelligas, stulta sum. Quod autem scio, non ego, sed tu in me scis, qui hāc in me cognitionē operaris. Sit semper in me, nō meus sed tuus sensus. Viuam ego iam non ego, sed tu in me. Sine te perij, mortua sum. Tu sponsus meus dilectus. Tu ischi, id est, uir meus. Iam non te existimabo, non te uocabo, quasi Baali, id est, quasi unum ex adulteris meis.

Libri quidam habent Baalim, sed Bibliographorum uicium fuit. Hic nota quod hæ dictiones. ischi & Baali, quæ habentur in hæbraicis codicibus, quasi idem signāt, nam una uir meus, altera maritus meus interpretatur. Sed (ut alibi diximus) lapso populo in detestabilem cultū idoli Baal, tantum illud nomen consueuerunt, quod reliqua impensis dilecta, præsertim idola Baal appellarunt. Fecerant enim quoddam ex illo, generale idolorum nomen, ut falsos deos Baalim dicerent. Sicq; effecti carnales

sunt

ſint, ut etiam Deum Opt. Max. arbitrarentur delectari, pari & cultu, & nomine, quo reliqua idola. At deus ue-rus, cum ſpiritus ſit, non uult falſorum deorum, aut cultū aut nomen. Propterea non uult Baalim ſed iſchi, id eſt, uir meus à ſynagoga adpellari. Quemadmodum, ſi maritus quiſpiam, adulteræ coniugis, quæ adulteros ſuos prius maritos adpellaſſet, eidem conuerſæ, & ad ſe re-deūti præciperet. Quia uocaſti olim adulteros tuos mari-tos, nolo ut amodo me maritū uoces, ſed uocabis me, ami-cum tuum, uel uirum tuum tantum, obmiſſa illa nomina-tione, maritus meus. Nec ualet quod quidā, Baali domi-num meum interpretantur, dicentes, quod magis myſte-rio conſentiat, ut non uelit Baali, id eſt, Dominus meus, ſed iſchi, id eſt, uir meus, dici, quod iam non uelit ti-moris, ſed miſericordiæ uocabulo à credentibus ad-pellari. Nam iſti ſententiæ, innumera utriuſq; inſtru-menti teſtimonia aduerſantur, quæ etiam Chriſtum Do-minum uocant. Nonne fidelis erat, qui dixit. Pſal. 109. Di-xit dominus domino meo. Et ille qui Ioan. 20. ait. Domi-nus meus & Deus meus. Igitur Baali ſecundum priorem interpretationem adcipiatur neceſſe eſt, ut ſic textus enarretur. Et erit in die illa, reuelata ſcilicet ſynagogæ, Chriſto meo ac eius Euangelij gloria, nō uocabit me &c. Senſus eſt. Nihil tum carnale de me ſentiet, quin potius illuſtrata ſpiritu meo, agnoſcet quàm odiam omnem ido-lorum cultum, nolimq; uel ſolo nomine, cum eis aliquid habere commune.

Et auſe-

Et auferam nomina Baalim de ore eius, & non recordabitur ultrà nominis eorum.

Dum Synagoga fuerit uere conuersa, tantum Idola detestabitur, ut nec quidem ea uel tantum nominare, uel nominum eorum memor esse uelit.

Ex prædictis animaduerte, quid carnis sensus, quidue Spiritus Christi in uniuersis operetur. Ille enim de omnibus mendaciter iudicat & sentit, iste semper nititur ueritate. Ille fecit, ut alienis à Deo diuinitatem Synagoga tribueret, iste unum tantum agnoscit. Ille dum de ipso carnaliter sentit, ipsum externa uelle, & in eis delectari arbitratur, iste, quia illum scit esse Spiritum & ueritatem, eũdem in spiritu & ueritate adorat, Ille semper deficit, hic indies proficit, donec Spiritu Christi agente, perficiatur. Non potest non peccare atque errare ille, is nec peccat, nec errat unquam. In sensu carnis ambulat totum illud Regnum Satanæ, Regnum dico Apostaticũ, nihil de Deo aut Christo eius in bonitate & ueritate sentiens. Nempe carnalia, externa scilicet eum uelle consyderant, quæ sola cæci requirunt & amant. His dum credunt iustificari, semper miseri, semper impij, semp̃ iniusti sunt. In sensu autem Spiritus Christi ambulat ipsius felicissimũ Regnũ, ideo de illo uere & syncere sentit, q̃ sit uidelicet spiritus, & in spiritu adorari uelit, externũ autẽ quoduis obsequium nolit, nisi à suo spiritu p̃ficiscatur. O utinã cito corruat Regnum illud p̃ditissimũ, fiatq; Dei, et Domini nostri IESV Christi, cuius nomẽ est benedictum in secula. Ali-

ter quippe de Christo tum sentirēt & loquerentur. Ali-
proximo est ruina eius.

Et percutiam eis fœdus in die illa, cum
bestia agri, & cum uolucre cæli,
& cum reptili terræ.

Quidam libri habent, cum eis, sed non est in He-
bræo, neque in codicibus emendatis, sed tantum sic.
percutiam eis, id est, pro eis, & ad utilitatem eorum fœ-
dus, in die illa, cum fuerint conuersi, cum bestia agri, id
est, cum prædictis pseudolegisdoctoribus, & faciam, ut
suis adinuentionibus, ac doctrinis et mandatis hominum
illos amodo decipiant, secumq; in interitum ducāt, sed le-
gis nudam Euangelij mei ueritatem pronuncient.

Sensus est: Auferam ab eis falsos Prophetas, & da-
bo eis ueros. Nam pro falsis ueros habebis, aut missis no-
uis, aut eisdem, qui prius falsi erant, ad ueritatem conuer-
sis. O utinā interueniret fœdus tale cum omnib. hodiernis
bestijs agri, & cum uolucre cæli, id est, cum spiritibus im-
mundis (Matth. 13. Mar. 4. Lu. 8. Et uolucres cæli come-
runt illud) ne sicut pauloante, hora & potestate tene-
brarum, ob demerita Synagogæ illis à Deo concessa, eam
suis deceptionibus iterum perdant. Et cum reptili ter-
ræ. Reptilia sunt, quæ super terram reptantia gradiun-
tur, ut serpentes, & huiusmodi. Quid igitur per terræ
reptilia accipiemus, nisi serpentes illos, de quibus scriptum
est, Psal. 139. Acuerunt linguas suas sicut serpentes, uene-
num aspidum sub labijs eorum. Itemq; Miche. 7. Lingent
pulue-

puluerem sicut serpentes, uelut reptilia terræ perturbabũtur de ędibus suis. Nanq; impij sæculi dilectores reptilia terræ uenenata recte dicuntur, q maligni sint, & terrenis adfectibus uehementer inhæreant. Cum his fœdus percutiet Dominus, cum illos ad se conuertet, & efficiet, ut qui peruersißimis actionibus, & impio terrenorum adfectu, Synagogæ scandalo erant, emendati illam ad meliora, suo exemplo adliciant. Heu nobis, quot in alto sæculi pelago, reptilia sunt, quorum non est numerus, etiam inter eos, qui Christi religione gloriantur, cui nunc modis omnibus contradicunt, cum quibus prædictũ desyderabile fædus necdum fuit initum. Hi sunt pseudochristiani, q quasi super terram reptant, dum sæculo reproba dilectione iunguntur: Vnde non tantũ cæteris Christianis, sed & Iudæis, ac reliquis gẽtibus perniciosißimo scandalo sunt. Christũ enim eò minus credunt aduenisse, quò professorum sui nominis impiam uitam conspiciunt.

Et arcum, & gladium, & bellum conterã de terra, & dormire eos faciam fiducialiter.

Quid per hæc, nisi pacem uèram, ac miram fiduciæ in Christum securitatem intelligimus? Quandoquidem turris fortißima est nomen Domini, ad ipsam currit iustus, & exaltabitur. Prouer. 18. *Ad Christum ergo Iudæi toto corde redeuntes, pacem uerã habebũt, quã nunquam aliter adsequentur. Nullibi enĩ pax uera repitur, nisi in Christo. Proinde soli fideles sunt filij pacis. Nã quia ĩter se, Spiritu sancto unũ facti sunt, bella, gladios, et litigia nolunt.*

In eis adimpletur illud Psalmi. 45. Arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni. Et illud Zachar. 9. Dissipabitur arcus belli. Etenim divisiones & quasuis contentiones diligere nequeunt, qui in Christum syncere credunt. Hinc Paulus. 1. Corinth. 3. ait: Cum sint inter uos zelus & contentio, & factiones, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? Et rursus capite sexto. Iam quidem omnino delictum est in uobis, quòd lites habetis inter uos. Talem igitur pacem sic habent uniuersi credentes, ut per omnem modum quodlibet dissidium fugiant. Hæc Domino in se operante, dormiunt, fiducialiter, id est, in sui diffidentia, et uera fiducia in Deum, semper quieti & pacifici manent.

Et sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in iustitia & iudicio, & in misericordia & miseratiõibus, & sponsabo te mihi in fide. Et scies, quia ego Dominus.

Perfecta Synagogæ cum Christo unio, ex hoc ostenditur, quòd illi dicitur desponsari. Et primum quidem, sempiterna fore prædicatur. Secundo, in quinque fieri dicitur, scilicet in iustitia, iudicio, misericordia, miserationibus, & fide. In iustitia atque iudicio, intellige, non sponsæ, sed sponsi Christi hominis, qui hæc à patre adcepit, sicut David precatus est, Psalmo septuagesimo primo: Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis. Iudicare populum tuum in iustitia,

stitia, & pauperes tuos in iudicio. Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam. Hanc autem iustitiam, itidem & iudicium, uniuersis in se credentibus tribuit. Propter quod iusti fiunt, & hinc rectum iudicium habent. Quandoquidem mundum & carnem spernenda, soli autem CHRISTO iudicant adhaerendum. Tum dicunt bonum, bonum, & malum quod malum est. Tum denique, quicquid est Regni Satanae, desipit, solus autem CHRISTVS, & quaecunque ab eo sunt, illis sapiunt.

De misericordia autem & miserationibus, par sententia est, sicut de iustitia, atque iudicio, ut omnia Dei esse credantur. Multum enim à ueritate aberrant, qui predicta quatuor ad hominum referunt opera. Atqui non nostris operibus, sed Dei misericordia atque miserationibus, iusti efficimur, cum nostra iustitia ipsemet esse dignatur. Qui enim iustitia nostra est, in nobis sui Spiritus iudicium operatur, & id quidem in multa misericordia, ac miserationibus summis.

Misericordia, summam Dei bonitatem hic significat, miserationes uero, adfectus & actus aeternae bonitatis eius. Verum misericordia, saepe in archanis literis, pro actu Dei miserentis capitur, unde pro beneficij differentia, maior aut minor misericordia adpellatur. Hinc Psalmo quinquagesimo: Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam.

Quia autem praedicta nullus adsequitur, nisi cre-

dens. Ideo in fide Synagoga CHRISTO desponsa
tur. In fide, non historica tantum, sed ea, quæ simpli
Dei uerbo firmissime nititur, & omnimodam sui diffi
dentiam, & plenam in CHRISTVM fiduciam ha
bet. O fides, quàm admirabilia sunt sacramenta tua, se
filij huius sæculi ea minime capere ualent. Nam exc
cauit illos malicia eorum. Veh Sophistis impijs, qui s
ceram fidei extinxere doctrinam, per quam solam, qu
quid necessarium est, à Deo clementissimo suscipim
quæ tametsi hic ultimo loco ponatur, parens tamen un
uersorum præcedentium est. Nanq; per fidem, iustitia
itemq; iudicium recipimus, & per illam Dei in nos mis
ricordiam atq; miserationes experimur. Denique n
absque ratione totiens replicat, Desponsabo, id est, a
iungam, ut ostendat, eam dilectionem, quæ per despo
tionem intelligitur, se in nobis misericorditer opera

Quid demum ad prædicta sequatur, adiungit. Et sc
es, quia ego Dominus. Hæc est scientia æternæ sal
quā sanctis omnibus tribuit sublimis ille iustitiæ Doct
de quo Iohel 2. Et dabo uobis doctorem iustitiæ. Hæ
scientia, quam non homo, sed solus ipsius Doctoris n
excelsi Spiritus tradit, ut sciant, et confiteantur CHR
STVM esse DEVM VERVM atque Dominum, a
terni Patris unigenitum. Hanc quisquis habuerit, c
scet de uniuersis doctrinis, utrum ex Deo sint. Per e
intelliget doctrinarum uarietatem, & sic erudi

Chri

CHRISTI Spiritu, à peregrinis minime abducetur.

O quàm magna misericordia tua Deus, quòd uermiculorum dignaris effici magister, sicut ipse dixisti, Ioan. 13. Vos uocatis me magister & Domine, & bene dicitis, Sum etenim. Et alibi: Magister uester unus est, CHRISTVS. O quàm felices sunt, in quibus hoc Esai. 54. adimpletur: Et dabo filios tuos doctos à Domino. Nullus quippe doctus est, nisi qui Magistri huius factus est discipulus.

QUI CHRISTVM nescit, per operam Spiritus sui, nihil aliorum uere intelligit, quia in tenebris est. Etiam si humano ingenio, humanis (potius dixerim) tenebris, CHRISTI nomen atque historiam tractet, si cuncta diuinæ legis uolumina uoluat, in tenebris ambulat, & nihil ad perfectum intelligit. Qui uero per fidem, unus cum illo Spiritus factus est, & illum uere scit, & quæcunque sibi necessaria sunt, per illum agnoscit. Nimirum spiritualis per Dei Spiritum factus, omnia diiudicat.

Nihil tandem est, quòd admireris prædictorum distinctionem, quòd unum uideatur reliquo esse posterius. Omnia quippe, pro felici Spiritus sui impetu, summus ille præceptor, ac præclarus Ecclesiæ sponsus, in sponsa sua, atque discipulis à principio operatur. Primum quippe erudit, ut credant. Alioqui, ad illum quis ueniet? Nemo enim uenit ad CHRISTVM, nisi eruditus, nisi tractus à patre. Ait enī Io. 6. Omnis qui

audiuit à Patre, & didicit, uenit ad me. Et iterum: Nemo potest post me uenire, nisi pater meus traxerit eum. Matthæi quoque undecimo, & Lucæ decimo, ait: Nemo nouit filium nisi pater, neque patrem quis nouit nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Erudiatur ergo, atque trahatur necesse est, & tunc ad illum ueniet. Acceditur uero ad illum, dum ei creditur. Mox dum credit, iustus est, quia cuiusuis syncere credentis iustitia Christus efficitur. Plenitudinem quippe iustitiæ in sacrosancta incarnatione adcepit, de qua uniuersi credentes adcipiunt. Ioannis primo: De plenitudine eius omnes accepimus, gratiam pro gratia. Lex per Mosen data est, gratia & ueritas per IESVM Christum facta est. Legem Moses tradidit, iustitiam, per quam Deo grati efficeremur, tradere nequiuit. Christus iustitiam à patre adcepit, per quam illi gratus & acceptissimus fuit. Ideo enim dicitur habere gratiæ plenitudinem, non quòd gratia sit habitus quidam, ut impij sophistæ loquuntur, sed quòd patri sit summe adceptus. Ille enim Dei gratiam habet, qui illi est gratus, ille uero maiorem habet, qui illi adceptior est. Quemadmodum si diceremus: Petrus habet gratiam Principis, hoc est, Principi est gratus.

Hinc notæ fiunt Scholasticorum insaniæ, qui gratiam distinguunt, in præuenientem & subsequentem, operantem & cooperantem, gratis datam & gratum facientem

cientem. Figmenta nanq; mendacißima & execrabilia sunt. Igitur gratiam pro gratia adcepimus, pro gratia, non dubium quin CHRISTI. Quia enim ille summe gratus fuit, ideo si uera illi fide iuncti fuerimus, grati per illum efficiemur. Sed unde? Quia iustitiam Dei, in eum credendo, adsequemur.

Vides apertißime, quòd quisquis in eum syncere crediderit, iustus est. Iustus ergo in CHRISTO, non poterit non rectum habere iudicium. Quid est autem, quòd fuit eruditus & tractus à patre, quòd credidit, quòd credens, Dei iustitiam iudiciúmque adcepit, nisi quia in misericordia & miserationibus plurimis Deus illum sibi copulauit?

Ergo prædicta sic esse distincta consyderes, ut pariter fieri nimime dubites. Omnis enim à Deo optimo maximo eruditus & tractus, credit: credens, iustus fit, iustificatus, rectum pariter iudicium habet.

Valde autem admirabile est, quod dicitur: Omnis eruditus & tractus à patre, credit. Et Ioannis duodecimo: Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Item Psalm. 18. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Si omnes audiunt uerbum, si omnes trahuntur, & omnis eruditus & tractus, credit, certe omnes credent, ergo iustificabuntur, prædestinati sunt, & saluabuntur uniuersæ gentes. Ergo nullus damnabitur.

gradatio

 Arbitror,

Arbitror illos tantum trahendos, ut credant, de quibus Ioannis sexto: Omne quod dat mihi pater, ad me ueniet, & eum qui uenit ad me, non eijciam foras. Omnia ergo trahenda à CHRISTO in cruce exaltato, electi tantum sunt. Ergo non trahuntur repr

Quid est ò CHRISTE, quòd non illos tra post te, cum nisi illos traxeris, tibi credere nequeant. Non est personarum adceptio apud te: Actorum deci Roman. secundo, Ephes. sexto, & Coloss. tertio. Bon es, & summe quidem pius, clemens, misericors. Qu re ergo perduntur, cum non nisi tracti, credere ualea Hic succumbit omnium hominum inuestigatio, hic tem rare calamum necesse est. Iudicia quippe Dei abyssus m ta. Verum de his pro adcepto à Deo munere, libro D causis excæcationis &c. tractauimus. Trahe me p te, clementissime pater, doce me facere uoluntatem tu am, quia Deus meus es tu.

hir long multos torquet

Et erit in die illa, exaudiam, dicit Dominu & exaudiam cælos, & illi exaudient terra Et terra exaudiet triticum, uinum, & oleum & hæc exaudiét Iezrael.

Si diligenter inspexeris, quæ dicuntur, agnosc quàm multæ sint miserationes Domini, qui ut osten se nobis uelle auxiliari, replicat se exauditurum, ostendat se illi idem esse, qui dixit, Matthei septimo, Lucæ undecimo: Petite & adcipietis, quærite, & in uenietis, pulsate, & aperietur uobis. Omnis c

qui petit accipit, et qui quærit inuenit, & pulsanti ape-
rietur. Itemq́; Matth. 18. Si duo ex uobis consenserint
&c. Et Lu. 18. Oportet semper orare, & nunquam de-
ficere. Et pleraq́; his similia. Dicit ergo. In die illa, uideli
cet cum synagoga fuerit conuersa, exaudiam cælos, nem-
pe, Apostolos, aut uiros apostolicos, psal. 18. Cæli enar-
rant gloriam dei. Cæli quippe recte dicuntur qui splen-
dentes, & alti sunt. Tales enim oportet eße uiros aposto
licos, Euãgelij scilicet ministros (qui dei Apostoli, id est,
nuncij sunt) ut à terrenis sint adfectibus elongati, ut lux
mundi sint, Matth. 5. utq́; cum Christo per fidem in cæle-
stibus conuersentur. Hic tropus admodum conueniens
est. Sicut enim ad terræ aut fertilitatem aut sterilitatem,
multum facit cælorum siue aëris dispositio, sic prædicato
rum et fides & zelus, aut istis aduersaria, populis siue
nocent siue proficiunt. Deniq́; sicut cæli, id est, aëra qua
si exaudiri dicuntur, dum illis bona dispositio traditur,
dum temperies concupita donatur, sic cum uerbi sancti
ministri, tales per dei misericordiam fiunt, ut populo uti
les esse poßint, etiam exaudiri dicuntur. Grauis profecto
est dei punitio, cum uerbum sanctum aufertur, donum ue
ro quàm maximum dum reuelatur. Quotquot seculis,
contenebrati fuerunt cæli, id est, quicunq́; prædicarunt,
ambulantes in spiritu erroris, & doctrinis dæmoniorũ.
Quorum adhuc multi, nubes & tenebras quibus subob-
scurantur à se propellere nolunt. Orandum ergo est, ut
pellantur ab eorundem cordibus, condensæ cæcitatis &
ignoran-

ignorantiæ nubes, ac quæcunq; adinuentiones hum
ut simpliciter Dei gloriam, illiusq; impolluta eloqui
rent. Tunc illi exaudient terram, id est, populos, des
& siti uerbi arentes. Terra quippe, dum ut fructifi
irrigatione opus habet, quasi tunc exauditur dum op
tunis imbribus irroratur. Sic cæli, id est, apostolici u
tunc exaudient terram, id est, populos synagogæ con
sos, cum illis salutaria diuinorum eloquiorum fluenta
fundent. Vnde ipsa terra, fructus proferet ampl
mos, & exaudiet frumentum, uinum, & oleum, & i
plebitur illud, psal. 84. Dominus dabit benignita
& terra nostra dabit fructum suum. Ad quid frument
uinum & oleum, in terra ponuntur, nisi ut fructum f
ant, ut multiplicentur? Quæ tum quasi à terra exau
tur, dum in illa bene ex fide & Christi spiritu dispos
plurimum adaugentur. Quid autem per hec, nisi ser
num Dei amabilem fructum, imò ipsos sermones intel
gimus? Semen quippe est, uerbum Dei (Matth. 13. Ma
4. & Lu. 8.) in cordibus fidelium Dei spiritu cooper
te receptum, sicut dicitur Hiere. 31. Dabo legem mea
uisceribus eorum, & in cordibus eorũ scribam eam. Ha
lex hoc uerbum, est frumentum, cum reficit & conf
mat. Psal. 103. Panis cor hominis confirmet. Vinum
letificat, psal. eo. Vinum, letificet cor hominis, & psa
18. Iustitiæ domini recte, letificantes corda. Oleum, d
cõsolatur, & sanat. Psal. 103. Vt exhilaret faciẽ in ole
Et 118. Quam dulcia, faucibus meis eloquia tua, sup

me

mel oxi meo. Et rursum. Psal. 106. Misit uerbum suum et sanauit eos, & eripuit eos de interitu eorum. Exaudiuntur ergo à terra, id est, à credentibus, frumentum, uinum & oleum, dum in eis fructus suos producunt, eloquia sacra. Tandem subiungitur. Et hæc exaudient Iezraël, qui ut primo capite diximus, interpretatur, Semen dei, per quod intelligimus solum Christum & membra sua.

Dum enim secundum uoluntatem Christi & fidelium (qui tantum Dei in omnibus gloriam quærunt) uniuersa procedent, à Deo exaudientur. Quid enim uult, quisquis syncere credit, nisi quod deus uult? Quia ergo fideles omnia ex ipso, & per ipsum fore consyderant, nihil ex superuenientibus adfliguntur. Nimirum quia uolunt quæcunque dominus uult, perturbari haudquaquam possunt. Propter quod sic nos domino erudiente oramus. Fiat uoluntas tua, sicut in cælo, & in terra. Quid est fieri domini uoluntatem, ita in terra, quemadmodum in cælo, nisi quod omnes sint hic, suæ uoluntati ita concordes, sicut qui in cælestibus habitant?

Quod in uere credentibus adimpletur. Nam in mundo tametsi, ut homines peccant, fit tamen prouidente, ac miserante Deo, ut electi quique peccata etiam quæ ipsi faciunt non ament, quin potius illis toto corde displiceant, atque eadem in semetipsis crucifigant. Iusti autem semper sunt, & Deo grati, quia etiam peccata eorum teguntur, & absorbentur à iustitia fidei. Sicut scriptum est. Psal. 31. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum

Roma. 4

rum tecta sunt peccata. Beatus uir cui non imputauit Dominus peccatum. Et hi quoq; cæli dicuntur, sicut alijs locis probauimus. Quorum respectu increduli omnes terra sunt. Proinde hac etiam ratione, præscripta orationis dominicæ uerba capiuntur. Fiat uoluntas tua, ita in terra, id est, in carnalibus, quemadmodum in cælo, id est, in Ecclesia & ueris fidelibus. At plenius hæc apud Lucam. Vltimum, tandem de ipsa synagoga subiungit.

celi



Et seminabo eam mihi in terram.

Facilis est huius intelligentia loci. Eam quippe faciet terram suam, dum illam ad se conuertet. Eam autem seminabit, dum illi ueritatis intelligentiam tribuet, facietq; ut fructus ueræ iustitiæ proferat. Vere felix est, qui terra Dei fit, infelicißimus autē quem ille sibi in terram, haudquaquam adsumit. Nimirū sine illo, sumus ut terra sine aqua, cum quo, perinde atque terra fœcunda sumus.

Hic animaduerte, quòd quæcunq; hic dicta sunt, ab illo loco. Propter quod ecce ego lactabo &c. ita de synagoga ad Christum in diebus nouißimis conuertenda praedicuntur, quod tamen de uniuersis credentibus, non tantum à Saluatoris aduentu, sed etiam à sæculi initio intelligenda sunt, quamuis eadem, quàm maxime, post manifestatum ipsius optimi Seruatoris aduentum, fuerint adimpleta. Quisquis ergo syncere crediderit, uniuersa quæ hic dicta sunt, suscipiet misericorditer, quæ ad studiosorum consolationem, hic breuiter adnotare uoluimus.

Dei

Deus uniuersos in se syncere credentes, lactat, id est, lacte sui spiritus consolatur. 1

Ducit in solitudinem, id est, in tranquillum, pacati animi statum, ut soli sibi quietius uacent. 2

Misericorditer erudit, & ad corda eorum loquitur. 3

Illis dat uinitores, id est, Euangelistas, ex eodem loco, 4
id est, ex credentium ecclesia, cuius illi sunt membra. Si autem homo uinitor abfuerit, Deus ipse clementissimus, aget uinitorem, & cultas atq; fructuosas, electorũ mentes efficiet.

Datq; illis uallem Achor, siue conturbationis, id est, 5
humilitatem animæ uere resipiscentis, & Christianæ crucis, quæ nunquam non sequitur fidem, & uerbũ Dei.

Eandem crucem tollẽtibus, spem ueram in se tribuit. 6
Nam in cruce quàm maxime, ad spem & fidem uia paratur.

Deum laudabit, sicut in egreßu ab Aegypto, ac iuxta 7
dies iuuẽtutis suæ. Iuuẽtus illa atq; egressus ab Aegypto, in baptismate sunt, ac dum primum credidit. Quisquis autem uere credit, etiam si peccet, per fidem semper renouatur, secundum illud psal. 102. Renouabitur ut aquilæ iuuentus tua. Sic uero renouatus, non potest non laudare dominum, in omni uita sua.

Adorabit deum in spiritu & ueritate, eum ecclesiæ 8
sanctæ sponsum legitimum recognoscens.

Non uocabit illum ultra Baali, id est, nihil de illo car- 9
naliter

naliter sentiet, atq; loquetur. Nec ultra idolorum cultu
illum colet.
20 Efficiet in illo Deus, ut obliuiscatur nominum Baa-
lim, id est, idolorum, & spernat atq; dimittat, quicquid
ante per reprobam carnis prudentiam, de deo, ac reli-
quis omnibus, sapuerat, atq; locutus fuerat.
21 Non officient illis, nocentissimæ bestiæ agri, id est,
pseudo legis doctores, ac falsi quicunq; Theologi. Docti
namq; à domino, illorum uenena deuitabunt.
22 Volucres cæli, dæmones scilicet, non poterunt illis, in
quopiam nocere, quin potius ab ipsis uincentur. Nam ue-
re mira est credentium fortitudo, quod ueritatem omnia
uincentem secum habeant. Psal 90. Cadent à latere tuo
mille, & decem millia à dextris tuis.
23 Non immutabuntur, neq; à fidei soliditate deficient,
neq; scandalizabuntur, cum uiderint, uenenata reptilia
terræ, id est, impios terrenorum dilectores, quod non ho-
minum mores, sed Christum uerbumq; illius sequantur.
24 Non amabunt bella, contentiones, gladios, lites, sed
fugient summopere, quicquid dissidiorum potest esse fo-
mentum. Habebunt autem, pacem, unionem, & concor-
diam in spiritu sancto.
25 Dormient, & permanebunt, in cunctis operibus suis
fiducialiter, nihil timentes, sed semper Domino fidendo
securi, dicentes cum Dauid sancto, psal. 26. Dominus illu-
minatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus pro-
tector uitæ meæ, à quo trepidabo? Si cōsistant aduersum
me

me castra, non timebit cor meum. Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo.

Perseuerante fide, nunquàm à CHRISTO separabuntur, sed in sempiternum CHRISTI sponsa, quælibet fidelis anima erit. 16

Propter iustitiam Dei, quam uniuersi credentes adcipiunt, anima Christo sponsata, iunctaq; semper erit. Per nullam autem iustitiam hominum, id fieri posset. 17

Iidem propter iudicium, quo dei spiritus in fidelibus, mundum iudicat, reprobat, & arguit, de peccato, de iustitia carnali, atq; iudicio insyncero Ioã. 16. 18

Similiter, ne quispiam arbitretur, propter quascunq; iustitias operum, siue (ut Scholastici uocant) merita, quæ uere nulla sunt, credentem animam CHRISTO sponsari, id non in suis meritis, sed in sola Dei bonitate & misericordia adseqtur, p quam et iustitiã, et iudiciũ, & quæcunq; habet, ab illo adcepit, quod & sentit, & profitetur. 19

Non aliunde huius felicißimæ desponsationis perseuerantia uenit, nisi quia miserationes Domini multæ sunt, 20
in quibus, & per quas, fidelis anima uiuit. Miserationes autem sunt, ardentißimi erga nos diuinæ bonitatis adfectus, sicut misericordia illius summam significat bonitatem, qua nobis miseris uult auxiliari.

Obid q̃ maxime anima Christo spõsatur, siue adiungitur, q credit, unde iusta, deoq; grata efficitur. Verum nec 21
credere quidẽ poteſt, quantũlibet ad id nitatur ꝓprijs uiribus, nisi preuẽta ĩ benedictiõib. miserationũ dei altißimi.

I Assequitur

22 Adsequutur item, scientiam Dei, quæ sola est salu[illegible]
entia, & sanctis tantummodo tribuitur, suscipitq; sp[illegible]
sapientiæ, intellectus, consilij, scientiæ, & quæcunq[illegible]
ista sequuntur.

23 Exaudietur à Domino semper, & quicquid ex fide p[illegible]
tierit, obtinebit. Nihil autem petit à Domino, nisi quod[illegible]
le uult, quod ad gloriam suam facit. Quapropter, om[illegible]
quod postulat, nunquam non adcipit.

24 Si uerbi minister fuerit, cælum erit, & cælestia dog[illegible]
ta tradet. Exaudiet enim illum Dominus, et dabit uerb[illegible]
Euangelizanti, uirtute multa. Psal. 67.

25 Exauditus autem, terram, id est, credentium populos [illegible]
audiet, illis, quas sitiūt, Dei eloquiorum aquas diuidēs. [illegible]
mirū eorū sitis, in Dei populo semp est. Nā cupiunt e[illegible]
las, q, impollutæ æternæq; sint, hominū autē somnia[illegible]
ditiones abominantur.

26 Ei qui terra Dei, uera in Christū fide, factus fuerit, [illegible]
bit illi ipse Deus cælos, id est, cælestes uerbi sancti m[illegible]
stros, & si defuerit homo administrās uerbū, ipsemet s[illegible]
per doctor erit: q nisi etiā homine docēte, principalis [illegible]
ditor sit, nihil salutare homo efficiet unquā. Enimuero [illegible]
læ conciones auditorib. nec scripta lectoribus pderunt, [illegible]
si deus interne erudiat. Deniq; quia sancti et Prophetæ [illegible]
Apostoli cæli fuerūt, dū illorū scripta fidelis qspiam leg[illegible]
eruditur, ac ueritatem & fructum illorum, ut cupit ex[illegible]
ritur, quasi à cælis exauditur.

27 Dum fidelis, terra solicite irrigata factus est, quæcu[illegible]

que in eo seminantur, fructificant, producitque uberrimè frumentum, uinum, & oleum, id est, uerbum Dei, in illis fructus plurimos facit.

Omnibus credentibus, quæcunq; sibi ad salutem sunt necessaria, Dei uerbo traduntur. Est enim illis idem uerbum aqua, quia irrigat, ut fructuosi sint, purificat mentem ab impurißimis hominum inuentis, refrigerat ab immundis adfectibus, sitimq; inutilium desyderiorum extinguit. Est quoq; frumentum & panis, dum reficit, & confirmat: uinum, dum cor lætificat: oleum, dum consolatur & sanat. 28

Voluntas Iezraël implebitur, & illius desyderia à frumento, uino, & oleo, cœlis ac terra, exaudientur, cum de prædictis fiet, quicquid desyderant Christus & credentes, qui Iezraël, id est, semen Dei sunt. Psal. 144. Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in ueritate. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet illos. 29

Omnem credentem sibi Deus in terram adsumit, & sua in eis semina mittit. Semina æternæ ueritatis eloquia sunt.

Vides, quàm mirabilia tradantur uniuersis credentibus, id est, Ecclesiæ Dei, quæ à primo electo, usque ad ultimum supputatur. In quibus idem Spiritus prædicta operatus fuit, sed id patentius, exorto sole iustitiæ CHRISTO. Nullus autem eorum, qui non sincere credunt, qui non in lege & uerbis DOmini

MINI toto corde meditantur, prædicta adcepit, ne-
que adcipiet unquam, nisi resipiscat. O utinam ape-
rirentur oculi cæcorum, qui Dei eloquijs castißimis, in su-
um interitum aduersantur, & uiderent, ubi nunc positi
sunt. Tunc enim patenter agnoscerent, quantum à tot se-
culis obfuerint quæcunq; humana inuenta, traditiones &
decreta, quantumq; ueritatis intelligentiam, superba &
inanis Philosophia contenebrarit. Item ut paucis uniuer-
sa concludamus, ipsimet iudices eßent, quantũ ab his, quæ
suprà Spiritus S. promisit credentibus, abstraxerint, ho-
erni monachatus, confraternitates, rosaria, precula, co-
næ, & id genus hominum figmenta. Hæc qui non capit,
uere cæcus est. Damnãt nos, quia Dei uerbo adhæremus,
eò q. idem uerbũ non intelligant. Nos autem certi sumus,
q. uerbum Domini habeamus, ipso simplici uerbo nobis te-
stimonium certißimum & idem manifestißimum perhi-
bente, ac semetipsum, quantum opus est, exponente. Cer-
ti enim sumus, q. hi, qui nos hæreticos & aberrantes e-
stimant, cæci sunt, & in reprobum sensum traditi, ut fa-
ant & sentiant, quæ iustitiæ Christianæ & ueritati nulla
ratione consentiunt. Profecto, si sepositis uniuersis ua-
impijsq; adfectibus, dei scripta pure meditarẽtur, ac
ta diligẽtia Cõmentarios Doctorũ etiam sanctorum, cum
iudicio (sicut oportet) legerent, cum iudicio (dico) quod
diuinis literis pcedat, non à nostro sensu, non poßent à
bis aliena sentire. Vnus est enim unius scripturæ scopus,
unusq; Spiritus, non uarius (ut Sophistæ garriunt) à quo
omni

ctus sensus precipue est intentus. Non tamen nos omnia intelligere adfirmamus. Nimirũ in quibus scripturæ mysteria non penetramus, tunc Dei maiestatem in absconditis suis tacentes reueremur. Sed & si quis melius Deo reuelante agnouerit, modo Scripturæ testimoniũ adferat, illi cedimus libentissime. Quicquid autem aut scribimus, aut predicamus, omnia à credentibus, & legi, & audiri cum iudicio, quod à diuinis literis proficiscatur, cõcupiscimus. Nolumus autem cedere hominum inuentis, probationibus, decretis, legibus, consilijs, absq; Spiritu Dei, nec quibusuis Principibus & magistratibus uniuersæ terræ, ut solum Dei optimi maximi uerbum regnet in nobis.

PARS QVINTA.

Et miserebor eius, quæ fuit absq; misericordia, & dicam non populo meo, Populus meus es tu, & ipse dicet, Deus meus es tu.

ALij transtulerunt: Et diligam non dilectam. Et in hoc sensu, hic locus à Paulo Rom. 9. allegatur, ubi de conuersione gentiũ agit. Propter quod de gentibus intelligendus est, qui cum primum Deo minime grati essẽt, nec misericodiã fuissent ad hoc cõsecuti, fuerũt sic ab illo in gratiã recepti, ut ingẽti misericordia illius dilectionẽ adsequerẽtur, atq; à Deo, suus populus uocarẽtur, et illi opante in se Spiritu Sã. Deũ suũ ipsum esse cõfiterentur. Verum de his in principio huius capitis abundantius disseruimus.



Cap. S. Primum, Dei erga filios Israël, inestim[abilis] dilectio ostenditur. Secundo, sub typo mulieris adul[terae] eos dicit reijciendos. Tertio, eos ad CHRI-STVM, *diebus à Deo praeordinatis con uertendos fore praenunciat.*

CAPVT TERTIVM.

PARS PRIMA.

ET dixit Dominus ad me: Adhuc u[a]de, & dilige mulierem, dilectam a[b ami]co, & adulteram, sicut diligit Do[mi]nus filios Israël, & ipsi respiciun[t ad] Deos alienos, & diligunt uinacea uua[rum].

QVae secunda, tertia, & quarta partibus ca[pitis] praecedentis, sub miris tropis, de Synagoga [p]dixit, nunc patentius hoc capite tradit. V[eru]m quia haec in typo mulieris adulterae facit, quid prim[um] illa dicatur, est diligentißime aduertendum. Iubet D[omi]nus Oseae, ut diligat, non tamen in uxorem adcipiat, [adul]teram ab amico, sponso scilicet dilectam, sicut dilig[it]

ab eo filij Israël. Apta prorsus similitudo. Amicus diligit sponsam suam, quæ illo contempto, adulteros diligit, atque in thorum mariti illos suscipit. Sic Deus amat filios Israël, qui illo derelicto, alienis à Deo afficiuntur. Filij Israël omnes electi sunt, ut diximus ca. præcedenti, quãuis hoc loco de Israëlitis secundum carnem intelligatur, prout sequentia manifestant. Israël ergo à Deo recedit, & tamen ab illo diligitur, ut animaduertas, q. etiam peccantes electos diligit, non q. peccent, sed q. ab illo sint ante mundi constitutionem electi. Diligit (inquit) Dominus filios Israël, & ipsi respiciunt ad Deos alienos, uidelicet, ad somnia & inuenta cordium suorum, & diligunt uinacea uuarum, id est, inutilia sibi. Quandoquidem uinacea ad nihil utilia sunt, nisi ut brutis dentur. En q. illi deos alienos recipiunt, id est, creata Dei amori anteponunt, & tamen illos se diligere adseuerat. Rom. 11. Secundum electionem charißimi propter patres. Dij alieni sunt, quos supra amatorum nomine intelleximus. Et hi recte uinacea dicuntur uuarum, q. nihil utilitatis suis dilectoribus adferant, immo sunt eisdem per omnia nocentißimi.

Vbi nos habemus, uinacea, uarij uaria posuerũt. Ego ab Hebræis codicibus rectius translatum puto, si dicatur: Et diligunt lagenas uel ciphos uuarum, per quæ ebrietas, & cætera carnis delitiæ, ac quæcunque etiam doctrinæ carni placent, capiuntur, quibus perinde atque dijs alienis herentes, & ebrij facti, quasi à uino, à Deo optimo maximo apostatarunt.

Et fodi eam mihi quindecim argenteis, et co-
ro ordei, & dimidio coro ordei.

In Heb. habetur: Et conduxi, quod & Septu. transtu-
lerunt. Dicit igitur Propheta: Et fodi, id est, conduxi e-
am mihi quindecim &c. Somnium, ac uanum homin
figmentũ uidetur esse, quicqd per hos quindecĩ argẽteo
et corum ordei, ac dimidiũ corum ordei, quidam intellige-
re uoluerunt. Certum enim est, q. Oseas adulteræ ab eo
ductæ illa tradiderit. Verum si quod mysterium latet
istis: solus Deus nouit, ac cuicunq; ipse uoluerit reuelare.
Nos autem, ut quid definiemus, quod nobis minime est re-
uelatum? At dices: Inutiliter ergo scripta sunt. Absit. Spi-
ritus quippe, quid per hæc uelit, indicat sufficientißime.

Incontinens fuit mulier illa, sponsi dilectionem con-
temnens, thorumq; illius adulterorum receptione con-
maculans. Quam ob causam, uult illam Dominus, pa-
riter & pij mariti, & adulterorum thoro priuari, & i
tristitia luctuq; manere. Ne autem se arbitraretur p
nitus derelictam, uoluit illam castum habere dilectum, O-
seam scilicet, qui eidem foret non carne, sed Spiritu
ctus. Et ne forsan ad quippiam illicitum egestate pro-
uocaretur, uoluit eandem prædictis muneribus à Pro-
pheta donari.

Quid dicent impij cælibatus hypocritici iactatores
Si ad illos huiusmodi sermo peruenißet, nunquid nõ addu-
sent ad uerbũ Domini? Dixißent proculdubio, q. sermo
Domini non ita intelligi oporteret, sed stultum quippe
pro

pro suo more somniassent, Dixissent, suspectum fore, ac Prophetæ indecorum, uel munus tantum dare adulteræ. Veh hypocritis & temerarijs istis, qui uerba Domini im minuere, aut illis addere pro sua uanitate præsumunt. At non sic fidelis Oseas, sed simplex Dei uerbum toto corde seruauit. Mulierem idcirco fornicariam uxorem primum duxit, deniq; adulteram syncere dilexit, eandemq; prædictis muneribus, siue precio conduxit, & à suis adulterijs reuocauit.

PARS SECVNDA.

Et dixi ad eam: Dies multos expectabis me. Non fornicaberis, & non eris uiro. Sed & ego expectabo te.

Hebræi habēt: Dies multos sedebis, uel habitabis apud me. In domo igitur ꝓphetæ adultera ĩ castitate sedit diebus plurimis. Deniq; ubi nos habemus: Sed et ego expectabo te. Hebræi habent: Sed et ego ad te, supple, sedebo. In domo mea pariter manebimus, uerum te cælibem ducere uitam necesse est. Magna certe Prophetæ fides, itidem & obediētia, qui nihil, quod Deus iusserit, prætermisit, quantumcunq; secundū stultam carnis prudentiam, à quouis Dei seruo, uideretur admodū alienum. Credidit enim nihil hinc futurum, quod Dei gloriam, uerbiq; sancti fructum imminueret, confidens in eum, cuius uoluit duci imperio, q. feliciter omnia concluderentur. Hinc animad

obedientia prophetæ

uerte, quanta reuerentia sit Dei uerbum suscipiendum, ita-temq; fideliter obseruandum, q nihil nisi sanctum cōtine-at, etiam si nobis aliter uideatur. Dei enim grauis blasphe-mia est, & quasi illū mendacij arguit, qui illius uerbis nō simpliciter credit, aut de eisdem in sensus carnis temeritate dijudicare non expauescit. Deus quippe ueritas est, & in omnibus sermonibus suis fidelißimus, ideo si quis ab il-lis dißētit, Christū abnegauit. Imò & seruus Dei ita uer-bo ipsius se subijcit, ut nihil, nisi ab illo directus uelit ope-ri. Imò, & nihil p Dei uerbo suscipit, nisi fuerit undequa-que certißimus, q uerbū Dei sit. Perdatur ergo stulta mū-di sapiētia, neceße est, si uolumus Dei sapientiam per uer-bum sanctū, cordibus nostris infundi, fructumq; adferre, permanentem in uitam æternam.

Quia dies multos sedebunt filij Israel sine re-ge, & sine principe, & sine sacrificio, & sine al-tari, & sine ephot, & sine theraphin.

Vides, q ad id præcipue mulier adultera conducta sit, atque in luctu diebus plurimis sedere iubeatur, ut ex hoc grauis, & eadem longa, plebis Israëliticæ (quam nunc ha-bent) captiuitas, apertius monstraretur. Non enim po-test intelligi de ulla captiuitate, quæ fuerit ante CHRI-STI aduentum, quia non fuit ablatum sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec aduenit, qui mit-tendus erat. Iudæos autem Israëlitas fuiße est cer-tißimum. Nulla autem ratione impellimur, ut hæc tantum de Regno decem tribuum intelligamus. Deniq;

ut de

ut de captiuitate, quam nunc sustinent interpretemur, facit quod sequitur, dum ad Dauid, id est, Christũ, à quo discesserant, reuersuri prædicuntur.

Sederunt ergo multis diebus filij Israel, in captiuitate, sedebuntq; usq; in tempus præfinitum à Domino. Per dies multos, annos plurimos, longaue tempora adcipit. Sine rege ac principe, scilicet spetiali, & ex illis: Sine sacrificio & altari, quod erat apud Hierosolimam, extra quam non licebat illis sacrificare. Et sine ephot, uestibus scilicet sacerdotalibus, quibus tantũ in templo eis licuit uti. Et sine theraphin, id est, imaginibus seu idolis in quibus solebant maligni spiritus, illis dare responsa. Nimirum quamuis à Christo recesserint, simulachra tamen minime colunt, certe in hoc perfectius agentes, his qui se Christi esse dicunt, qui in omnibus platearum angulis, altaria idolaq; erigunt, adserentes ea coli, & uenerari posse, cum in plusquam mille scripturæ locis omnem eorum cultum, deus interdixerit. At hos singulos locos, abundantius paulopost discutiemus. Nunc reserare oportet, quem admodum, quæ de adultera iam dicta sunt, huic mysterio consentiant. Oseas, Christus est: Etenim saluator interpretatur. Dilexit mulierẽ adulteram synagogam, à qua nostræ carnis substantiã sumpsit, & illã quindecim argenteis, coro ordei, & dimidio coro ordei, id est, precio magno redemit. Et sicut mulierem adulteram Oseas, ab adulteris liberam fecit, sic Christus synagogam à peccatis suis, tametsi huius liberationis, hi tantum participes facti

facti sunt, qui in illum crediderunt, cæteris in grauissi
captiuitate derelictis. Quamuis etiam illi, ut diximus, li
beri facti sint, ab idolis multis, quæ ante colebant. Na
sedent absq; theraphin. Ergo paucis fidem suscipientib
quia fere uniuersi, in infidelitate manserunt, nec ad
missum, seq; diligentem Christum Seruatorem Regem
suum agnouerunt, ideo reiecti sunt, & in uarias regio
dispersi. Sicq; in longa captiuitate permanent, quoad
in Ecclesiam IESV Christi, introierit gentium plenitu
do. Tunc implebitur quod sequitur.

PARS TERTIA.

Et post hæc, reuertentur filij Israel, & quæ rent Dominum deum suum, & Dauid Re gem suum. Et pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius, in nouissimo dierum:

NON reuertentur ad dominum nisi prius ab il tracti, non quærent eum, nisi prius, illos ipse quæ sierit misericorditer. Præueniet ergo eos in bene dictionibus suis, ut demum post se currant, & non labo rent. Efficiet quippe hoc in eisdem iustitia fidei, ut cru post illum qui eorum iustitia erit, ferant quàm libentissi me. Etenim in syncere credentibus id uera fides opera tur, ut Christi iugum sit illis suaue, & onus eius le Quærent ergo Dominũ, & Dauid Regem suum. Qu

Dauid iste, nisi Christus. Quod translatio chaldaica pandit, quæ dicit. Post hæc reuertentur filij Israël, & quærent cultum Dei sui, & obedient, Messiæ filio Dauid Regi suo. Itidem Hiere. 30. Seruient domino Deo suo, et Dauid regi suo, quem suscitabo eis. Et rursum Amos ultimo. Suscitabo tabernaculum Dauid.

Demum, posteaquam per fidem Christum inuenerint, cum templum illius facti fuerint, uidentes sublimitatem illius, quem crucifixerunt, aspernati sunt, & abnegauerunt, confusi in semetipsis, & humiles facti, gaudentes autem pro gloria, bonitate, & celsitudine illius, pauebunt, obstupescent, admirabuntur. Quis non expauescet ob Christi magnitudinem, præter eum qui nō credit? Nimirum illum nemo agnoscet, nisi per fidem, quod omnis incredulus cæcus sit, proindeq; ueritati adquiescere nequeat. Si aūt nouit eundem, non potest, non pauere atq; timere illū. Sed quomodo pauebunt? quomodo timebunt? Ad dominū, & ad bonum eius. Igitur non ad uanitatem. Dominus (ait Dauid fidelis psal. 26.) Illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Dominus protector uitæ meæ, à quo trepidabo? Si exurgant aduersum me castra, nō timebit cor meum.

Sed quid est timere & pauere ad Dominum, & ad bonum eius? Est proculdubio ut solum, ob id paueas atq; timeas, quòd uniuersorum Dominus, quòd summe, & solus bonus est. Scit fidelis, omnia Christi esse. Scit quod nō stat, non uiuit, non operatur, nisi quia ille bonus est, quia

uiuit in credentibus, quia omnia in nobis operatur. Sci
quoq; omnia ab illo, nihil à nobis proficisci. Expauesc
ideo, & timet, dum uidet quod ante haudquaquam agn
uerat, omnem scilicet uirtutē, bonitatem, potentiā, De
Christiq; sui esse, nullam aut angelorū aut hominum qu
rumcunq; Scit quod ipsi Regi seculorū, immortali & i
uisibili, soli deo, pro omnibus honor & gloria, nobis a
confusio, ignominia, uituperium. Timet igitur, ne qu
solius Dei est, homo putredo & uermis, sibi usurpet, gl
riam scilicet, uirtutem, iustitiam, bonitatem. Nanq;
illius bonū timet, dum timor quem habet, ad solam illi
bonitatem refertur. Hic est timor, qui est sapientiae ini
um, Prouer. 1. & psal. 110. Nemo plane, uere sapiens e
nisi timuerit. Cum uero timet, & pauet, ad Christi bon
timens ne ipsius bonum sibi usurpet, tunc semper sap
humilior fit, & apertius uidet quàm nihil sit, unde ad u
ram sapientiam, semper magis magisq; adsurgit. Quan
to enim minus sua cuiq; placent, tanto deus illi sapidi
est. Cum autem Deus uere homini sapit, tum uere sapi
est. Ad quod nemo omnino perueniet, nisi sicut pra
ximus, paueat & timeat ad dominum. Via ergo & ini
um ad sapientiam hic pauor siue timor est. Timor quo
expellit peccatum, & qui sine timore est, non poterit iu
stificari. Eccle. 1. Solus quippe Dei timor, odit malum
Prouer. 8. Et per eum à peccato declinat. Prouer. 1
Nullus etenim, plus illo qui Dominum timet, peccatu
tare potest. Imò uniuersi in quibus non est is necessari

Dei timor, nunquam non peccant. Nam quidquid agunt peccatum est. Cæterum qui timet dominum, illius sacratißimas iussiones, & amabit & obseruabit. Psal. 111. Beatus uir, qui timet dominum, in mandatis eius uolet nimis. Namq; dum pauet ad bonitatem & gloriam Christi, nihil efficit, unde non illius, & bonum & gloriam quærat. At cum ex omnibus, atq; in omnibus, non quæ sua sed quæ Dei sunt, concupiscit, superbus esse non potest. Videt enim infirmitatem suam, itemq; Dei magnitudinem, cuius celsitudinem quanto apertius conspicit, tanto se uiliorem semper agnoscit. Superbiam autem, quæ omnis peccati initium est, quisquis non admiserit, peccare non potest. Sed & si peccauerit, per eum qui credentium iustitia est, uniuersa illius delicta obscondentur. Nam de illis est, quod dicitur psal. 31. Beati quorũ remißæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus uir cui nõ imputauit Dominus peccatum.

Quæ hic de synagoga posita sunt, in nouißimo dierum futura prædicuntur. Per diem aũt nouissimũ, extremum seculi tempus adcipit, cũ de diebus aduentus saluatoris, minime poßit intelligi. Siquidem Esa. 2. & . 9. Et Micheæ. 4. & alijs plerisq; locis, p dies nouissimos, tẽpus quo Deus in carnẽ uenire dignatus est, capitur, sed hoc loco nõ sic. Nãq; si captiuitas, de qua hic agitur, illa est quã nunc sustinent, eorum ad Christum reuersionem, necesse est fore posteriorem. Sed ut ex præscriptis liquet, hic agitur.

tur, de hodierna illorum captiuitate, quam reliquiaru
postrema conuersio est sequutura.

Si præmissa diligenter & pie fueris meditatus, D
mysteria, admiranda prorsus, ac plurimum uenera
in singulis recognosces. Israël, populus olim ab illo d
ctus, & in cunctis per uerbum suum directus miseric
diter, atq; ab eo semper, quasi pupilla oculi delicata s
uatus, à quo etiam carnis substantiam, pro omniu
demptione adsumpsit, sic derelictus, excæcatus, rei
& induratus fuit, ut Deum Regemq; suum non ag
sceret, & illi rebelli et impio corde obsisteret, ac ta
illū abnegaret & crucifigeret. Deniq; posteaquā re
rexit à mortuis, coruscantem sui nominis gloriam,
guere nisus est. Sed & usq; in hunc diem, abnegat il
aduenisse, adhuc uenturū adseuerans. Interea captiu
dispersus in mœrore persistit, uniuersis ferè nation
odiosus, & cōtemptibilis ualde. Viuit absq; rege & p
cipe &c. Tot sæculis eorum fuit captiuitas, & adsl
nihilominus insipiens cor eorum adhuc induratum &
cæcatum est. Nec conuertentur usq; in diem nouiss
etsi eorum quidam, ad Christum per Dei Misericor
conuertantur. Nam quemadmodum gentes, non dic
tur Christi misericordiam consecutæ, tametsi eorum
dam illam fuerant consecuti, sic nec Israelitica plebs,
Christum conuersa dicitur, quamuis illorum quosd
ad fidem quandoq; uocare dignetur. Erant illi prim
uineæ domini custodes, & uinitores, at quia fructu
nun

nime suis temporibus reddiderunt, quin potius Dei nuncios Prophetas flagellauerunt, persecuti sunt, occiderunt, tandémque ipsum patris unigenitum ad se missum non receperunt, sed morte turpißima condemnarunt, ablata est ab illis uinea, ablatum est Regnum Dei, & datum genti facienti fructus eius. Verum quia iuxta Paulum Rom. 11. Secundum electionem sunt dilecti propter patres, tempore ab æterno præordinato, conuertentur ad Dominum, & Christo firmiter adhærebunt. Sicq; denuo suscipient, regnum Dei, uerbum scilicet & ueritatem illius, & pariter cum gentibus fructus proferent amplißimos, Deoq; adceptißimos. Vere Dei iudicia, abyssus multa & inscrutabilia sunt. Et quis nouit illa? Bene dicendum certe à nobis est, in eisdem, & eo amplius, quò minus illa penetrare ualemus.

Placet deinde scrutari paulo profundius, quid est quòd Israël, non recipiens Christum sic reijcitur, ut tot annis sit absque Rege, Principe, sacrificio, altari, ephot &c. Regem tradiderat illis Dominus filium suum, qui eos erudiret, pasceret, foueret, consolaretur, iustificaret, tandémque perpetua salute donaret. At impij homines non cognouerunt se requirentem, uolentemq; saluare. Qui ergo noluerunt saluatorem, recte illo priuãtur, atq; ab eo reijciuntur. Qui noluerunt pium Regem, non abs re tyrannis subijciuntur. Sed quid est, non recipere Christum, nisi in illum credere nolle? Qui non uult credere in illum, Regem clementißimum, ac pastorem summe pium

habere recusat. Ideo Synagoga, eum quem noluit in
um suscipere Regem, cogitur sustinere ultorem, & q
noluit Christo subijci, diabolo fit per infidelitatē subie
Psal. 108. Dilexit maledictionem, & ueniet ei, & nol
benedictionem, & elongabitur ab eo.

Vides, quod Israël in maledictione permanet, dum S
uatoris benedictionem reiecit. Absq; Rege est, qui
gem Regum suscipere noluit, propter quod nec per Ch
sti Spiritum regitur. At qui summe bonus & pius sem
per est, non clausit uiscera misericordiæ suæ, quin illorum
quandoque, uel in dierum nouißimo uelit misereri.

Quàm bonus Israël Deus, quàm clemens ipse sal
reparator. Ab illis, pro eis ueniens, non suscipitur, s
repellitur, blasphematur, contumelijs grauiß. adfici
deridetur, flagellatur, crucifigitur, illos uerũtamen su
net, illis misericordiam spõdet. Nouit, q. puluis est hom
sicut fœnum, q. sibi credere nequiuerunt, nec poßunt n
si ab illo tracti, illuminati, directi. Indurauit illos, trad
que in reprobũ sensum, ut uasa contumeliæ eßent, ut fa
rent & sentirent, faciantq; & sentiant, quæ non conue
unt, ut eũ q uenit, adhuc uenturũ arbitrētur. Habent co
lapideum, q. per optimi redemptoris clementiam, aliqu
do auferetur, & cor illis carneum dabitur. Auferetur
cordis duritia & perniciosißima obstinatio, & bo
uoluntatis spiritus misericorditer conferetur, ut uolun
tarie post Christum credentes eant, crucem ferant, il
per omnia subijciantur. Erit tunc præclara dextera

cel

celsi mutatio, ut immutentur abeo, quod tot sæculis seruauerunt, ut noua in Christo creatura fiant, & felicem Spiritus natiuitatem adsequantur, per quam filij Dei, & coheredes Christi efficiantur, & sint. O inadceßibilem Dei iudiciorum abyßum.

Quantam gratiam susceperunt, quoscunq; traxit Spiritus sanctus, ut credant in Christum. Ineffabilis est, dum isti suscepti, illi reiecti sunt. Istorum miseretur, illos indurat. Isti saluantur, illi dispereunt. De mũdo plane sunt, & hic mundus eũ non cognouit. Tenebræ sunt, in quibus lucit uitæ lumen, sed illud minime adprehenderunt, ideo ruunt in interitum sempiternum. Quicquid tamen sit, scimus Deũ optimum, piũ, iustißimum, & omnia fecisse, in gloriam suam, nullumq; opprimere, aut in quempiã esse crudelem. Scimus nos malos, impios, iniustos, superbos, ac nihil boni ex nobis esse, & eos qui damnantur, iustißime interire. Credimus firmiter, omnia á Deo fuisse in eternitate præcognita, atque præordinata, hominem autem non posse Christo hærere, nisi Deo & erudiente & trahente, ac dante, ut se erudiẽti credat, & post se trahentem properet. Deniq, si non credit erudienti Deo, si non currit post se trahentem, iuste repellitur & damnatur ab illo. Vides abyßum iudiciorum? Quis ista intelliget? Nihil agit prudentia carnis, solum ut credas necesse est, semperque in bonitate & iustitia de Domino sentias, & ideo illum confitearis in uniuersis, laudandum, benedicendum, glorificandum. De homine autem sentias, q;

impius, peccator, iniustus, & miser sit, & ideo repr
dendus, accusandus, damnandus.

Veh Antichristo, & uniuersis qui agunt partes
qui tametsi Christum non abnegant in carnem adu
se, Regno tamen illius subijci nolunt, dum castißim
eloquijs non simpliciter adquiescunt, quin potius il
omnia aduersantur. Erexerunt nanq; sibi nouos D
reproba scilicet cordium suorum Idola, quibus Dei, C
sto, ac ueritate eius, in suum interitum spretis, fidu
hærent. Propter quod reiecti sunt, profecto non m
periculo, quàm Israëlitæ. Aggrauat quippe hypocr
illorum impietatem. Siquidem imposturas & men
sua execrabilia, pro æternis Dei ueritatibus uendita
sub nomine Dei sanctißimo, innumeros secum in p
onem trahunt. In Regem se Christum habere dicun
nullus sit à Christi Regno illis magis alienus. Hi sun
etiam cæcos Iudæos in suis impietatibus fouent. Pe
illis concedunt, ut non poßint à quoquam ad uerbi s
auditum impelli, agentes scilicet, ut nunquam ex
fidem adcipiant, & in Christi abnegatione perman
tandemq; damnentur, ne forsan si crederent, illorum
stus imminueretur. Volunt eos spoliari cunctis fac
tibus, si ad Christi fidem uenire concupiscunt, ut hac
ne, ipsi sacrilegi Tyranni in carnis desyderijs
pertatem iactitant fidelibus necessariam fore, & ide
deos ad Christum uenientes, uolunt abijcere cuncta,
quidem tum solum, cum baptizantur, quasi totam Chr

ani uitam, non esse in paupertate ducendam necesse sit. Infelices, caeci, & hypocritae. Christianorum paupertas non est renunciare rerum possessioni, sed rebus ipsis, ut scilicet nullus eisdem adficiatur, ut bona habeant atque possideant, tanquam non habentes & possidentes. Alioqui, quomodo uiuent si nihil habuerint? Quòd si nõ licet habere quicquam dum baptizamur, ergo nec post, cũ ueritas baptismi in credentibus, quoad uiuunt, permaneat, nec magis fidelis est in baptismo, quàm post. Quod igitur post baptismum licet, hoc tempore baptismi fore licitum nemo dubitauerit. Soli ergo Deo, nulli autem creaturae adfici, uera paupertas est, de qua Matth. 5. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum caelorum.

Impij, & caeci raptores isti, non uident se, actu suo apertissime condemnari. Dum enim baptizandis paupertatem necessariam faciunt, suae insatiabilis auaritiae uoraginem damnant. Non uident sceleratissimi homines, quòd quantum in eis est, plurimos à Christi fide propellunt, & propter illos, nomen Dei sanctissimum blasphematur.

Admittunt deniq; illos ad usuras & innumera crimina, lucriq; inde suscepti participes fiunt. Sed quis enumerare sufficiat, spurcicias & impietates huius impijssimae Iezabelis, quibus uniuersum ferè orbem, alienum à Christi religione facit! Scis Roma, nosti Auenio, & innumerae orbis regiones, eorum quae superius diximus ueritatem.

O quàm salutare, quámq; laudabile & necessarium fo

ret, si miserrimis Iudæis sacrosancta Dei eloquia s
penumero nunciarentur. Nunquam enim à fructu
cua forent. Faciunt quidem in ciuitatibus quibusd
ut Iudæi aliquando conueniant, unum tantum ser
per annum audituri, sicut Auenione in Dominica pri
post Penthecosten. Quòd si eorum quippiam ad
adcedere, facillime, quod uolunt, pecunia adseq
Denique uel solus ille sermo talis est, ut stulta sit p
uerborum congeries, quàm prædicatio uera. Et si
nulli ad uerbi Dei necessarium auditum illos aduoca
ab Antichristo & Tyrannis suis arcentur, ne ad
sum eos, uel minimum quiddam annuncient, & i
los ad uerbum sanctum audiendum, amplius uoca

Veh tibi maledicte Antichriste, & reliquis idolis
di, qui & fidelium, & Iudæorum animas, modis
bus cogitis ad interitum, & ad id tantum nitimini,
cundum carnem uiuatis, & terrena undelibet co
getis. Scio ego, scio qui hæc scripsi, & certis
experimento probaui, quantum sanguisuga, & i
tiabilis uestræ cupiditatis uorago, Iudæorum fi
cæcitatem & obstinationem. Agite infelices, ut u
bum Dei illis etiam abnuentibus nuncietur, ut tam
dum uniuersa illorum gens ad Dominum conuertitur,
qui tamen ex uerbi auditu, Christi fidem, interea per
misericordiam suscipere ualeant. Sicut enim grau
tudine laborantibus, cibi etiã ipsis reluctantib. mi
tur, sic cunctis necessarius uerbi Dei panis, etiam

lenti

lentibus est dispensandus, nisi obstinatius ipsum uerbum pepiderint.

Quia deinde, Synagoga Regem suum Christum (ut prediximus) minime recepit, ideo absque Rege facta est. Quia autem absq; Rege est, absque scilicet Christo, quem abnegauit, ideo etiam absque Principe est, qui illos in Christo regat. Non enim Principes habent, Apostolos scilicet, & cunctos qui syncere docent, qui Principum nomine capiuntur, Psal. 44. & 40. quorum eloquia & directionem suscipere nolunt, sed Tyrannos crudeles, & deceptores, ac seuißimas bestias agri, quarum suprà capite secundo meminimus. O uere infelicißimam gentem, quæ tali Rege, talibusq; Principibus est priuata. Tunc eam fieri absq; sacrificio, altari, ephot, id est, absq; uero Dei cultu, quod est, ex fide, necesse est. Nō enim tantū priuantur sacrificio, quod solitum erat apud Hierosolymam, sed & omni sacrificio uero. At nullum est sacrificium uerum, quod offerre poßimus, præter nos ipsos, Deiq; laudem. Tunc autem nos ipsos sacrificamus, cum nostram crucem tollimus, & resipiscimus, ac cum omnis uita nostra laudat altißimum. Quid effutire non cessas impie Sophista, Christum in mensa Domini nos sacrificare adfirmans. Illo dicis Iudæos priuari, quod Christum, ut reliqui, minime sacrificent. Insanis. Non est Christus quotidianum sacrificium nostrum, id est, quod offerimus. Nam semel pro nobis oblatus ac mortuus fuit, & mors illi ulträ non dominabitur.

Nunquid non satis superq; est, pro omnium redemptione, quòd semel fuerit hostia illa summa pro omnibus in cruce oblata? Nunquid uolumus eundem rursum crucifigere? Verum de sacrificijs ueris, itemq; falsis, apud Malachiam, capite. 1. abunde (Christo uolente) tractabimus.

Sacrificium igitur uerũ nullus offerre potest, nisi qui sub eo Rege militauerit, in cuius femore scriptum est: Rex Regum, & Dominus Dominantium, Apocalyp. 19. & tales habeat pastores atque Principes, quales sunt illi, qui congregati sunt cum Deo Abraham. Psalmo. 46. Imo quisquis talis non est, nec minimum quiddam acceptum Deo efficere potest. Propter quod Iudæi, & omnes hypocritæ ac pseudochristiani, à CHRISTI Regno sunt translati in Satanæ Regnum, & manent absque sacrificio, altari &c. id est, nihil Deo gratum, nec habere, nec facere possunt.

Quia demum subiungitur: Et absq; theraphin, supra diximus, q, Idolorum portenta minime colant. Quod tamen sic intelligimus, quòd Idolum Baal uel Moloch, uel uitulos aureos, uel aliud tale non adorent, aut colant, sed unum Deum, quamuis stulto cultu, & adoratione penitus insyncera. Habent tamen suos uitulos, suos Baalim (supra capite. 2.) sua Idola, obstinationem uidelicet, & sui capitis somnia, quibus dum supra modum hærent, & legitimos Scripturarum sensus anteuortunt, certe non absque Idolis sunt. Nullus enim à Deo per infidelitatem recedit, nisi in corde, sensus carnis, Idola, sibi prius confinxerit.

firxerit

finxerit. Non habent ergo Iudæi Baal, aut uitulos aureos, aut Moloch, sed quod somniarunt, & in suum interitum pertinaciter sentiunt, aduersus Dominum, & aduersus CHRISTVM eius. Profecto illis multo deterius complures agunt, qui cum se CHRISTI esse dicant, fauent Antichristo, & Idola uenerantur, illis ab Antichristo concessa, quod Iudæi minime faciunt. Quem Antichristum, cum omnibus Idolis suis ille gladio oris sui perimere dignetur, qui in domo Iacob, uidelicet in Ecclesia Sanctorum, Regnum absque fine suscepit, cui gloria & benedictio in sæcula sæculorum. Amen.

Ex dictis capite præcedenti, hæc breuiter colliguntur. 1
Primo: Verbo Dei est simpliciter credendũ, quantumcunque dissentiat à prudẽtia carnis, quæ Deo est inimica. Oseæ exemplum habes.

Quisquis uere Deo credit, mox uerbo illius sine cõtradictione, aut discußione, & credit, et obtemperat, postea quàm illud Dei esse agnouerit. 2

Deus electos etiam peccantes diligit, non propter peccatum, sed propter electionem, qua illos ante mundi constitutionem prædestinauit. 3

Vinacea uuarum, id est, inutilia sunt, quæcunque non per Dei Spiritum diliguntur & fiunt. 4

Quia Iudæi CHRISTVM non receperũt, diuturnam incurrerunt captiuitatem, à qua non liberabuntur, donec in illum syncere crediderint. 5

6 Quam diu Christo non uere credimus, sensus carni
ac delictorum captiui sumus.

7 Qui Christum non uult super se regnare, diaboli
seruus efficitur.

8 Qui illum non uult suscipere Regem, cogitur eunde
sustinere iudicem & ultorem.

9 Nullus potest dare rationes indurationis Iudæoru
aut quorumuis reproborum, sed neque prædestinatio
electorum, nisi quod ita uult, qui omnes creauit, & iu
stißime quidem.

10 Quicquid sentiat stulta sapientia mundi, de operi
bus & iudicijs Dei, est tamen certißimum, quod ip
est in omnibus sanctißimus, iustißimus, optimus.

11 Faciant, quicquid uoluerint, iste & ille, nihil ta
dem in omnibus fiet, nisi quod Deus uult, & ante se
cula futurum præcognouit.

12 Stulta, sacrilega, & rapax est institutio illa, q
Iudæi uenientes ad fidem, bona sua dimittere comp
luntur.

13 Christiana paupertas, est soli Deo, non rei cuicu
que adfici.

14 Excludit illa, non rerum posseßionem, sed adfectum

15 Raptores sunt, & Christi hostes, qui antedicta
candémque damnabilem constitutionem faciunt, q
plures à fide repellunt, & quantum in eis est, Iudæ
ad infidelitatem compellunt.

Omni

Omnis iudaicæ impietatis participes fiunt, & Chri- 16
stum cum illis negant, qui illis fauent, & priuilegia ne à suis superstitionibus à quoquam impediantur, illis concedunt.

Qui uerbi ministerium habent, non possunt licite, il- 17
los à uerbi sancti auditu excludere, immo cæcos illos & miseros, in uiam ueritatis dirigere, pro Christiana charitate tenentur.

Cogendi sunt, ut uerbum Dei audiant, & id quidem 18
sæpissime.

Ecclesiæ sanctæ Principes, id est, Apostolos, illorum- 19
ue doctrinam, itemq; uiros Apostolicos, hoc est, uerbi sancti ministros, nullus suscipere potest, nisi prius de regno Christi sit, id est, illius fidem susceperit.

Tunc isti Principes seu uiri Apostolici recipiuntur, 20
cum uerbum Dei per illos enunciatum suscipitur.

Extra Regnum, id est, fidem Christi, nullum sacrifi- 21
cium aut opus Deo adceptum est.

In dierum nouißimo, Israël ad Christum quem abne- 22
gauit, reuertetur, prius tamen per Dei spiritum & tractus, & eruditus.

Tunc timebunt ad dominum & ad bonum eius dum 23
pauebunt ne quippiam diripiant, quod ad Dei maiestatem, bonitatemq; pertineat, neue in omnibus illius gloriam querant, qui solus est in cunctis benedicendus, & glorificandus.

Cap.



CAPVT QVARTVM.

C. S. *Primum agit de iudicio Dei, aduersum carna-les ex Israël. Secundo, adhortatur regnum Iuda, ut a ui-cijs & abominationibus, regni decem tribuum longe fiant.*

PARS PRIMA.

AVdite uerbum Domini filij Isra-el, quia iudicium Domino, cum habitatoribus terræ.

QVI supra, & uerbis & factis, nunc simplici, eo-demq; aperto sermone prophetat. Præcipitur au-tem ueris Israëlitis quibus supra dictũ est, cap. 2. Iudicate matrem uestram, ut Dei iudicia uideant, & me-ditentur, cum dicitur. Audite uerbum Domini. Deus spi-ritus est, cuius uerbum tunc auditur, dum in corde susci-pitur. Nam quia spirituale est, illud potißimum in mente recipi oportet. Audiunt quidem impij uerbum, sed non si-cut præcipit Deus, Huius spiritalis auditus neceßitatem agnouerat, qui dicebat. 1. Reg. 3. Loquere Domine, quia audi

audit seruus tuus. Et psal. 84. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam. Rursumq; psal. 142. Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speraui. Vero igitur Israëli, id iubetur, ut Dei iudicia audiant, quod maxime ex eo conijcimus, quod post modicum dicitur. Nocte tacere feci matrem tuam. Non est autem dubium, quin eã matrem intelligat, quae supra memoratur. Iudicate matrem uestram. Si ergo eadem mater, idem absq; dubio filij erunt. Ibi iudices matris constituuntur, hic ut Dei iudicia uideant imperatur. Nunquam enim recte iudicare ualebunt, nisi prius illis aequitatem iudiciorum Deus palam fecerit. Quae autem sint haec iudicia, patet ex his quae sequuntur, dum terram Israël carpit, quod non habeat scientiam Dei, quod maledictis, mendacijs, furtis, homicidijs, adulterijs, sanguinibusq; abundet, dumq; illius punitionem praenunciat, & ad meliora adhortatur.

Sunt ergo illius iudicia, reprehendere, adhortari, adprobare, reprobare, punire, damnare, iustificare, saluare: Iudicia (ut breui concludam) sunt uniuersa, quae in nobis operatur, aut propter fidem, aut propter infidelitatem. Iudicium, inquit, est domino cum habitatoribus terrae. Cum his intellige, qui terrae adficiuntur, qui non sunt ciues sanctorum, & domestici dei, quorum in caelis nulla conuersatio est. Hoc loco, iudicium spetialiter pro disceptatione, reprobatione & cõdemnatione adcipitur. Cũ

habi-

habi-ter-id est, contra terrenorum impios dilectores. E-nim hic locus pro terra Israël sic capitur, ut simul pro carnalibus qui terra sunt capiatur.

Non est enim ueritas, et nõ est misericordia, & non est scientia Dei in terra.

Quemadmodum qui Deo adhærent, Dij & unus cū eo spiritus fiunt, ita qui terræ hærent, terra efficiuntur, ut terra sit, qui terram, Deus autem, & filius Dei, qui Deum amat. Qui igitur terra & caro est, quia non uiuit in illo Deus, qui est ueritas, sapientia, bonitas, illi non poßunt esse in illo, ueritas, misericordia, & scientia, quæ à Deo sunt, sed econtrario, falsitas, immisericordia, crudelitas, ignorantia. Nam qui de terra est, de terra loquitur, & quæ terræ, ac carnis sunt operatur. Vnde sequitur.

Maledictum, & mendaciũ, & homicidium, & furtũ, & adulteriũ, inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit.

Non tantum homo terra est, dum nõ syncere credit, & non deo sed terræ adhæret, sed & quicquid in infidelitate operatur. Nam quicquid homo agit, & nõ per spiritum Christi, terra caro et peccatũ est. Quia ergo is nõ uegetatur à Christi spiritu, terra & caro factus, ideo nõ potest non operari, quæ terræ & carnis sunt, maledictũ scilicet & mendaciũ &c. Audi Pau. Gal. 4. dicentem. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immundicia, impudicitia, luxuria, idolorũ seruitus, uenefi-

cia, inimicitiæ, contentiones, emulationes, iræ, rixæ, dißentiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia.

Vides acerbissimos carnis & terræ fructus, qui sint. At nunc, de his tantum, quæ in textu ponuntur dißeramus. Maledictũ, est omnis perniciosa locutio, ea maxime, quæ pacis & charitatis fraternæ est offensiua. Mendatium uero, omnis falsitas, simulatio, & hypocrisis, omnisq́; humana adinuentio. Nam si omnis homo mẽdax, psal. 115. quodcumq; illius inuentum, mendaciũ est. Loquatur igitur & operetur homo, quæcumq; uoluerit, si non per Christi spiritum loquatur & operetur, nugæ omnia & mendacia sunt. Mendacium aũt nullum, potest illi adceptum fore, qui summa ueritas est, ueritatemq́; in uniuersis diligit, psal. 50. Ecce enim ueritatem dilexisti.

Lege sacra uolumina, & inuenies quod nihil plus mẽdacio carpitur. Exo. 23. Mendacium fugies, psal. 4. Vt quid diligitis uanitatem & quæritis mendacium. Itemq́; psal. 5. Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Et pleraq́; his similia. Qui ergo ueritas est, tantum ueritatem diligit, & omne mendacium odit. Et ideo, carnales ex Israël carpit ob mendacium, quod in nullo carnali non est. Quod autem carnalibus Israëlitis dicitur, omnibus etiam qui spiritum CHRISTI non habent, dictũ non dubites, q́d mendacijs sint plenissimi. Proinde stulta Antichristorum decreta, illorumq́; superbissimi adparatus, tiaræ illæ, auro gemmisq́; rutilantes,

equi

equi & mulæ Regalibus phaleris insignes, & similia, fi
ducia quoq; operum, quorumcumq; Sophistarum argu
tiæ, Magistrorum nostrorum (ut uocant) pompæ, & si
læ, perniciosissima de cælibatu constitutio, Monachorū
impietas & hypocrisis, rubentes cardinalium galeri, pri
matus Romani tyranni cum suis Bullis, indulgentijs, be
nedictionibus, maledictionibus, curiæ illius diabolicæ sti
lis, casuum reseruationibus, dispensationibus, & uniuer
sis id genus laruis, quia sunt pura hominum figmenta,
atq; mendacia, Deo summe odibilia sunt. Nullum enim
opus hominū diligit, præter illud quod in nobis per suum
spiritum operatur. Hæc mendacia ideo in illis reperiun
tur, quia terra & caro sint, quia non est in eis misericor
dia, neq; ueritas, neq; scientia Dei.

Quo etiam fit, ut sicut impij Israëlitæ, ita & isti ple
ni sint, homicidijs, furtis, adulterijs, ac cunctis uitiorum
portentis, ita ut sanguis sanguinem tangat, id est, pecca
tum peccato iunctum sit. Sic enim habent, hebræi co
dices: Et sanguines sanguinem tetigerunt. Per sangui
nes autem peccatum adcipitur. Psal. 50. Libera me de san
guinibus. Item per sanguinem, carnis opera capiuntur.
Matth. 16. Caro & sanguis non reuelauit tibi. Sanguis
ergo sanguinem tangit, dum caro semper peccat, dum
omnia quæ operatur caro, id est, homo absq; Dei spiritu,
peccata sunt. Et hic sanguis non reuelat credentibus Dei
cognitionem, neq; enim potest, sed tantum quæ falsa, quæ
mendosa sunt, nunciat.

Propter

Propter hoc lugebit terra, & omnis qui habitat in ea. In bestia agri, & in uolucre cæli, sed & pisces maris congregabuntur.

Hic per terram, & ipsa terra, & cuncta, quæ in illa possidentur, accipienda sunt: per terræ autem habitatores, terrenorum impios dilectores, sicut paulo ante eodem capite declarauimus. Nimirum sic de Israelitis, & eorum terra hæc capiuntur, ut ad uniuersos, qui eorum imitantur malitiam, simul referantur. Dicit ergo, Propter hoc, id est, quia in his, qui ideo terra fiunt, quòd terram diligunt, prædictæ impietates abundant. Misericordia autem, & ueritas & scientia Dei non sunt in illis, ipsa terra, cui afficiuntur, lugebit, id est, euertetur, desolabitur, bellis, peste, fame, unde priuabitur habitatoribus suis, & non producet fructus suos. Nimirum lugere hoc loco metaphoricum est. Omnis autem ipsius dilector, qui non est sanctorum ciuis, qui illam diligit, infirmabitur, debilis erit, ad omne scilicet opus Deo acceptũ. Nihil enim potest sine spiritu Christi. Sed in quo lugebit terra & infirmabitur omnis amator illius? Aut ut conuenientius loquar, per quid, & unde uenit hic luctus, hæc infirmitas? Per bestiam agri, id est, falsos doctores: & uolucrem cæli, id est, malignos spiritus. Quod hic habes In bestia agri, non magis sonat, Hebraica ueritas, quàm per bestiam agri. At postremum sensui magis conuenire uidetur. Sed & pisces maris congregabuntur, multiplicabuntur. Pisces reptilia quædam sunt. Quæ uero

sunt reptilia hæc, nisi carnales homines, terrenis totu
de affecti? Quasi enim reptilia terræ sunt, dum affe
bus super terram reptant, & illi deo contempto affi
tur. Pisces aūt non ab re dicti sunt, dū fluunt, et cito tr
seunt, dum carnalia, prætereuntia, & fluxibilia quæ
In mari quoq; continuo sunt, dum nunquam ueram a
mi pacem assequuntur. Esa. 57. Cor impij, quasi mare
uens, quod quiescere non potest. Quòd deniq; præ
cta ita accipi oporteat, suprà, cap. 2. partibus. 3. &
plenius declarauimus.

Vide nunc, q; per hæc tria, adueniat desolatio ori
eorum, qui non uegetantur à spiritu Christi, grauis
mitas. Per falsos doctores, qui populos seducūt, & il
dem sub nomine Dei sanctissimo, in uanum sumpto.
malignos spiritus, qui saluti nostræ, & inuident & i
diantur. Per carnales & impios, qui dum absq; fre
moris Domini uiuunt, simplicium uitam (quos ad si
prouocant) inficiunt. Fons autem & caput omnium
storum malorum, est ferocissima bestia agri, maled
scilicet pseudolegis Doctorum caterua. Enimuero, s
cut ueris Euangelistis, nullus populis utilior est, ita f
nullus pernitiosior. Illi, dum syncere agunt, & imple
ministerium suum, erudiuntur plebes, qua ratione Sata
næ insidias deprehendant & uitent, ac effrenatam car
lium conuersationem, moresque diffugiant. Isti, du
uerbum insyncere pronunciant, non fructum, sed per
tiem

tionem in illis operantur. Veh, ueh impijs Satanæ & Antichristi, Draconis scilicet & bestiæ, Prophetis seu declamatoribus, cuiusmodi sunt, quotquot non impollutos dei sermones, sed hominum doctrinas, & mandata docent, aut ipsos Dei sermones sic annunciant, quasi hominum figmenta & somnia essent.

Ex hoc textu, aperte conspicis, q. grauissima Dei punitio est, uerbi sancti defectus. Vere nulla grauior inueniri potest. Nempe ad hoc, cuncta alia mala sequuntur. Quomodo enim credent uerbo, quod non audiunt? Aut quomodo audient, nisi prædicetur? Quia ergo non audiunt, non credunt, ideo non fidei, sed carnis opera habent. Propter quod desolatur terra, infirmi sunt populi, à diabolo facillime seducuntur, & carnaliter uiuentium, absq; freno exempla sequuntur. Vnde pisces maris, carnales scilicet congregantur, & supra numerum multiplicantur.

Veruntamen unusquisque non iudicet, & non arguatur uir. Populus enim tuus, sicut hi, qui contradicunt sacerdoti, & corrues hodie, & corruet etiam Propheta tecum.

Ad eos maxime iudicium mundi pertinet, qui Dei spiritum acceperunt, atque ad mundum, per uerbum suum dijudicandum, ab illo mittuntur. Tum enim spirituales fient, & de omnibus recte poterunt iudicare. At quem non erudit, & mittit Spiritus sanctus, dum mundũ arguit atq; iudicat, mox populo sibi contradicente, mu-

tatur. Et ideo quisquis talis est, à ministerio dijudica[ndi]
populos, ac munere prophetico, uerbi scilicet Euang[eli]
prædicatione arcetur. Qui etiam si in sanctis eloqu[iis]
glorietur, sic eadem pro capitis sui somnijs tractat, qu[a]
si Dei eloquia minime sint. Denique etiam si labijs, D[ei]
sanctum nomen, uerbumq; aßumat, non quæret ea, qu[æ]
sunt domini, sed quæ sua. Neq; enim aliud potest, nisi p[er]
Dei spiritum moueatur. Etenim homo absq; Dei spirit[u]
caro est. Caro autem aduersus ipsum spiritũ concupisci[t],
loquitur, agit. Quomodo ergo caro arguet & iudica[bit]
populos? Nunquid aduersus carnem caro surget, & n[on]
potius contra spiritum? Profecto nox nocti, & caro ca[r]
ni applaudit. Propterea unusquisq;, inquit, non iudice[t],
id est, officium dijudicandi assumat: & non arguatur [a]
ab uno quóque, nisi ab eo, qui uocatur à Deo, tanqu[am]
Aaron. Populus enim tuus, ò terra, sicut hi, qui contr[a]
dicunt sacerdoti, id est, uerbi Dei ministro, populoru[m]
dici. Q.d. Talis est omnis populus, qui terrenis afficit[ur],
quòd si quis illi non per Dei spiritum, sed propria teme
ritate, etiam Dei uerba pronunciet, cito à uerbo sanct[o]
efficietur alienus. Contradicet enim populus eide[m],
quo fiet, ut in cuius animo ueritatem spiritus sanctus [mi]
me fixit, ad fabulas & inania hominum figmenta, faci[li]
me conuertatur.

Quia autem iste populus resistit uerbo ueritatis, ei [di]
citur: Corrues tu hodie, id est, cito euerteris, desolaberi[s],
confunderis. Demũ quia hi, qui propheticũ munus, si[bi]

pro

propria temeritate usurpant, obsistentibus turbis, ad ua niloquia e uestigio conuertuntur, de ipsis subiungitur: Et *corruet etiam Propheta tecum.* Nempe qui à Deo haud *quaquàm missi sunt, & tamen contra* Domini *iußionem currentes, prophetant somnia cordis sui, dicentes, quòd uerba* DEI *sint, quæ enunciant, sicq; incautos populos decipiunt, recte cum eisdem populis corruunt, ut & cæci populi, & ipsorum cæci* Duces *pariter intereant.*

Obserua, q, omnes ueri fideles, sacerdotes Domini *sunt per* CHRISTVM, *id quod multis locis probauimus, his contradicit carnalium populus, pseudoprophetis adquiescens, cum quibus, nisi resipuerit, corruet, & peribit.*

Nocte tacere feci matrem tuam. Conticuit populus meus, eo quòd non habuerit scientiam.

Ad illos (ut præmisimus) hæc uerba diriguntur, quibus suprà capite secundo dictum est: Iudicate *matrem uestram.* Et *in principio huius capitis:* Audite *uerbũ* Domini, *filij* Israël. Veros *quippe* Israelitas, *id est, conuersos ex Iudaismo, alloquitur, quibus palàm facit, quæ caussa sit, cur carnalis Synagoga, cum populo (id est, cum filijs illis, de quibus suprà, cap. 2.* Et *filiorum eius non miserebor), à diuinis laudibus, & ab eloquijs sanctis tacuerit.* Silent *plane coram* Domino, *& muti sunt, qui nihil, quod* DEO *gratum sit, pronunciant, etiam si corã illo, eorum scelera aliunde clament.* Ergo *duplex cla*

mor à nobis ascendit ad Dominum, unus, quo illum ad misericordiam, secundus, quo ad uindictam prouocamus. Secundum habuit Synagoga: primum uero nequaquam. Peccatorum Regni Sodomorum clamor, fuit ad uindictam, Gene. 18. Afflicti autem Israël ab Aegyptijs, clamor fuit ad misericordiam, Exo. 2. Detestatur uero Dominus eos, qui tacent uerbum suum, laudemq; suam, qui non ad misericordiam clamant. Vult cunctos amare eundem uerbum, se miseros agnoscere, sicque misericordiam eius postulare, & à ueritate Dei nunquam silentes, mutosq; esse. At tunc soluitur lingua mutorum, dum ad CHRISTUM conuertuntur, & in omnibus sua laudant Dominum.

Dicit igitur: Nocte feci tacere matrem tuam. Quid hic per noctem, nisi ueritatis & scientiæ Dei ignorantiam intelligimus? Propter hanc enim, etiam populus ipse tacuisse prædicatur. Vide hic, quia non possit non tacere à ueritate & laudibus Dei, qui illum ignorat, qui non habet scientiam eius. Hinc est, quod Synagoga muta effecta est, in interitũ suum. Nam quomodo ueritatem annunciabunt: qui eum, qui ueritas est, abnegarũt? Nimirum mendacium necesse est, habeant, qui ueritatem reliquerunt. Dicit ergo Dominus: Nocte tacere feci &c. Quid est, quod dicitur? Nunquid ipse facit, ut quispiam sileat à ueritate, à laudibus suis? Alioqui, quomodo iuste reprehenduntur, qui silent, & facti sunt canes muti, non ualentes latrare? Quis iuste reprehenditur, dum non facit, quod

sibi impossibile est? Facit indubie, ut sileant, dum eos indurat, & tamen eorum culpa pereunt, & iuste à Deo reprehenduntur ac puniuntur. Sed dico: Nunquid proinde recte concluditur: Deus operatur in nobis iniquitatem, quam odit, & cōtrarius est ipse agens actioni suæ? absit. Etenim Dei perfecta sunt opera (Deut. 32.) & est absq; ulla iniquitate, iustus & rectus. Indurat illum, miseretur istius: alium excæcat, & excitat. Omnia ab ipso, & per ipsum, & in ipso sunt.

At ille iustus semper in omnib. nos peccatores. Indurauit cor Pharaonis, quam ob caussam noluit dimittere populum. Excitauitq; Dominus illum, Exo. 9. Hanc autē indurationem, itemq; excitationem, quis satis intelligit? Errant profecto, qui se ista capere posse autumant. Ego quidem hanc indurationem, excitationē, & omnia, ab illo esse, ac omnes similes scripturæ locos cōfiteor simpliciter, non tamen propterea uolo concludere, q. operetur impietatem. Iustus quippe Dominus in omnib. uijs suis, & sanctus in omnib. operibus suis. psal. 144. Viæ domini iustitiæ sunt, uiæ nostræ peccata. Quantū aūt elongantur cæli à terra, elongantur uiæ suæ à uijs nostris, & cogitationes suæ, à cogitationibus nostris. Quamuis ergo induret, quamuis excitet, quamuis lumen suæ ueritatis à malis abscondat, non tamen possum confiteri, quòd impietas opus illius sit. Quomodo enim opus eius erit, cum sint illi odio, & impius & impietas eius? Sapien. 14. Nunquid operatur, quod odit? Aut quis compel-

lit illum, ut faciat, quod non uult? Ego sic uolo captiua re intellectum meum in obsequium ueritatis, ut omnibus quæ in sacris uoluminibus continen tur, simpliciter credam. Videns quoque, quàm nulla sit nostra uirtus atque cognitio, tam parum uolo trib uere humanis ingenijs, ut nullum, præactos sermones, & similes, ad amussim posse intelligere, confitear. Nec propterea quippiam libero arbitrio tribuo, cum nullum sciam esse liberum, præter eum, quem CHRISTVS liberauit. Nolo fouere Pelagianorum insaniam, sed in timore & tremore, ac confessione humanæ ignorantiæ, de Lege & uerbis Dei æterni loqui uolo. Permitto, unicuique affirmare, quod uult. Ego tamen sic interea sentiam, sciens me literis sanctis minime aduersari. Igitur Deus tacere fecit Synagogam, hoc est, ipsam indurauit & excæcauit. Quicquid autem ista significent, certum tamen est, q. lumen cognitionis ueritatis à Deo fuit ab eisdem ablatum, puris, et (ut loquutur) naturalibus relicti fuere. At de induratiõe, excitatiõe, excæcatiõe, de eo, qd' est, inducere in tentationẽ, et facere errare à uijs domini, atq; id genus cũctis, libro, de caussis excæcationis plene tractauimus.

Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.

Matrem Synagogam alloquitur, quæ dum scientiam Dei minime habuit, ueritatem proferre nequiuit. Qui autem non habet ueritatem, ad sacerdotium per omnia inutilis

inutilis factus est. Sacerdotium uero duplex est, unum fuit sub Lege, aliud post Legem. Primum, umbra est, secundum ueritas, Primum figura est posterioris. Ad priorem spectabat, sacrificia externa offerre, pro se & populo, ac Dei Legem reliquos erudire. Ad posteriorem uero, ut sacrificium offerant, profecto cunctis ueteribus longe perfectius: illud fuit filiorum Aaron ac Leuitarum tantum: illud omnium prorsus Christianorum, quib. dicitur. 1. Pet. 2. Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut uirtutes annuncietis eius qui de tenebris uos uocauit in admirabile lumen suum. Qui apud Apoca. cap. 1. dicunt: Lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos regnum & sacerdotes Deo & patri suo. Et rursum, cap. 5. Fecisti nos deo nostro regnum & sacerdotes, & regnabimus super terram. Et cap. 20. In his secunda mors non habet potestatē, sed erūt sacerdotes dei & Christi. Fideles igitur uniuersi sacerdotes sunt, quorum caput Christus dominus, semet ipsum pro omnib. semel obtulit, & moriens pro nobis, factus est hostia, idemq; sacerdos. Quādoquidem factus est sacerdos, in æternum secundum ordinem Melchisedech, psal. 109. Vnde & saluare in perpetuū potest, accedens per semetipsum ad deū, semper uiuens, ad interpellandū p nobis. Talis enim decebat, ut esset nobis Pōtifex, sanctus, innocens, īpollutus, segregatus à peccatorib. et excelsior cælis factus, qui non haberet necessitatē quotidie, quē admodum illi sacerdotes, prius p suis delictis uictimas of

ferre, d inde pro peccatis populi. Hoc enim fecit semel se offerendo. Lex enim constituit homines sacerdotes, infirmitatem habentes, sermo autē, iurisiurandi, qui supra Legem est, filium in æternum perfectum. Heb. 7. Is est sacerdos ille summus, in quem translatum est uetus sacerdotium, ipsa quoq; Lege translata. Euacuatum est Sacerdotium Aaron, Christi sacerdotio superueniente. Omne ergo pondus ueteris Sacerdotij, in unum Christum translatum est, ita ut nullus Sacerdos nunc sit, nisi in quo ille uiuit, est, & uiuit. Quisquis enim credit, & adhæret Christo, sicut unus cum eo spiritus efficitur, sic & sacerdos unus. Itemq; uniuersi credentes, unum cum Christo pariter habent sacerdotium, & unum in illo sunt. Christus in illis, & illi per Christum offerunt sacrificiū iustitiæ Deo, & hostiam laudis. Sacrificium Christianorum (ut breui concludam) est, omnia in fide & nomine Christi operari.

De ueteri autem sacerdotio diximus, q. umbra sit, & figura æterni fidelium sacerdotij. At sic illud umbram fore intellexeris, q. tamen eadem ueritate, qua nos, cosdem necessitatem habuisse firmissime credas. Quandoquidem mire decepti sunt, qui eos tantum carnalia accepisse autumant. Nonne, Lex sancta & spiritualis est? Rom. 7. Quid ergo garriunt, Legem, promissa, & præcepta carnalia, illis tradita fuiße. Mendacia sunt, quæcunq; in his impie loquūtur. Nōne ab initio sæculi eadem Ecclesia fuit? Eiusdē uero ecclesiæ nōne est eadē fides, ideq; spiritus? Audi Paul. 1. Corint. 10. de his, qui Christi antecessere ad

uentum,

uentũ, dicentem. Omnes eandem escam spiritualem man ducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt. Bibebant autem de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus. Offerebant ergo sacrificia etiam illi omnia in fide Christi quem expectabant operantes. Non poterant à nobis patres ipsi aliena sentire, qui eodem spiritu quo nos uegetabantur. Habuerunt ergo eandem fidem, eundemq; spiritum, ergo & eandem ueritatem ac scientiam Dei, cum nobiscum eadem ecclesia fuerint.

Hanc autem ueritatem & scientiam Dei, totiens impia synagoga pepulerat, propter quod à sacerdotij ministerio excludenda prædicitur. Sed quod est sacerdotium istud, à quo repellitur? Primum quidem est sacerdotium legis, denique felicissimum sacerdotium Christi. Siquidem ab utroq; est repulsa. Nam & à posteriore exclusa est, dum Christum abnegauit, in quem credere est uere sacerdotem fieri. O uere felix beatissimumq; sacerdotium, quod quanto spiritualius est, tanto excelsius, uenerabilius, sublimius. Ab illo nullus excluditur, modo credat. Ergo uniuersi credentes, etiam rustici, artifices, agricolæ, mulieres, sacerdotes, domini sunt. Hoc sacerdotium, non secernitur quibusuis rebus externis, sicut nec ipse Christianismus.

Vt quid ergo, nunc tanti fit, impium illud sacerdotiũ Baal, Antichristi scilicet, quod nec minimum quidem testimo-

stimonium habet, à literis sanctis? Tantum fabricatū
super sabulo inuentorum hominum uanissimorū. Et fili
non per spiritum Christi coronas, & tiaras superbissi
mas erexerunt, ut multis seculis, Antichristus iste,
homo peccati, in multorum cordibus, tanquam Deus se
derit, & se ecclesiæ caput, & Christi uicarium, nihi
lium Christo mandante, adpellarit. Is uoluit Papa, id e
admirabilis dici, quod est solius Christi, qui Esa. 9. adm
rabilis dicitur. At filius iste perditus, non est admirabi
nisi malicia, hypocrisi, rapacitate, sæuitia, quemadmod
& sua Babylon fornicationū parens Ioannem in admi
tionem coegit. Apoc. 17. Cadat, cadat, impius qui Eccle
siæ primatū, in Christi blasphemiam, tot sæculis usurp
uit, & cum omni sua Babylonia nunquam reuicturu
tereat: Namque reprobum sacerdotium suum deficere
cesse est, quod non sit fundatum supra firmam petra
Solum autem sacerdotium Christi, manet in sæcula.

Et oblita es legis Dei tui, obliuiscar
filiorum tuorum, & ego.

Tunc repulit scientiam Dei, cum fuit legis suæ obli
Propter quod non tantum repellitur, ipsa mater syna
goga, id est, Iudæorum consilia, & congregationes, sed
& omnes filij eius, id est, omnes particulares ex popu
lo, qui matris impietatibus consenserunt. Nam quia sci
entiam diuinæ legis pariter repulerūt, pro meritis simul
abijciūtur, & illorū Deus obliuiscitur, quos ut ad se per
fidem

fidem redeant, nondum sui luminis claritate illustrat.

Secundũ multitudinẽ eorũ, sic peccauerunt mihi. Gloriã eorũ in ignominiã cõmutabo.

Peccauerunt Israelitæ secundum multitudinem, dum omnis eorũ multitudo peccauit, atq; dũ sicut multi erãt, sic peccata multiplicarunt. Propter quod, tunc gloria eorum in ignominiam cõmutata fuit, dum qui prius gloriosi, & præclari erant, in populis, cõtemptibiles facti sunt. Hinc suscipe argumentũ, quod quicunq; peccat, aliquãdo confundatur oportet. Aut enim cõfundetur in semetipso utiliter quàm nihil sit, toto corde agnoscens, & confusus quod deum Opt. Maxi. infeliciter contempserit, aut grauius confundetur, dum partẽ recipiet, cũ infidelibus, & maledictis, ab electorũ sorte reiectus. Primam confusionem quisquis syncere habuerit, e uestigio ad Dei cognitionẽ mire ꝓficiet. Posteaquã uero uel nõ nihil in dei cognitione profecerit, nihil est, ex his quæ agit, quod non cum maxima animi iocunditate in Christi nomine faciat. Quicunq; autem non sic confunditur, per præceps mox à sceleribus in scelera ruet, doctrinisq; uarijs et peregrinis facillime seducetur. Vnde subditur.

Peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum subleuabunt animas suas. Et erit sicut populus, sic & sacerdos.

Non dubium quin de legis Prophetis, aut sacerdotibus sit uerbũ istud, qui Dei eloquia sint, necesse est, haud

quaquã

quaquam annunciabant, sed traditiones & mandata h[o]minum. Quo fiebat ut populus à uijs suis pessimis, a[d] dominum minime conuerteretur, quin potius eisd[em] semper magis magisq; immergeretur. Porro id quo[que] diebus nostris uidemus, quòd dum sacerdotes, seu uer[bi] ministri, populorum criminibus adsentiunt, atqu[e] eisdem illos fouent, quos nō reprehendunt, profecto qu[a]si illorum peccata comedunt. Deniq; non tantum po[-]puli delictis sunt concordes, sed ad eadem quoque, ani[-]mas suas subleuant, dum eadem peccata admittunt, [ut] iam nihil intersit, inter populum & sacerdotem, si[ue] Prophetam ac uerbi Dei ministrū. Multū enim facit & iuuat, ad plebis uel interitum uel correctionem, du[m] Propheta siue concionator, & pura Dei elioquia ha[-]bet, & quod alios docet factis exprimit, aut quod diuer[-]sum est facit.

Et uisitabo super eum uias eius, & cogitationes eius reddam ei.

Visitabit super eum, nempe, populum uias eius, du[m] pro impietatibus suis illi mittet correctionem. Vie nam[-]que illorum peccata eorum sunt, & uisitatio dei, corre[-]ctio illius est. Vias deinde hominis, sic peccata esse intell[i-]ge, ut quicquid non ex fide, & per CHRISTI spi[-]ritum, cogitat, dicit, operatur, huiusmodi esse scias. Omne enim quod non est ex fide, peccatum est. 14. Ro[m.]

Aud[i]

Audi quid Deus Eze.18. impijs dicat. Nunquid uia mea non est æqua, & non magis uiæ uestræ prauæ sunt. Et post pauca. Vnumquemq; iuxta uias suas iudicabo. Itemq; Hiere.2. Quam uilis facta es, nimis iterans uias tuas. Rursumq; capite quarto, prænunciata euersione Hierusalem dicit. Viæ tuæ, & cogitationes tuæ, fecerunt hæc tibi. Et Esa.55. Derelinquat impius uiam suam, & uir iniquus cogitationes suas. Et iterum ibidem. Non enim cogitationes meæ, cogitationes uestræ, neque uiæ meæ, uiæ uestræ, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltatæ sunt uiæ meæ à uijs uestris, et cogitationes meæ, à cogitationbus uestris.

Ex his uides apertißime, duas tantum eße uias, unam Dei, aliam rationalis creaturæ. Prima bona, secunda mala est. Hæc peccatum est, illa iustitia uera. Vis iustus eße? Tunc uere iustus, pius, & bonus eris, cum uijs tuis abrenunciaueris, & uias suas tibi tradiderit dominus. Ambulant in uijs suis, quicunq; in prudentia (ut uocant) naturali absque Dei spiritu uiuunt, ac carnis opera habent, in uijs autem Domini ambulant, qui ex fide omnia faciunt, & solo Dei spiritu & uerbo, in cunctis aguntur.

Visitat igitur Dominus uias malorum super eos, dum illos pro uijs suis corripit & flagellat, cogitationes autem eorum reddet illis, dum eos pro suis cogitationibus punuet. Recte de eorum cogitationibus dicit, ut in-

ut intelligas alias esse cogitationes, quas in credenti-
spiritus sanctus operatur, quæ nō eorum, sed Dei esse
cuntur. Propter quod animaduerte, quæ prius de c
Dei, & nostris dicta sunt, & similia per omnia, de co-
gitationum uarietate meditare, & mox intelliges pr
quibus Israelitæ à Domino uisitandi forent. Quidq
autem hic contra carnalem Israël legis, etiam de An
christorum Synagoga intelligit.

Et comedent, & non sa- turabuntur.

Qui prius populi delicta comedere dicebantur, sa-
cerdotes scilicet, qui plebis criminibus adplaudeba
non saturabuntur. Comedent ueruntamen peccata, &
absorbebunt quasi aquam transgressiones. Congra-
tulabantur iniquis, & participes fient impietatis eo-
rum, sic permittente Deo. At quantumcunq; impijs
adulentur, & cum illis uoluptuose uiuant, nunquam ta-
men poterunt satiari, sed semper aridi, ieiuni, uacui, re-
manebunt. Soluentur potius animis & uecordes effici-
tur, quod inutilia sint, quæcunq; adsumunt, ut nec ul
ad modicum quidem, spiritum syncere reficere possi
Solus ille panis, qui de cælo descendit, & dat uitam mun-
do, plene reficit se manducantes, ita ut nunquam mor-
tem uisuri sint quam diu ex illo manducarint, id est,
quam diu illi crediderint. Qui autem ex illo non man-
ducauerit, id est, non illi crediderit, peribit, ut abunde

pal

palàm fit ex Ioannis capite sexto · Is uero suauißimus panis, nos ad se inuitat, Matthæi undecimo dicens: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos · Plenam satietatem in eo solo reperiri nouerat qui dicebat, Psalm·16· Satiabor cum apparuerit gloria tua· Gloria claritas est· Claritas autem Dei, CHRISTVS est· Hebræ·primo: Qui cum sit splendor gloriæ patris · Et ipse de se dixit, Ioannis·8· Ego sum lux mundi · Hac luce reficitur omnis uere credens: tunc autem plenius satiabitur, cum illam facie reuelata uidebit, ac cunctis etiam alijs, per fidem adparuerit & manifestabitur · Tanti enim ardoris in CHRISTVM efficitur, quemcunque ille semel refecerit, ut omnes, pari secum in illo refectione potiri, uehementißime concupiscat ·

Fornicati sunt, & non cessauerunt, quoniam Dominum dereliquerunt, in non custodiendo.

Quid sit fornicari, ut hic adcipitur, habes suprà, capite primo· Sed ut breui repetam, quantum opus est, quidquid fit, ab his qui Dominum uerbumq; illius dereliquerunt, ideo fornicatio est à Domino, quod caro sit ·Demum, quia omnis impiorum uita fornicatio à Domino est, ob incredulitatem, ideo à fornicatione non ceßare dicuntur · Sic non cessabant fornicari impij ex Israël, sic & semper fornicantur, quotquot spectant ad Antichristi coniurationem· Idem quoque hic per fornicationem

M intelligit,

intelligit, quod prius per comestionem. Qui aute
dunt, non satiantur, dum animi eorum, qui à Deo
cantur, semper in mali concupiscentia sunt. Qu
Dei iustitiam, per fidei puritatem CHRISTO
cti edunt, nunc ab illo, quantum necesse est, refici
in spe certißima saturitatis & gloriæ filiorum Dei
de nihil alienum à Deo cõcupiscere possunt, quos CH
STI Spiritus reficit, & impleuit.

Sed quid est, quòd non cessauerunt fornicari? Q
niam dereliquerunt Dominum. Nimirum, bene
claritas, sapientia, uirtus, & fortitudo, Domini
Apocalyp. septimo. Proinde, qui ab illo diuisu
nihil sapientiæ, uirtutis, & fortitudinis habere po
Quo fit, ut benefacere nequeat, atque non peccar
poßit. Hinc CHRISTVS dixit Ioan. xv. Ma
te in me, & ego in uobis. Sicut palmes non pote
re fructum à semetipso, nisi manserit in uite, sic nec
nisi in me manseritis. Et paucis interiectis, Sine
inquit, nihil potestis facere. Deinde CHRIST
est caput, nos membra. Membra autem à capite
nihil possunt. Nam quid facient manus aut pes si
pite? Sic profectò absque Domini Spiritu, & nisi
lo manserimus, nihil non impium, & Domino abom
bile operari ualemus.

Ergo, qui semel dereliquerunt Dominum ac CHRI
STVM eius, non cessant ab illo fornicari, & impu
re. Nam ut hic habes, Israëlitæ non cessabant forni

quòd Dominum deseruissent, & ab illo apostatassent. Sed in quo dereliquerant Dominum? In non custodiendo. Quid? Non dubium quin eloquia Dei. Hinc manifeste habes, quòd quisquis ex his, qui fidelibus supputantur, non amat & custodit sermones Dei, ab illo apostatat, & eum derelinquit. Nimirum in non custodiendo legem & ueritatem suam, ab hypocritis derelinquitur. Ergo uniuersi contemptores eius, apostatæ sunt, maxime qui se Christianos interim dicunt. Qua ratione, totum Antichristi Regnum apostaticum æquißime adpellatur.

Fornicatio, & uinum, & ebrietas auferunt cor.

Posteaquàm à Domino fornicatus est Israël, quid potuit facere, nisi sequi desyderia carnis, nempe adulteria, scortationes, ebrietates, comessationes, & id genus alia? Hec cor, bonam uoluntatem, rectum iudicium, & ueram sapientiam auferunt. Omnis quippe à Deo apostatans, stultus fit, quòd à uero sensu & iudicio sit alienißimus. Si idololatria, scortatio, uinum, & ebrietas cor auferunt, profecto nullus fornicator, immundus, uorax, ebrietatem sequens, & similibus criminibus irretitus, fidelis, aut CHRISTI seruus, donec resipuerit, esse potest. Nam fides non operatur malum, cor autem, & bonam uoluntatem adauget, ut non possit non abundare fructibus Spiritus, quæ sunt opera ex fide, scilicet pax, gaudium, charitas, misericordia,

benignitas, zelus ueritatis, odium abominationum, est, eorũ quæ sunt contra uerbum Dei, humilitas, sobrietas, & reliqua eiusmodi. At qui à Domino nicati sunt, & apostatarunt, adpellantur ab eo entes & uecordes. Hierem. 4. & populus stultus habens cor. Hier. 5.

Populus meus, in ligno suo interrogauit, baculus eius annunciauit ei.

Populus uerus Domini sunt electi, quantumlibet criminibus pleni. Verum tum infirmi sunt, & sine fructu, donec crediderint. Credent autem quod ab æterno præfiniuit Deus, nam eos perire bile est. Sunt enim ex his, quos Pater dedit filio, mo potest rapere de manu eius. Ioan. 10. Electi ergo Dei amabilis plebs, etiam si facta nonnunquam ant. Nimirum sic in eis odit facta carnis, sicut in Impossibile quippe est, ut illi placeat omnis caro. dum credunt, nunq̃ fieri potest, ut ab Idolis, & tis somnijs ue hominum, interrogent uisionem, sed uiuo & uero, per legis suæ testimonium. Vbi uero credunt, dicunt ligno & lapidi, & alijs conditis dunt: Deus meus es tu, & Deo postposito, petunt auxilium, & ab eis interrogant de uisionibus, ria, diuinationes, pyromantiam, chiromantiam, & lia. Et quò minus credunt, eò plus fiduciæ in di insanijs habent. Siquidem in infidelitate & eius est augmentum, sicut in fide & fructibus suis.

Hypocri

Hypocritæ quoq; Domini populus uocantur, tametsi in ueritate nihil minus sunt. Cuiusmodi sunt nunc totum Antichristi Regnum, & olim carnales ex Israël, qui propter suos progenitores, Abraham, Isaac, & Israël, Domini populus uocabantur. Hi omnes suis idolis adhæserunt, & ab eis uoluerunt noße uisiones. Quod usque hodie in filij perditi factione nullus non uidet, præter eum qui cæcitatis eorum particeps est. Habent enim sua idola, lignea, lapidea, argentea, aurea, & ærea, quibus fidunt, & in quæ sperant. Plus enim fiduciæ habent in homines defunctos, in imagines, excelsa, templa, Idola, Rescripta, Priuilegia, aurum & argentum, atque in cætera condita, quàm in Deum uiuum & uerum, ac Christum & ueritatem eius.

Ergo, quod hic Dominus ait: Populus meus &c. nedum capitur de reprobis ex Israël, sed etiam de electis, pro tempore, quo fuerunt increduli. Nam hoc uerbum est, aduersum omnes incredulos, qui in alia, quàm in Deum fiduciam habuerunt, siue electi, siue reprobi fuerint. Verum dum capitur de electis, maxime commendatur iustitia Dei, ob eorum non credentium iniustitiam. Dicit enim: Populus meus &c. Quasi diceret: Electi mei sunt nunc iniusti, infideles, & impij. Nam alijs à me fidunt, & ab eorum somnijs & figmentis, non à ueritate mea, uisionum intelligentiam quærunt. At ego decreui in æternitate saluos facere illos, & dilexi eos, & propositum meum immutari

non potest. Nimirum decreto meo omnia subsunt, & uoluntas mea æterna & inuariabilis est.

Proinde, ecce iste populus interrogauit in ligno, & deseruit uerbum meum, & tamen meus est, quòd an[te] mundi constitutionem illum elegerim. Displicet mi[hi] eorum incredulitas, propter quam & puniam illos op[por]tune, personæ autem ob electionem placent. Iniusti su[nt], uerum non obstante eorum iniustitia, quam sum in pro[]ximo uisitaturus, miserebor illorum, ut hac ratione, iu[]stitia, & bonitas mea, ac propositi mei indemutabili[tas] notiora fiant.

Hæc sunt, quæ Dominus uult, de electis adhuc incre[]dulis, & mendacio cohærentibus, præscriptum ser[mo]nem dicens. Quem ubi etiam de reprobis enarrauit, quàm sit Deus misericordia plenus, mox agnosces. [] multa quippe patientia sustinuit hæc uasa iræ, adapta[ta] in interitum, ut notas faceret diuitias gloriæ suæ, ergu[a ua]sa misericordiæ, quæ preparauit in gloriam Roma[].

Dicit ergo: Populus meus, qui suscepit à me eloqui[a ue]ritatis, illi non credidit, nec ab ea interrogauit, sed per [di]uinationes, quas interdixi, in ligno & alijs quæsiuit [cer]tior fieri de absconditis, & baculus eius, quo ariolab[atur] annunciauit ei. Quidam autem aiunt, illos habuisse qu[en]dam modum diuinandi, per baculi proiectionem. Ha[ec in]terpretatio repbis et electis adhuc incredulis cōmu[nis].

Spiritus enim fornicationum decepit eos, & fornicati sunt à Deo suo.

Multi hic per spiritum, diabolum ad idololatriam pro uocantem adcipiunt. Quod tametsi non reprobo, puto ueruntamen, quòd non tam conueniat hæc enarratio, quẽ admodum si quis diceret, sensum & iudicium carnis, siue reprobam mentem, hic per spiritum adcipi. Siquidem hic sensus uel multo maxime seducit, & à Deo apostatare facit. Nam spiritus hominis, spiritus fornicationum est, quòd nihil à seipso poßit, quod non sit impium. Nam mendax est. Psal. 115. Omnis homo mendax. Demum non raro in archanis literis, uoluntas, sensus, & iudicium, per Spiritum capiuntur. Sic illud Gen. 1. Et spiritus Domini ferebatur super aquas, uoluntatem, & sapientiam Dei significat, tametsi alij uentum, alij Spiritum sanctũ interpretantur. At de huius dictionis, spiritus, uaria in scripturis adceptione, alibi plura tractauimus.

Dicit igitur: Spiritus fornicationum, id est, sensus carnis, cuius omne iudicium fornicatio à Domino est. Sensus hic, est sensus naturalis, sine Dei Spiritu, cui æquißimo illius iudicio nonnunquàm relinquimur, & tum impoßibile est, ut non peccemus. Sumus enim tum indurati, excæcati, seducti, traditi in reprobam mentem, inducti in tentationem, & non poßumus nõ errare & fornicari ab omnibus uijs Domini. Nam excitat nos ipse fornicationũ sensus, ut aliena à Dei sermonibus amemus & faciamus. DEVS autem hæc tum in nobis operari dicitur, cum in puris (ut loquuntur) naturalibus nos deserit, tametsi spiritus & sensus fornicationum, hæc proprijssime

ſime facit. Proinde hic dicitur de illo, quòd decepit Iſraëlitas, quòd fornicati ſunt à Deo ſuo, & deſeruerunt eum pro dijs alienis.

Hinc uide, quàm aptiſsime Apocalyp. 17. Antichriſti Synagoga Babylon meretrix magna, & parens fornicationum atque abominationum terræ adpelletur. Qui enim ſolo fornicationum ſpiritu & ſenſu regitur, & quidquid agit, fornicatio à Domino eſt, rectè fornicationum mater nuncupatur. Faxit Chriſtus optim. max. ut cito cadat fornicaria hæc, & fiat Regnum huius mundi Dei, & Domini noſtri IESV Chriſti in ſecula. Amen.

Super capita montium ſacrificabant, & ſuper colles adcendebant thymiama, ſubtus quercum, populum, & therebintum, quia placida erat umbra eius.

Solum templum Hieroſolymæ inſtituerat Deus, ut in eo ſacrificia ſibi offerrentur, & thymiamata incenderentur. Interdixerat quoque, ne alibi quidquam tale fieret. Contrà Iſraëlitæ, in quibus erat præſcriptus fornicationum ſpiritus & ſenſus, uoluerunt Deum colere proprio inſtituto, & ædificarunt excelſa, in quibus Deo offerrent ſacrificia ſua. Præter id autem adcreuit in eis fornicatio, & idola uaria coluerunt in montibus, & collibus, & ſyluis, in omnibus ferè platearum angulis, phana & altaria illis ædificantes, lucos conſecrantes, hoſtias immolantes, & id genus pleraq;

facientes

ficientes. Proinde illos carpit DOMINVS, hic recensens eorum impietates, ut confusi ad cor redeant.

Quid obsecro minus illis faciunt hypocritæ & pseudocredentes, ac nostri sæculi Pharisæi? Ecce, quod euerso Hierosolymæ templo post CHRISTI aduentum, quæ pro ueris Dei templis habere debeamus, totiés Apostolus indicat, nempe Dei Ecclesiam, ex fidelium multitudine constitutam, ac quemlibet eorundem. De Ecclesia quippe ait: Ephes. tertio: Ipso summo angulari lapide IESV CHRISTO, in quo quæcunque structura coagmentatur, crescit in templum sanctum in Domino, in quo & uos coædificamini, in habitaculum Dei, per spiritum. Fidelibus uero ait. 1. Corinth. 3. An nescitis, quod templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in uobis? Si quis templum Dei prophanat, hunc perdet Deus. Nam templum Dei sanctum est, quod estis uos, ne quis seipsum fallat. Et capite sexto. An nescitis, quod corpus uestrum templum est habitantis in uobis Spiritus sancti, quem habetis à Deo, & non estis ipsi uestri iuris. Itemq; 2. Corinth 6. Quid conuenit templo Dei cum simulachris? Nam uos templum estis Dei uiuentis, quemadmodum dixit Deus: Inhabitabo in illis, & inambulabo. Et ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus.

Verum ergo Dei templum est Ecclesia & filij eius, & aliud templum Dei nemo ostendere potest, nisi contra Dei iußionem uelit addere aduerbum eius, quod filij per

diti Regnum facit. Aedificat enim excelsa innumera, phana, altaria, Idola, lucos, ut à gentibus ipsis, ac carnalibus Israelitis, nunquam tam fuerit insanitum. Volunt Deum colere, non sua ordinatione, sed proprio instituto, quasi non scriptum esset, Deuteronomij duodecimo: Quod ego praecipio tibi, hoc tantum facito Domino. Non addas quidquam, nec minuas. Et Prouerbiorum trigesimo: Non addas quidquam uerbis illius.

Addunt impij ad uerbum Dei, & minuunt pro arbitrio, quasi supra illud non nihil poßent. Qui utinam saperent, & intelligerent, ac nouißima prouiderent. Sed quid? Stulti sunt, & caeci, ac caecorum miserrimi duces. Nam praescriptus ille fornicationum spiritus in eis regnat, & illos in eiusmodi perniciem ducit.

Hi super montium capita sacrificant, erectis ad id sacellis & altaribus, itidem in collibus, syluis & uallibus, atque etiam in aquis, nempe super pontibus, ac in cunctis fere platearum angulis, positis in eis suis Idolis, aureis, argenteis, ligneis, aereis, & lapideis, quorum non est numerus. In eis offerunt suas execrabiles hostias, etiam Baccho & Veneri, maxime ubi syluae, & frondosae arbores sunt, cuiusmodi sunt, quercus, ulmus, populus &c. Nam quid reperis in multis sacellorum ... tis, maxime in montibus, campis, et syluis, nisi choreas, ludos, comeßationes, ebrietates, saepe etiam fornicationes, adulteria, ac omnem immundiciam, & lasciuiam.

Adlicium

Adliciunt eos placidæ umbræ, & non nisi carnis delicias quærunt. Interim ueruntamen, dicunt se colere dominum, nec sustinent, si quis etiam ex Dei impollutis æternisq; sermonibus aliud doceat. Disspcet dominus, omnem cultum Baalim,

Ideo fornicabuntur filiç ueſtrç, & ſponſæ ueſtrç adulteræ erunt. Non uiſitabo ſuper filias ueſtras, cũ fuerint fornicatç, & ſuper ſponſas ueſtras cum fuerint adulteratç, quoniam ipſi cum meretricibus conuerſabantur, & cum effœminatis ſacrificabant. Et populus non intelligens uapulabit.

Vides ex hoc loco apertissime, quod etiam iudicium domini est, quòd nonnulli, in enormissima crimina prolabuntur. Nimirum deo æquissime iudicante, in puris (ut uocant) naturalibus deseruntur, & tum non secundum carnem uiuere nequeunt. Sic iusto Dei iudicio, sine eius spiritu relictæ filiæ Israël, fornicationibus & adulterijs pollutæ fuerunt. Quod ipsis Israelitis, in supplicium grauissimum fuit. Nam quis non grauiter ferret, filiarum ac sponsæ immundicias, præter eum qui ab omni iudicio & sensu, prorsus est alienus.

Ergo dum quis rapit, occidit, scortatur, proximo contumelias infert, aut quoduis crimen admittit, tametsi contra dei iußiones agit, eius tamen impietatem in expauescendum iudiciorum suorum ordinem Deus ponit, siue

ut pu=

ut puniat, siue in aliam causam, quàm profundius requirere ad impiam diuinæ maiestatis scrutationem spectat. Et quis incomprehensam iudiciorũ eius abyssum intelligit?

Ad eandem quoq; Dei iudiciorum abyssum pertinet, quod sequitur. Non uisitabo &c. Visitare quempiam ob peccata, est illum propter ea punire, aut corde inlustrare ac uehementer compungere, ut resipiscat. Israelitarum ergo filias fornicantes, & sponsas adulterantes, dicit se non uisitaturum, id est, puniturum aut corde puncturum, ut resipiscerent, sed in grauiorem ipsorum punitionem, eas nullatenus reuocaturum à spurcitijs suis.

Causam autem huius punitionis subdit, dicens. Quoniam ipsi cum meretricibus &c. In sacrificijs Veneris et Priapi, quæ impij illi frequentabant, tam spurca & abominabilia perpetrabantur, ut nullus unquam satis ea scripsisset. Horum siquidem criminum magnitudo & enormitas, quidquid usquã scribi aut referri potest exuperat. Imò & tam enormia sunt, ut silendo potius sit opus illa abominari, quàm ea liceat enarrare. Igitur æquissimo dei iudicio, in punitionem immundiciarum & abominationum Israëlis, eorum filiæ ac sponsæ, sic in reprobam mentem traditæ sunt, ut adulterijs & fornicationibus passim coinquinarentur.

Sequitur. Et populus &c. Sensus est. Volo punire populum istum, quod cæcus sit, nec ueritatem norit. O abyssum profundissimam iudiciorum dei. Excæcat enim & indurat

indurat quos uult, proindeq; fiunt illi populus non intelligens, & non peccare non poßunt. Quare ob id flagellantur? Certum est, quod iustißime à Deo induratur, quo fit ut sacratißimae legi dei adquiescere nequeat. Ob id quoq; à deo iustißime punitur. Hunc locum profundius scrutari non licet. Nam quis homo putredo & uermis, ut illius ualeat iudicia penetrare, atq; deo respondeat, aut cum illo contendere poßit? Caligat in eiusmodi ingenium hominis.

PARS SECVNDA.

Si fornicaris tu Israel, non delinquat saltem Iuda. Et nolite ingredi in galgala, & ne ascẽderitis in Bethauem, neq; iuraueritis, uiuit dominus. Quoniam sicut uacca lasciuiens declinauit Israel. Nunc pascet eos dominus, quasi agnum in latitudine.

IN arcanis literis, more hominum sæpe Deus loquitur. Ecce quòd uir quispiam habens duo filios, quorũ unus est scelerosus, & induratus, alterum admonet, ne alterius impietates imitetur, sed omni studio uitet. Sic facit dominus hoc loco. Videtur simpliciter nolle, quòd delinquat Iuda, uerum sciebat, quòd neq; Israël, id est, decem tribus, neq; Iuda, duæ scilicet tribus, non delinquere non poterant, nisi à suo spiritu tenerentur. Quid ergo tam

anxie

anxie iubet, ut quia deliquit Israël, non delinquat saltem Iuda? Cur non magis frenat Iudam spiritu suo? Nam praecepta & admonitiones dei, carni & sanguini, id est, his qui sunt absq; dei spiritu nihil proficiunt, nisi ut delicta & transgressiones adaugeant, atq; ut ipsae transgressiones agnoscantur. Per legē enim cognitio peccati. Suam profecto legem, tribuit Dominus, non tantum ut cognoscamus peccatum, sed etiam ut uideamus quàm odiat impietatem, ac uere in omnibus iustus sit, & quàm nihil homo ex se possit, quanquam famigeratum illud liberum arbitrium, sit modis omnibus maxime seruum, dum nullam dei iussionem, ex se ualet obseruare.

Quatuor enim ut uides hic praecepit filijs Iuda, Primum, ut non aemularentur fornicationes Israël, Secundo, ne ingrederentur in Galgala, quod ibi uigeret idolorū cultus, Tertio, ne ascenderent in Bethauem, quae ante Bethel uocabatur, ubi positum erat unum de duobus uitulis aureis Hieroboam. 3. Reg. 12. Ne iurarent, uiuit dominus, modum iurandi per nomen Dei, ad idola transferendo quasi aliquid in eis numinis eßet. Nihil autem horum obseruarunt carnales ex Iudaeis, quinpotius idola multiplicarunt super filios Israël, donec translati sunt in Babylonios. 4. Reg. ultimo.

Demum quid ex dei praeceptis caro proficiat, ex filijs Israël palam facit. Quoniam, inquit, sicut uacca lasciuiens (iugum subire nolens, sed illud rumpens) sic declinauit

uit Israël à uerbo scilicet & lege Dei. Hinc Hiere. 2. A sæculo confregisti iugum (legis) rupisti uincula mea. Idem faciunt omnes hypocritæ & pseudocredentes. Abijciunt enim & rumpunt, uincula & iugum dei, hoc est, sacrosancta eloquia eius, quæ iugum suaue, & onus leue sunt, Matth. 11. Subeunt autem iuga ac onera grauia & importabilia Antichristi & suorum, quæ illi in cæterorum humeros adligant, & digito mouere nolunt.

Maledictus qui pro execrabili Antichristi iugo & oneribus, suauissimum Christi iugum abijcit. Qui autem contra facit, felix est & uere beatus.

Vaccæ quoq; lasciuientis similitudo, est proposito aptissima. Quæ tum à iugo declinat, cum impinguata lasciuire cœperit. Nimirum uniuersæ historiæ id testantur, quod tum uel multo maxime, homo Dei iugum abiecit, et ab illo declinauit, cum cœpit abundare: Hinc Deuter. 32. Impinguatus est dilectus & recalcitrauit. Ad id spectant quæ habentur. Eze. 16. Quod in Antichristi synagoga, nullus non uidet. Nam tum summe à Dei uerbo declinauit, & Deo contradicere cœpit, cum maxime ditata est. Secutaq; est Hieroboam exemplum, qui, ut liquet. 3. Reg. 12. factus Rex Israël, auertit populum à Dei cultu, & uitulos aureos fabricauit. Veh tuis uitulis O Antichriste, quibus tot sæculis orbem terræ seduxisti.

Sequitur. Nunc pascet eos &c. Varij hunc locum uarie exponunt, ego ita simplicissime enarrandum puto, ut sit

ut sit sensus. Quia Israël declinauit à Deo & ueritate eius, haud secus atq; uacca lasciuiens à iugo, non habet causam dominus, ut pascat illum, iuuet & foueat quasi agnum in latitudine. Per Antiphrasin enim siue contrariam locutionem, capitur hic uersus. Nunc pascet eos. Quid non habet rationem, quin potius, sunt omnibus priuandi, & à suis terris exterminandi.

Particeps idolorum Effraim, dimitte eum. Separatum est conuiuium eorum. Fornicatione fornicati sunt, dilexerūt adferre ignominiam, protectores eius.

Quoniam Hyeroboam primus decem tribuum Rex, qui fecit uitulos aureos, & peccare fecit Israël (3. Reg. 12.) fuit de tribu Effraim, ideo sæpe Israël per Effraim capitur. Alia quoq; ratione, per Effraim signatur Israël, quia idololatriam & cultum uitulorum, qui initium sumpsit à tribu Effraim, totum Regnum Israel fuit imitatum. Sæpe enim in scripturis, ab eo quis uocatur, quod imitatur, & sequitur. Sic pij dicuntur Angeli, Dij, Iusti, Christiani, Impij uero diabolici, Chananæi, Amorræi, Gentes, Idola, Sodoma & Gomorra &c. De his passim occurrunt testimonia. Verum ego puto Effraim hoc loco simplicissime capiendum, ut paulopost dicemus. Vituli quoq; aurei, nuncupantur idola Effraim, quod à Rege Effrateo fuerit excogitatus eorum execrabilis cultus, ut diximus.

Dixit

Dixit ergo dominus: Particeps &c. Quidam sic hunc locum enarrant: O Iuda, quia Effraim, id est, Israël, est particeps idolorum, id est, idola colit, dimitte eum &c. Ego aliter puto dicendum, & supplendum Israëlis nomen, ut sic interpremur. Israël, qui sicut uacca lasciuiens declinauit à deo, factus est particeps idolorum Effraim, id est, cultus uitulorum, incepti à Hyeroboam Effrateo in tribu Effraim. Nimirum eodem cultu totus Israël peccauit, & secutus est idololatriã Effraim. Ergo hoc loco Effraim pro sola tribu sic uocata capitur, & si nõnullis alijs locis totum Israël designat.

Sequitur: Dimitte eum Israëlem, scilicet tu Iuda. Caussam autem subiunxit: Separatum, inquit, est conuiuium eorum, id est, nihil habent commune cum sanctis & fidelibus, q. à fide apostatarunt. Quid putas esse hanc separationem, nisi excommunicationem? Siquidem à communione credentium, quos una fides in unum deũ, una ueritas unusq; spiritus, unum faciunt, diuisi erant. Hæc est excommunicatio, non quam fert filius perditus cum suis, ad nihil omnino efficax, nisi ad rapiendum & seducendũ, sed quam fert deus uiuus & sempiternus. Hæc priuat dei spiritu & Ecclesiæ sanctæ communione. Illa nihil tale potest, sed quo magis aggrauatur et reaggrauatur in seruos Dei, eo copiosior benedictio eis à deo tribuitur. Hinc psalm. 108. Maledicent illi, & tu benedices.

Dicit ergo: Separatum est eorum conuiuium, q. eorũ omnis congregatio, mores, conuictus, sint contra uerbum

N meum

meum, ideóq; à me sint abiecti, ne sancto populo meo a-
numerentur. Vnde autem maxime prodierit idololatria
populi, notum fit ex eo, quod sequitur.

Fornicatione &c. Protectores isti sunt Reges, Prin
cipes ac Sacerdotes & Prophetæ, quorũ est, Dei uerbo be
ne instituere populum, & protegere ab impijs & pseu
doprophetis. Hi fornicatione, subaudi, idololatriæ forni
cati sunt. Hæc replicatio, Fornicatione fornicati sunt, ad
Hebræam phrasim spectat. Hi quoq; protectores fallaces
dilexerunt adferre ignominiam, id est, idolorum cultum
in populum Domini, ut patet. 3. Reg. 12.

Heu, quàm multi è Principibus & Magistratibus, eti
am ex his, qui pro fidelibus haberi uolunt, diligunt affer
re gloriam Ecclesiæ, nempe uerum cultum Dei, & im-
polluta eloquia eius, & afferre in eandem ignominiam &
abominationem, id est, idololatriam, nempe cultum Anti
christi, & idolorum ac figmentorum eius.

Ligauit eum spiritus in alis suis, & confun-
dentur à sacrificijs suis.

Ruach, Hebræa dictio hic posita, æquiuoca est, ad uen
tum & spiritum. Ideo nonnulli hic uentum enarrant, pro
eo leuitatem capientes: alij hunc locum de maligno spiri-
tu capiunt. Sed si rem, quæ hic tractatur, diligenter expē
dimus, necesse est, ut de eo spiritu capiamus, de quo in su
perioribus ait: Spiritus fornicationum, &c. per quem re
proba mens, & sensus carnis capiuntur. Dicit ergo: Li
gauit eum spiritus. Sensus est: Spiritus ille fornicationũ,
qui,

qui, ut paulò ante diximus, seduxit Israël, ligauit eum in alis suis, hoc est, duxit eum quoquo, secundum impetum suum, ad omnem scilicet impietatem. Sed dies uenient, quibus à sacrificijs & cultu idolorum confundentur, id est, pro illis confusionẽ & ignominiam patientur. Quod indubie de tempore eorum punitionis capitur.

Hic uersus non plus congruit Israelitis, quàm Regno apostatico filij perditi. Siquidem nullus sanæ mentis non uidet, quàm eum seduxerit à multis sæculis, dictus fornicationum spiritus, & nunc eum ligauerit in alis suis, ducens quocunq; pro impetu suo, absq; ullo freno spiritus Dei, ad sectas, ad mendacia, ad pompas, ad omnigenam luxuriem, ad idola, ad somnia hominũ, ad superstitiones, ad usuras & omnem rapacitatem, ac obstinatißimum eloquiorum ueritatis contemptum, atq; etiam ad persecutionem & occisionem Prophetarum ac dilectorum eius. Sed confundentur ab eiusmodi, alij in salutem, nempe electi resipiscentes: alij in interitum sempiternum, nempe reprobi, cum in proximo à suo fastigio deciderint, maxime autem, cum in puncto ad inferna descendent.



DIGRESSIO

AVTORIS, AD VLTIMI
uersus intelligentiam necessaria,
de Arbitrio hominis in solo
CHRISTO uere libe
ro, in se autem multis
nominibus maxi-
me seruo.

ENarranti mihi sacros utriusq; Instrumenti libros, euolutus, incidunt passim loci, ad quorum dilucidam intelligentiam, necessum uidetur, ut scrupulus de hominis Arbitrio à compluribus motus aperiatur, & complanetur, an scilicet, eiusdem sit aliquis in his, quae sunt aeternae salutis, nempe ad obseruationem praeceptorũ Dei. Specialiter autem, id exigũt plura, quae in hoc Propheta habentur, sed multo maxime uersus, quem nouiss. tractauimus: Ligauit eum spiritus in alis suis. Liquet autẽ ex praecedentib hunc spiritũ, esse mentẽ reprobi et sensũ carnis, q fornicationũ spiritus est, et recte dicitur. Principio autem lectorem admonitum uolo, ut non putet,

tet,

tet, me sequutū, uarios Scriptorum sensus, sed ipsissimū iudicium scripturæ, quo simplicius ualui, & donauit Christus, nihil ob id derogans Christianis Scriptoribus, & Doctoribus, his uidelicet, qui Dei sermonibus purissime adhæserunt, quos & nos sequi toto corde cōcupiscimus. Secundū quos uere nō possumus quicq̄ tribuere arbitrio hominis, ut plene, deo uolente, in sequētib. palā fiet.

Porro hunc scrupulū tractans, non proinde iudicabor quòd irreligiosa curiositate irrumpam, in rem absconditam, aut superuacaneam, quòd necessitate ueritatis agnoscendæ, & ut multorum desyderijs adquiescerem, id fecerim. Displicent namque mihi, & uehementissime quidem tot contentiones de nonnullis retrusis, quæ, ut quidam scripsit, rectius Deo committuntur, & religiosius adorantur, quā discutiantur. Sed non est eiusmodi questio de arbitrio hominis, an sit liberū &c. Siquidem illius cognitio admodū facit ad cognoscendum, quā nihil à nobis ualeamus, quāq; mirabilis, potens, & bonus sit Dominus, tantum abest, ut de eo tractare, superuacaneū & inutile sit. Summa: Huius dubij resolutio nos docet, quàm Deus in omnibus sit gloriosus, & nos fragiles ac miseri undequaq;.

Sunt ueruntamen nonnulli, adserentes, q; de his scribere, aut docere populum, non expediat, q; per id carnalib. putent fenestram aperiri ad impietatem, quasi non sit caro, & impium, quicquid isti agunt, etiam si nusquam de hac re sermonem audierint, & quasi fieri possit, ut electi ut est Erasmus

 rapiantur

rapiantur à dei manu, & pereant, ac in errorem inducantur. Qui egrediuntur è nobis, non fuerunt ex nobis. Nam si ex nobis essent, utiq; nobiscum permansissent. 1. Ioan. 2. Tenet quippe deus electorum simplicium corda, ne ueritatis sermonibus scandalizentur.

Ob id quoq; putant, necessum fore, ut si etiam nobis palàm eßet, confessionem, qua tot sæculis per spiritus impostores seducti, usi fuimus, esse impiam: & satisfactionem nullam eße, præter solius Christi merita, id tamen haud quaquam publicandum, ne populi ad crimina reddantur propensiores, qui hac uel emẽtita confitendi necessitate nonnihil ab eis frenantur. Nec uident, q̃, hac ratione ab flagitijs cohiberi grauissima hypocrisis, & coram domino abominatio sit.

Docent quoq; isti, q̃, si cuipiam notum esset, quidquã fuiße in concilijs perperam definitum, non expediret, ut ueritatem, quã nouit, profiteatur, ne cæteris præberetur ansa contemnendi Patrum autoritatem, in reliquis bene institutis. Volunt autem hæc errata dissimulari, & modis omnibus excusari. Nunquid propter Patres, postponenda est ueritas? Aut forsan deus indiget figmentis nostris? Quid autem est silere necessariam Dei ueritatem, ob Conciliorum errata, nisi præferre homines deo, & mendacia ueritati? Nam deus uerax est, omnis autem homo mendax. psalm. 115. Quid timemus, profitentes ueritatem dei? Quandoquidem omnia uincit. Esd. 3. Et permanet in æternum. Psalm. 100. & 118.

Deniq;

Denique Altißimus ueritatem diligit, psalm. 50 Et mendacium summe odit.

Profecto ita docere, error est neutiquam ferendus. Fateor quidem, ueritatis prædicationem nonnunquam differendam, ut oportunius annuncietur, uerum interim non est prædicandum mendacium. Et si errorem uides, intempestiuaq; eßet admonitio tua, dißimulare quidem potes, sed non licet excusare aut confirmare errorem. Et si agitur de fide, aut spectantibus ad eam, & interrogaris de his ab hostibus, si ueritatē non profiteris, CHRISTVM negasti. Nam sermones Dei erubescis. Sed scriptum est: Quem mei ac sermonum meorum erubuerit, erubescam & ego cum coram patre meo et angelis eius, Lu. 9.

Licuit Paulo, ut manducaret de his, quæ idolis offerebantur, cui itidem licuit non manducare ex eisdem. Nimirum indifferens quiddam erat. Proinde manducauit aliquando, q; ita expediret, aliquando autem non manducauit, quòd ita proximis conduceret. Sic omnia omnibus fiebat. 1. Corinth. 9. Verum non licuisset Paulo aut Apostolis, prædicare aliud, quàm quod à deo, adceperāt. Alioqui aberrassent, & falsi Prophetæ fuißent. Contradixit Paulus Petro in faciem, q; faceret, qnod non conducebat. Nā cogebat Gentes iudaizare, rem certe impiam. Non dixit ille, ut multi in carnis prudētia ambulantes, absit, ut Petro contradicā, ne imminuam coram multis illius autoritatem. sed ait: Cedant homines Deo. Proinde

Petro erranti contradicam, ne qui sciunt illũ Apostolum esse, ex suo errato legem faciant, & illum imitantes, dispereant. Et uere etiam omnium Consiliorum errores sunt manifestãdi populis fidelium, ne sub Consilij, Ecclesiæ nomine seducti, quidquam plus hominibus, quàm DEO tribuant, & pro ueritate mendacium amplectantur. Si sanctus quispiam, aut consilium ueritatem docet, acquiescendum est, non propter ipsos, sed propter ueritatem.

Summa summarum: Qui ex DEO sunt, rem prorsus illicitam nunquam populos docent, scientes, quòd nihil tale expedit pximo. Rem autẽ ex sese licitam, tũ minime necessariam, nonnunquã in tempus subticent, sicut proximorum utilitati uiderint expedire.

Arbitrantur etiam quidam, materiam de arbitrio hominis, & similes dei sermonũ locos, nõnihil subobscuros tractãdos inter solos perfectos, per quos eruditos et theologorum scholas uolunt designari. Ad idq; assumunt Pauli testimonium, dicentis. 1. Corinth. 2. quòd inter carnales nihil docuerit, etsi solum IESVM, & hunc crucifixum. Et paulò post ait, se DEI sapientiam inter perfectos locutum. Putant isti, aut saltem ita scribunt, quòd aliud sit, prædicare sapientiam, aliud IESVM crucifixum, quem noscere, est uera sapientia, & eum prædicare, est annunciare Dei sapientiam. Primum dicimus ad hæc, perfectos esse credentes uniuersos, quorum perfectio CHRISTVS est, modo uera fides adsit. Secundo, id sæpe fit, ut minus capiant uerbum

bum & sapientiam Dei, Scholæ Theologorum, & erudi ti secundum carnem, quàm simplices quicunq;. Deniq; Patrem filius glorificat, quòd sua mysteria absconderit à pruden[ti]bus, & paruulis reuelar[i]t. Matth. 11. & Luc. 10. Psalmo quoq; 18. dicitur: Sapientiam præstans par uulis. Et psalm. 118. Et intellectum dat paruulis. Veritas ergo & mysteria sermonum Dei paruulis & simplicibus, qui in CHRISTVM credunt, sunt nunci anda.

Tertio, Dei sapientiam ac mysteria fidei, plebeculis humilibus sunt potius reseranda, quàm superbis eruditorum laruis. Nam his tumentibus animis Dei abdita neutiquam panduntur, quæ paruulis & humilibus palàm sunt. Nimirum ad cælestis doctrinæ cognitionem nihil faciunt gradus, promotiones, scholæ, superba Philosophia, ac omnis astutia & sapientia huius seculi. Scriptum quippe est: Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Esa. 29. & 1. Corinthiorum primo: Et placuit Deo per opprobrium & stultitiam crucis, ac prædicationem, saluos facere credentes. Denique nihil fere spiritus reperitur in sapientibus illis, qui paruulis & simplicibus abunde donatur: quemadmodum apud Esaiam, capite. 66. habes: Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem, & quietum, & trementem sermones meos. Solo namq; dei spiritu ueritas eius percipi ualet, ut abunde Paulus do

cet, prima Corinthiorum secundo. Nunquam enim fieri potest, ut studio & sensu humano dei scripta percipias. Proinde, quisquis eodem sensu, illa aut enarrat aut meditatur, ueritatem assequi non potest. Sic namque multoties nostro sensui se attemperant, ut non ipso nostro, sed DEI sensu ac spiritu ualeant intelligi. In eis quippe sæpe legis, quòd deus furit, dolet, irascitur, odit, comminatur, & id genus multa, quæ si secundum carnem, & proprium sensum intelligis, ipsissimus hæreticus eris. Et tamen uere irascitur, furit, pœnitet, ingemiscit, &c. sed non secundum iudicium, & sensum nostrum. Nam sicut Dei eloquia habent linguam suam, ita habent & proprium spiritum. Porro, qua ratione hæc sint capienda, alijs locis palàm fecimus.

Scio deinde, non mediocris negocij eße, pro scrupulo de arbitrio hominis explanando, prolixam & molestam operam sumere, quam multis non dubito futuram ingratissimam, his præsertim, qui non super CHRISTVM petram firmissimam, ac potentissimum DEI sermonem, sed super arenam, hominum scilicet gloßemata, uolunt ædificare, & facto ædificant, quicquid diuinis literis tribuere uideantur. Putant isti, aliquid eße, si pro his, quæ asseuerant, scribentium multitudinem supputarint, etiam ex Sophistis, quorum argutiã, rixas, & perpetuã contentionẽ, odit spiritus sanctus,

&

& omnis sanctorum Ecclesia detestatur. Deniq; nihil placent fidelibus pura iudicia quorumuis hominũ etiam sanctorum, martyrũ, Episcoporũ, Pontificum (tametsi unus & solus Christus, sub Euangelio Pontifex est) aut aliorum quorumcũq;, sed si in eis, aut etiam in mulierculis, rusticis, et pueris Dei ueritas reperitur, est uere gratissima. Hæc est summa totius negocij, ut ubiq; nõ homines, sed ipsam ueritatem diligentißime attendamus, amplectamur, & toto corde sequamur.

Demum, quid ad dei Ecclesiam tot sæculorũ, in errorum tenebris ambulantium, impius consensus, quem isti nobis opponunt? Iurauimus forsan in ipsa sæcula, aut in doctores qui tum fuerunt, & non magis in æternum & impollutũ sermonem dei altissimi? Nolumus sæcula hæc, sed æternos Dei annos in mente habemus. Nolumus nouissima, sed antiqua, tamesi in contumeliam, noui Euangelij præcones nos uocant, quasi ipsum Euangeliũ quod prædicamus, non sit æternum, & nõ idem etiam annunciarint à principio, sancti Prophetæ, atq; Apostoli. Verum est quod ipsum Euangeliũ, quod in se est æternum, ueteribus carnaliũ utribus nouum est, quo fit ut illud continere non possint, nisi Christi spiritu renouẽtur. Quid alienum prædicamus ab Apostolis ac Prophetis? Non licet nobis sequi errores, qui fuerunt annis plusquam 1300. sed quod Apostolorum felicissimo sæculo, ac annis eidem proximioribus sancti docuerunt, sequi necesse est.

Certum quippe est quod ueritatem quam scripserũt purißime annunciarint, & habuerint iudicium spiritus Dei.

Sed nunc de spiritu Dei, quæstio grauissima est. Ait quidam. Haud scio, an quemadmodum sanationes & linguæ ceßarunt, ita cessarit & hoc charisma spiritus, nempe, donum prophetandi seu enarrandi scripturas. Huic primum dico, quod sanationes minime cessarunt, quod ego ipse, qui hæc scripsi, uidi, & certissimus sum. Ceßant tum sanationes, cum deest fides. Nec linguarum donum ceßauit: Nam quod nonnulli genera linguarũ norunt, certe donum est spiritus Dei. Verum nõ tam patenter, ut aliquando externa hæc prodigia nunc fiunt, ut agnoscatur potentia uerbi Dei, quo solo tota Regni Antichristi altitudo est euertenda. De quo, libro de causis excæcationis &c. pleraq; tractauimus.

Absit autem ut dicamus ceßasse spiritum Dei, aut donum prophetiæ. Quis negabit prædicandum eße uerbũ Dei? Sed prædicare prophetia est, ut patet. 1. Corin. 14. At nullus recte prædicat, sine spiritu sancto: Nã profunda dei, non nisi Dei spiritus scrutari potest. Nam quemadmodum nemo nouit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est, ita & quæ dei sunt nemo nouit, nisi spiritus Dei. 1. Corin. 2.

Quærit præscriptus, in quos sit deriuatum, ipsum donum spiritus. Id autem multis argumentis inquirens, scopum attingere non potuit. Mansit quippe in electis etiam

etiam præscriptis errorum sæculis, sicut fides, ita & spiritus ueritatis, etiam si in pluribus aberrarint, & ob ipsum spiritum ac fidei simplicitatem salui facti sunt, quod dicto libro de causis excæcationis &c. palàm fecimus. Non enim disperiere quicunq; eisdem fuere sæculis, sed quemadmodum tempore Heliæ, dum ille se arbitraretur esse solum, qui deum coleret, dictum fuit ei 3. Reg. 19. Reliqui mihi septem milia uirorum, qui non curuauerunt genua coram Baal, ita & tunc. Nam quidquid erroris aut cæcitatis fuerit, reliquiæ, id est, electi, saluæ factæ sunt. Sed ad scopum ueniamus. Vbi nonnulli, in aliquem textum scripturæ, diuersos sensus adferunt, hoc argumẽto sciri potest, cuius interpretatio profecta sit à spiritu dei, si uidelicet à diuinis eloquijs testimoniũ habeat. Ipsa quippe eloquia, diuinæ uoluntatis certissima testimonia sunt. Proinde testimonium uocantur. Psal. 18. & multoties Psal. 118. Porro unus locus, per alium interpretatur, & subobscurus per notiorem aperitur. Illa autem enarratio, quæ magis consentit purissimis scripturæ textibus, syncerior est.

Quærunt multi in docentibus, ut eis credant, promotiones (gentilium ritum) decretorum allegationes, ordinem, sanctitatem, miracula, nos uerbum Dei sanctißimũ & inuariabile, quod est testimonium uoluntatis eius. Optandum ueruntamen est, ut qui se Christi esse dicũt, ac eius sermonem profitentur, uitam habeant spiritu dignam, & dolemus quod nonnulli sic uiuunt, ut propter

eos male audiat Euāgelium Regni dei. Scimus enim quod tametsi fide sola iustificamur, fidei ueruntamen indiuidui fructus, sunt opera quæ ex fide fiunt. Promotiones scholarū, & pura hominum dicta, sicut stercora abominamur, ordinem floccipendimus, quod nihil faciat ad pietatem, sanctitatem uero & miracula amamus, si cum ueritate conueniant. Verum non propter hæc credimus ueritati, sed quia ueritati adquiescimus, hæc placent. Fusius isthæc tractaui, quàm nonnullis forsan par esse uideretur, sed ad id me coegerunt, qui ut probent nos de arbitrio hominis perperam docere, longa præfatione, in nos superiora scripserunt.

Vt autem aliquando ad rem ueniam, quatuor hic tractabimus. Primum, quid arbitrium hominis.

Secundum, quòd sit uere captiuum.

Tertium, in quo fiat uere liberum.

Quartum, qua ratione adcipi debeant textus, qui ipsi arbitrio uidentur tribuere libertatem.

QVID ARBITRIVM HOMINIS.

Quod ad primum spectat, liberi arbitrij uox nullum à diuinis literis testimonium habet, sed à fæcibus, superbæ & carnalis Philosophiæ desumpta est. Irrepsit enim in doctrinam Christi, & per eam maiorem in modum contenebrata est. Proinde scholæ Aristotelis dogma sequentes, uoluntatem intellectui coniunctam, liberum arbitrium

esse

esse definiunt. Faciuntq; ex homine, haud secus atque Regnum quoddam, in quo præsidet uoluntas, & intellectus consiliarium agit. Intellectus, aiunt, iudicat, & consulit. Volũtas ut princeps imperat, ut fiat aut dimittatur, quod ille suggerit. Liberam dicunt potentiam uoluntatem, quam nullus, neq; (ut impie scribunt) etiam Deus cogere poßit, tametsi deo permittunt, quod eam ualet immutare. Heu quàm pestiferum Christi Ecclesiæ fuit, hoc de libero arbitrio dogma, quod nihil uere libertatis habet. Nos quidem non diffitemur arbitrium hominis, esse uoluntatem intellectui iunctam. Verum hoc arbitrium quod est illius iudicium atq; electio, nõ liberum, sed modis omnibus captiuum esse, Dei scriptorum solidis testimonijs ostendemus.

QVOD ARBITRIVM HOMINIS sit maxime Captiuum.

Quoniam arbitrium hominis, intellectũ simul & uoluntatem includit, primum declarabimus quod utrumq; captiuum sit. Secundo hanc captiuitatem, diuinis eloquijs probabimus.

Intellectum ergo hominis captiuum esse, nemo non uidet, nisi qui cæcus est. Vnusquisq; enim intelligit ad mensuram, sicut distribuit omnium largitor Deus, ut ille ad hanc rem adponat intellectum, alius ad aliam. Alij quippe Rhetoricen, alij dialecticen, rhetorice contempta amant. Alij incumbunt medicinæ, alij iuri (ut uocant) ciuili,

ciuili, alij theologiæ, alij ex omnibus pariter aliquid scire
nituntur. Alij mechanica, hæc aut illa diligunt. Mille homi
num species & rerũ discolor usus. Velle suum cuiq; est,
nec uoto uiuitur uno. Et quisq; ex eo cui se dedidit, non
capit nisi ad mensuram, alius plus, alius minus. Iste uellet
tantum nosse, quantum is qui se exuperat, & non po=
test. Qui hoc nouit, cupit aliud scire, & non datur. Qui
nouit artes & medicen, uellet nosse abdita scripturarũ,
& econtra. Qui nouit bibliorum uersum unum, uellet
omnes capere, at non est uolentis neq; currentis, sed mi=
serentis Dei. Ille uellet omnium quæ legit & audit recor
dari, & mox omnium obliuiscitur, sic faciente Deo. Li=
gatus quippe & captiuus est intellectus cuiusuis homi=
nis. Nihil præstant cuipiam, solicitudo, uigiliæ, studium,
nisi quantũ Deus ab æterno præfiniuit, qui omnia in nu
mero, pondere, & mensura adpendit. Ab ipso pendet,
ut hoc uel illud quisq; intelligat aut sciat. Siquidem non
est cuipiam liberum, ut quiduis pro arbitrio noscat.
Nam solus Dei intellectus uere liber est, reliqui omnes,
serui, limitati, captiui. Non potest eruditorum aut artifi
cum quispiam nosse, uel ad horam quidem, qua ratione
hoc aut illud sit faciendum, nisi sicut & quantum à deo
adcepit. Quæ ergo est nostri intellectus libertas? Seruit
enim decreto Altissimi, ut non nisi sicut & quantum ille
uult, agat, quod est esse captiuũ. Sub hoc decreto, omnia
condita seruiunt Deo, ꝙ nõ possint quidquam nisi ad li=
berrimum arbitrium Dei. Non potuerunt leones uorare
Danielem,

Danielem, nec ignis in fornace tres pueros absumere, quia ille nollet, qui solus ex se uere liber est, & cui uniuersa, etiam ubi maxime se illi contradicere & non acquiescere putant, inseruiunt, & captiua sunt. Semper enim impletur beneplacitum eius. Captiuus ergo est intellectus hominis, ad imperium & decretum Domini.

Cui itidem seruit, & captiua est omnis uoluntas eius. Voluntatis est, uelle aut nolle. Miramur autem, cur hos nostræ uoluntatis actus, liberos quidam putarint, & ita scripserint. Profecto nulla est libertas eius, quin potius est modis omnibus maxime serua. Nam æterno decreto, & præfinitioni Dei altißimi omnia subsunt, ergo & ipsa uoluntas. Et quemadmodum scripsimus de intellectu, non esse illi liberum, ut quiduis scrutetur, aut sciat, sed tantũ quæ & quantũ uult deus, ita et de uolũtate dicimus, quod ex uarijs affectibus, clarum est cernere. Hominis uoluntas tum libera esset, si posset quiduis libere uelle aut nolle. Sed quis eiusmodi est, & laudabimus eum? Quoties fit, ut homo uelit aliquid nolle, & non potest non uelle illud? E diuerso, quoties optat aliquid firmiter uelle, & amare, quod ueruntamen non odire non potest? Quæ ergo libertas tum est in eo? hæret quispiam scorto, & non potest odire illud, quia uinctus est seruitute durissima. Odiunt multi proprios mores, & crimina quæ aliquando nõ amare nequeũt. Siquidẽ ne possunt quidem, quia adfectus carnis legi dei minime subijciatur, Ro. 8. Ego infelix homo sæpe facio, quæ maxime odio. Facio

O quidem

quidem ea, non ego, quod animo plurimum displiceant, sed quod inhabitat in me peccatum, id est, cōcupiscentia, me captiuum tenēs. Proinde sæpe de multis uelle mihi adiacet, & non inuenio, qua ratione perficiam, me captiuante peccato. Opto nonnunquam aliquid toto corde odire, & non possum, sed rapior nolens in amorē rei, quam odire uellem, & non possum. Nam etiam si externe odire uidear, corde amo, uel nolens.

Dabo ego peccator gloriam deo, & confitebor corā Ecclesia eius impietatē et hypocrisim meam, ut misericordiam à deo consequar. Cum olim adhærebam Antichristi factioni, multis annis in fœminarū concupiscentia uixi. Odiebā certe ipsum affectū meum, uerū non sic afficinō ualebā. Labores, uigiliæ, flagella, ieiunia, et reliqua id genus dura, poterant quidem uim corporis infirmare, sed non frenabant concupiscentiam animi. Et uere ad nihil proficiebant omnia eiusmodi, nisi ad hypocrisim adaugendā. Captiuus tenebar, ut non quiduis libere agerem, aut uellem siue nollem.

Vides seruitutem, qua misere constringimur. Quomodo ergo liberi sumus? Certe nullus uiuentiū potest nolle aut uelle hoc aut illud, nisi sicut & quantū uires tribuit deus. Homo siquidē sic captiuus est, sub decreto dei, sicut ignis & alia condita. Ignis semper absumit cōbustibilia, nisi uis eius à deo teneatur, homo uel nolēs semper impia cogitat, et peccat in omnibus, nisi frenetur à spiritu Christi. Verū ipsæ impietates & peccata, suum terminum habent,

bet, sicut deus in æternitate præfiniuit et tẽperauit. Cõstituit namq; terminos deus, et cogitationibus & factis, & uoluntatibus omnium hominum, quos præterire nemo ualet. Vbi nunc sunt, qui tam liberum faciunt arbitrium nostrum? Nonne est uere captiuum?

Sunt, qui definiũt arbitriũ liberum esse, dicentes, q̃ sit uis humanæ uolũtatis, qua se possit homo applicare ad ea quæ perducũt ad æternã salutẽ, aut ab eisdẽ auertere. Sed quã obsecro uim in eiusmodi habemus, cũ intellectus & uoluntas hominis nihil ex se, nisi ad carnalia possint? Iudicat itellectus bona esse, diuitias, sanitates, honorẽ et gloriam seculi huius: mala uero, quæ his sũt opposita. Dei q̃ppe et omniũ rerũ diuinarũ, ac eorum, quæ ad æternã salutem faciunt, est in solidũ ignorans, ita ut si quispiã perpetuo sacros libros euolueret, aut doceret, aut ipse doceretur, intellectus ex se nunq̃ uere agnoscet deũ, ac potentiam, iustitiã, bonitatem, iram, misericordiam, & uoluntatem eius, nec nisi in mendacio & hypocrisi ueritati credet & acquiescet, q̃ nihil minus est, quàm credere. Nam ipsissima dei abnegatio est. Homo enim absq; dei spiritu iudicans & uiuens, insipiens & animalis est. Scriptũ est autem: Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Psalm. 13. Vide, quòd intellectus ex se Deum ignoret & neget. Item 1. Corinthior. 2. Animalis homo, non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. Stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quòd spiritualiter dijudicentur.

Quod de intellectu diximus, idem prorsus de uolun-
tate sentiendum. Nam quemadmodum ille sola carna-
lia cernit, ita hæc sola bona aut mala carnalia & tempo-
ralia, diligit aut odit. Deum autem ac ueritatem eius,
nec amare, nec timere potest. Non est ergo liberum ar-
bitrium hominis, sed uinctum & captiuum. Quod nunc
Dei scriptorum testimonijs est roborandum.

Primum quidem suscipiam illud, qđ nouissime ex Osea
tractauimus: Ligauit eum spiritus in alis suis. Liquet
autem, hoc uerbum de carnalibus ex Israële dictum fuis-
se, quos fornicationum spiritum, id est, sensum & iudi-
cium carnis seduxisse paulò ante dixit, à quo eos ligatos
in proprijs alis, nunc aßerit. Primum seducti, deinde li-
gati, ut nihil aliud possent, quàm à Deo fornicari. Nam
omnis eorum sensus, uoluntas & actio, fornicatio à domi
no erat, q̧ nō ex fide, ideoq; peccata essent, ut late in supe
rioribus habuimus. Vincti ergo & ligati sunt carnales
omnes, & ob id sæpe in scripturis uincula habere dicun-
tur. Et Synagoga carnalis captiua filia Sion dicitur. Esa.
52. Seruator quoq; dicitur prædicare captiuis indulgen
tiam, & clausis apertionem, Esa. 61. & Luc. 4.

Secundo: Gene. 6. dicit Dominus: Non permanebit
spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. In He
bræo autem Hierony. & alij asserunt sic esse: Non iudi-
cabit spiritus meus in homine in sempiternum, quia caro
(uel carnes) sunt. Verum ego non abijcio priorē trans
lationem. Quæ uerba non seueritatem Dei, sed clemen

tiam

tiam sonare quidam affirmat. Sed longe sit à nobis hæc clementia. Quantum ex scriptis huius conijcitur, sic uult hunc locum accipi, ut iudicare idem significet, quod punire. Sed falsus est hic sensus. Nam iniusti punientur, & semen impiorum peribit, psalm. 36. Et ignis qui paratus est diabolo & angelis, quo etiam reprobi torquebuntur, æternus est. Ergo alius est huius loci sensus, quẽ hunc esse nihil dubitauerim. Spiritus meus non iudicabit in sempiternum inter homines istos (id est, non permanebit, & non erit perpetuo in eis, iudicium spiritus mei) quia carnes sunt, hoc est, animales & carnales, fallaxq́;, & impium iudicium carnis, quod non potest conuenire cum iudicio spiritus mei, in eis regnat. Est hæc clementia, non habere in se spiritus dei uerissimum iudicium, & relinqui impio & execrabili iudicio spiritus fornicationum & mendacij, id est, spiritus hominis, qui est mendax? Psalm. 115. Ego æstimo, nullam dei seueritatem, hac grauiorem posse reperiri, cũ scilicet homo relinquitur absq; iudicio spiritus dei. Longe fiat à me, domine Deus meus, hæc tua expauescenda seueritas, quam ille clementiam dicit. Iudicet in me spiritus tuus uerax & sanctus, non meus fornicarius & mendax. Flagella & percute me, si ita expedit ad gloriam tuam, tantum confirma seruum tuum spiritu tuo, & eum nequaquam ultra auferas à me.

In præscripto Geneseos uersu, impij carnes uel caro esse dicuntur, eo sensu, quo multoties apud Paulum. Nimirum impius, & omnes eius cogitationes, affectus

& opera caro sunt, quòd sint absq; spiritu sancto. Ipse quoq; hominis spiritus à seipso caro est, quòd nō nisi carnalia cernat & amet. Hoc non fatetur idem, qui suprà negans præscriptam sententiam ad uniuersos homines pertinere, sed simpliciter ad eos, qui Noë temporibus erant. Sed quid obsecro, stupidius dici potest? Nonne caro sunt, qui successere diluuio, sicut, qui illud antecessere? Profectò ita fuit caro Cam, filius Noë, patrem deridens: sicut Cainus, & Iudas proditor, & sicut Lamech Caini interēptor. Forsan putat iste, q. fuerit alius fornicationum spiritus in homine, ante diluuium, alius post, aut quòd ab orbe condito, mutarit Deus naturam hominis, alia mutatione, quàm sit ea, quam facit dextera excelsi in eis, qui in se credunt. Legimus annos eius, & tempora mutata, naturam autem minime. Fateor, dictum sermonem de his, qui Noë temporibus erant, specialiter capiendum, sed non minus de his, qui successere diluuio. Nam omnis homo ex se caro, & omnis caro fœnum, uniuersa autem gloria eius, quasi flos agri, Esa. 40. Omnes quoq; filij Adam ex se sunt graui corde, diligunt uanitatem, & mendacia quærunt, psalm. 4. Et uniuersi declinauerunt, & inutiles facti sunt, nec est, qui faciat bonum, etiam usq; ad unum, psalm. 13. Si contendunt adhuc nōnulli, dictum locum de his qui tum erant, simpliciter enarrandum, tunc quæro, cur potius caro dicentur, quàm qui secuti sunt? Profectò de alijs multis grauiora legimus, & diebus nostris conspicimus, quā sint quæcunq; de eis legūtur.

tur· De eis legimus, Gen·6·q uidentes filias pulchras, ac ceperunt ex omnibus sine delectu, quas elegerunt· Non quæsierunt bonas, sed pulchras· Quæ posteaquam ma ritis pepererant, erant illi potentes à sæculo uiri famosi· Dicitq;, multam fuisse in terra hominum malitiam, & q cuncta animi cogitatio intenta esset ad malum omni tempore· Quod de omni sæculo & ætate oportere intelligi, palàm fit ex eo, quod eiusdem libri, cap·8· dicitur· Sensus & cogitatio cordis humani, prona sunt ad malum ab adolescentia sua· Quæ uerba, impie & perperam ad sola Noë tempora à quibusdam torquentur·

Hi argutantur, propensionem ad malum, quæ est in plerisq;, quasi non in omnibus hominibus, non adimere illis in totum libertatem arbitrij, etiam si uinci in totũ non possit, sine (ut loquuntur) auxilio gratiæ dei· Fatentur illam procliuitatem in totum uinci non posse, & tamen interim asserunt libertatem arbitrij· Nõne captiuitas grauissima est, hoc neutiquam uincere posse, quod cõcupiscimus· Ergo serui sumus ipsius concupiscentiæ, seu propẽsionis ad malũ, donec efficiamur uere liberi per Christũ·

Tertio, Prouerb·16·dicitur: Omnia propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoq; ad diem malum· Apertus est hic locus, ostenditq; Deum ab æterno reprobos adiudicasse æternis supplicijs· Nõnulli contra fas, quæ ad solam dei maiestatem spectant, scrutantur, hoc loco & similibus, quærentes· Quare impium, quem ab æterno perdere decreuerat, cõdidit· Cur eum conditũ ab

impietate non reuocauit. Cur non dedit omnibus spiritū suum. Eiusmodi autem scrupulis & curiosis quæstionibus seducuntur, & ab eis ad id tandem miseri perueniūt, ut de Deo non in bonitate, sed crudelitate sentiant. Volo Altissimi iudicia, etiam si illa non intellexero, reuereri, & firmissime credere, quòd in omnibus sit bonus, iustus, fidelis, & uerus: nos uero miseri, fallaces, iniusti, peccatores. Fecit ergo Deus impium ad diem malum, semper manens iustus & clemens, & impius non potest à seipso, aliquid Deo gratum operari. O abyssus iudiciorum DEI, quàm inuestigabiles, & incomprehensibiles sunt uiæ eius. Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ipsi gloria & imperium in secula sæculorum.

Quarto, Prouerb. 21. Sicut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu domini, quocunq; uoluerit, inclinabit illud. Hinc primum habes, q̃ à Deo sit diuisio aquarū, & omnium prorsus, quæ sub cælo sunt. Demum textus est apertior, quàm ut opus habeat longa enarratione, quo palàm fit, Regis cor seu uoluntatem (quæ in scriptis Dei pro eodem capiuntur) non esse liberam, sed captiuam, ad arbitrium Dei. Porro, quocunque uoluerit, inclinat illud, siue ad pietatem, siue ad oppositum. Nemo tamen putet, me uelle dicere, quòd Deus operetur impietatem, dum Regis animum ad eam inclinare dicitur. Nam inclinare ad malum, nihil aliud est, quàm indurare, tradere in reprobam mentem, &c. Quæ omnia significant,

quòd relinquit eum DEVS in puris naturalibus, ut multis locis, specialiter libro de caussis Excæcationis tractauimus. Quod de Rege audis, de omnibus intelligendum est.

Opponit quidam, quòd hæc inclinatio manus Domini, non affert cuiuspiam uoluntati necessitatem. Sed uere perperam arguit, non tribuens gloriam Deo. Nam aut inclinat ad pietatem, quod fit, dum spiritum suum & fidem ueram infundit. Tum peccare non potest, ex ea Dei ui, qua sic inclinatur. Nimirum fides non operatur malum.

Nam tametsi in fidelibus caro peccat, spiritus tamen Dei, quo uiuunt, peccare non potest. Petrus ui carnis peccauit, increpans CHRISTVM pro eo, quòd se moriturum dixerat, qui paulo ante ui spiritus dixerat CHRISTO: Tu es CHRISTVS, filius Dei uiui, Matthæi decimo sexto. Denique omnium, ad quæ inclinat spiritus sanctus, est necessitas, quod ab æterno ita prædestinata sint. Omnium quoque quæ inclinatus ad impietatem, id est, datus in reprobam mentem, & relictus in fornicario spiritu, seu naturalibus puris, operatur, itidem est necessitas, q. fieri non possit, ut tum non male faciat impius, cum caro sit, ideoque omnia eius opera peccata sint. Impossibile quoque est, ut quæ DEVS ab æterno præsciuit, impios facturos, non fiat in tempore. Vnde dicimus, omnium ad

quæ Deus inclinat, excitat, seu indurat, esse ineuitabilem necessitatem. Videas Lector, ne ex his quicquam ultra definias, quo de Deo male sentias in tuũ interitum. Venerare semper illius iudicia inaccessibilia, & libenter profitere, quòd ad eorum profunditatem nunquam perueneris.

Quinto, Ad id maxime facit illud Hieremiæ decimo: Scio Domine, quoniam non est hominis uia eius, nec uiri est, ut ambulet & dirigat gressus suos. Quæ uerba, non de rebus tristibus aut lætis (ut quidam uolunt) capiuntur, sed de omni cogitatu, uoluntate, & facto hominis, quod palàm fit ex eo, quod immediate subiungitur: Corripe me Domine, ueruntamen in iudicio, & non in furore tuo. Quod si adhuc illi negant, debere accipi, de omni uia hominis, id est, uoluntatibus & factis, dicant uobis, utrum eorum sit uia eorum, & liberum eis sit, quiduis nolle aut uelle, aut facere. Si quis horum est adulter, scortator, rapax, auarus, inuidus, habet inimicũ, adulator est, aut aliâs uarie afficitur, quæro, an ipsius sit, plene hos affectus à se ponere? Quod ubi se nihil tale posse inuenerit, quomodo est hominis uia eius? Vere non est cuiuspiam uia sua, neq; uia mea in arbitrio meo sita est.

Proinde, cum Dauid sancto oremus: Dirige Domine deus meus in conspectu tuo uiam meam. In conspectu tuo ait, hoc est, sic ut placeat tibi. Qu. diceret: Noli dirigere

dirigere seu inclinare uiam meam, contra te. Eiusmodi est illud. Psal. 118. Auerte oculos meos ne uideant uanitatem, in uia tua uiuifica me. Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam.

Sexto, captiuum esse arbitrium hominis, electi apertissime fatentur, Esa. 63. dicentes. Tu domine pater noster, redemptor noster, à sæculo nomen tuū. Quare nos errare fecisti domine, à uijs tuis, indurasti cor nostrum ne timeremus te? Quem locū ad id allegat Paulus Ro. 9.

Septimo, hæc ueritas ex eo cōfirmatur, quod dominus Pharaonē indurasse dicitur Exo. 9. & Rom. 9.

Octauo, per illud. Exo. 9. & Rom. 9. Idcirco autem posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra. Hunc locum non uult caro pure intelligi, sed plusquam oporteat sapiens, arguit. Absurdum uidetur dicere quod Deus quempiam indurarit, ut per illius maliciam, suam illustraret potentiam. Obsecro sapiamus ad sobrietatem. Quid arguimus sermonem domini? Carpit misera caro, quod non intelligit. Nō iudicet ultra caro in nobis, sed spiritus Dei per uerbum suum. Possent etiam hic arguere impij, quod Deus uideatur indigere malicia hominum, ut suam ostendat fortitudinem. Sed dispereant argutiæ eiusmodi. Nullo enim indiget Deus, sed ita placet illi, ut pro arbitrio utatur creaturis suis.

Reliquit Deus Pharaonem, in fornicationum spiritu, id est,

id est, sensu & iudicio carnis, quod est induratum & excitatum esse· Nam sensus carnis durus est, & semper insurgit in spiritum Dei· At ille sic relictus proindeq; induratus, nõ potuit nõ niti ad contraria Deo· Cuius decretũ dum uoluit impedire, præualente Deo, & potentißime euertente ac conculcante, omnem gloriam eius, in eo palàm facta est in omni terra, summa fortitudo & gloria Dei· Propterea illi dominus ait· Idcirco autem posuite &c· Sensus est· Dimisi te absq; spiritu meo, propter qđ fieri nõ potest, ut nõ obsistas uoluntati meæ· Nam sensus et cogitatio hominis, agunt cõtra me semper· Posui ergo te in sensu tuo, per quem excitaberis contra me, & mihi uolenti educere ab Aegypto populum meum, nõ adquiesces, & permanebis durior indies contra me· Ego autẽ in signis et prodigijs maximis, educam ab Aegypto Israelem, & te ac omnem populum tuum, mihi obsistentes, conteram & calcabo· Quo fiet ut omnis terra agnoscat fortitudinem meam·

Putat quidam, aliquem à deo indurari, cum non mox castigatur, sed expectatur ad pœnitentiam, qua expectatione proficit ad deteriora· Sed aliter omnino est· Nimirum multi peccantes non mox castigantur, qui tamen cõfestim dei munere, etiam ante flagella resipiscunt· Ad id obserua, duo tantum esse genera hominum, unum est fidelium, aliud induratorum, fideles sunt, qui habent spiritum Christi, à quo eruditi, mox adquiescunt imperio & uoci domini· Indurati sunt, quotquot non habent ipsum spiri-

spiritum Christi. Enimuero sine illo, nõ potest homo adquiescere deo, quinpotius durus & rebellis est, aduersum omnem iussionem eius.

Ille ergo dicit. Deus indurat, & errare facit à uijs suis, cum differt punitionem. Decipit autem cũ mox nõ reuocat ab errato per flagella. In eumq; sensum uarios scripturæ locos enarrat. Datq; exemplum patris habentis filiũ dyscolũ, quem nõ correxit, quẽ idcirco perdidisse dicitur, quòd peccantem non correxerit. Sic & putat Deum non indurare aliquem, cum eum mox flagellat. Peruersa est omnis eiusmodi interpretatio, nihil solidũ habens. Complures namq; flagellis cæduntur, & duriores fiunt. Si flagellis quispiam debuit corripi, profecto Pharao & Israelitæ meliores esse debuerant. Sed Pharao obstinatior factus est semper, Israëlitæ uero qui Dei spiritu caruere, etiam inter flagella durissima, fornicati sunt à Domino, & idololatriam adauxerũt. Vbiq; enim apostatarũt à Domino, etiam in Aegypto, ut patet Eze. 23. Et iterũ mox euersa Hierosolyma, redeũtes in Aegyptum sacrificarunt reginæ cæli &c. Hiere. 44. Neq; etiam Deus aliquem non indurare dicitur, cum eum mox flagellat, sed cũ infundit spiritũ suũ, in cor eius, quò durities praui & mendacis cordis humani rũpatur. Quemadmodum in Eze. cap. 11. & 36. habes. Auferam (inquit dominus) cor lapideum de carne uestra, & dabo uobis cor carneum. Et cap. 36. Dabo uobis cor nouum, & spiritum nouũ ponam in medio uestri. Nimirum neq; infirmitas,

mitas, neq; fames, neq; gladius, neq; aliud quodcumq; flagellum, itidem neq; munus quodcumq; Dei externum, neq; scientia, neq; solicitudo, quidquã faciunt ad cor lapideum uel carneum, id est, ut quis induretur uel nõ, sed sola præsentia uel absentia spiritus sancti. Flagella psunt si adest spiritus Dei, alioqui in desperationem trahunt. Flagella illata impijs, possunt quidem externe cohibere, ne quis hoc aut illud faciat, animum cohibere nullatenus queunt. Hypocritas faciunt, nõ seruos Dei. Sic huius Prophetæ cap. præce. Minatur Israelitis à se fornicantibus, quod eorum filiæ ac sponsæ, sint fornicationibus & adulterijs polluendæ, quodq; non sit eas proinde cesurus, ut ab ipsis immundicijs, quæ in multam patrum & uirorum earundem ignominiam erant, uel externe cohiberentur. Data fuit hæc punitio à Domino, quæ impijs carnalium ex Israël adfectibus congrueret. Odiebant filiarum & uxorum pollutiones, tantũ coram hominibus. Alioqui omnem animi fornicationem detestati fuissent. Quia autem solam hominum confusionem metuebant, in id quod timebant æquissimo Dei iudicio inciderunt.

Sicut de induratione, ita & de seductione idem aberrat. Hiere. cap. 20. Ipse Hieremias pcußus à Phaßur, & mißus in neruum ob sermonem ueritatis, orãs Dominum, ait: Seduxisti me domine, & seductus sum, fortior me fuisti, & inualuisti. Factus sum in derisum tota die. Ille ait, seduxit Deus, cũ nõ statim ab errore reuocauit. Sed lõge aliter est capiẽdus hic locus. Nimirũ propheta,

cesus

cæsus & missus in neruum, & ut illic habes ab uniuersis ob sermonem propheticum derisus, abominatus est con temptum uerbi Dei, & simul forsan aliquid humanum passus, uoluit desistere à uerbo, & ultra non propheta= re, sed eum consolatus est dominus. Hæc habētur eo cap. 20. Porro antequam illum Deus consolaretur, ait illi. Se duxisti &c. Miserat eū dominus, & ille cōfidenter iuit, nesciens quod ob id tot præssuras esset perlaturus, quas ubi uidit, ait: Seduxisti me. Ac si diceret. Nō præmonuisti me, quod cædendus et in neruū mittendus essem, & quē misisti, ab his ad quos missus sum, capi uoluisti, cū ab eis seruare me posses. Summa, hæc uerba tria indicant, pri= mo dolorem Prophetæ pro contemptu ueritatis. Secun dò, terrorem eius pro subitis malis, in quæ nihil tale cre= dens inciderat. Tertio, quod à Deo fuerit captio eius.

Contendit ille, nostræ uoluntati uim neutiquam fieri, per id quod omnia in manu Dei sunt, quod negare non potest. Faceturq; Deum pro suo arcano consilio, hominū conatus alio uertere, quàm illi destinarant, sed ipsum co natū ad arbitriū hominis refert. Primum adsero, qđ per id maxime fit uis omni creatæ uoluntati, quod in manu Dei, eiusq; æterna uoluntate omnia posita sunt. Nam uo luntati eius quis resistit? Quid uoluntas Dei, nisi uerbū eius, et spiritus scripturæ? Verbū aūt domini manet inæ ternum. Psal. 118. Et Esa. 40. Quid ad fideles, quid scho= le adfinxerint, de signi uel beneplaciti uoluntate? Propo situm, uoluntatem, & decretum excelsi, manere necesse

est.

est. En quod ab æterno proposuit Deus, & iustissime quidem, ut induratus foret Aegypti Rex, uiueret scilicet in solo fornicationum spiritu, id est, naturali sensu absque spiritu sancto, quam ob causam ille non potuit non contradicere deo & populo eius. Nam adfectus carnis seu spiritus, legi Dei non subditur. Siquidem ne potest quidem. Rom. 8. Ligauerat eum in alis suis ipse spiritus, ut supra de Israelitis diximus, & suo impetu trahebat eum ad impia quæcunq;. Nonne fiebat uis eius uoluntati? fiebat certe, & erat ipsa induratio quasi frenum in naribus eius, & stimulus quo perurgebatur, ut conaretur in Deum. Iuste ueruntamē perijt, tametsi benefacere nequiuit. Si hic quæris argutias spiritus fornicationum, mox à Deo fornicaberis. Desine. Nimirum hic sermo est supra hominem. Pharao miser, & iniustus, iuste à Deo induratus, Deo adquiescere non potuit, & tandem æquissimo iudicio interijt.

Putant nonnulli, quod illum excitarit Deus cōtra se, sic intelligentes, quod peccata sua in illo operatus sit, dicuntq; deum, ita sua impia opera in nobis punire, quemadmodum sua pia in nobis coronat. Ego nihil tale scribere possum, quod à pietatis doctrina alienum esse non dubitem. Verum non dubito Pharaonem induratum, id est, relictum sibi ipsi, ob idq; animo Deo contradicentem, ab ipso Deo postmodum excitatum, ut impietatem quā ob indurationem in corde habebat, palam faceret externe, in gloriam suam. Neq; proinde impietatem in Pharaone

tione eum fecisse dicimus, quod non ab ipso, sed ab induratione & sensu, aut spiritu fornicario siue carnis, omnis impietas proficiscatur. O profunditatem inscrutabilem iudiciorum dei altissimi. Quis nouit hæc? Tua sunt hæc, ò deus, & ad te solum spectat, de his concludere, quod ea penetrare alius nemo possit. Proinde, ea tibi committet, quisquis timet admirabile nomen tuum.

Ex his facile conijcitur, quid dicendum ad eos, qui tribuunt conatum arbitrio hominis, illumq; ad eum liberum esse uolunt. Nimirum ipse conatus, aut est impius, & tum ab induratione proficiscitur, quæ cum ad impia cogit. Nam cum induratus non potest non impie agere, nonne cogitur ad impietatem? Durus est hic sermo carni, quæ nititur iactare, quòd libera sit. Sed quis aduersabitur æternis eloquijs Dei? Cogitur, non à Deo, sed ab induratione. Opus autem & iuditium Dei æquissimum, simul atque tremendum est ipsa induratio. Hic nihil potest Dialectice, quin potius est perniciosissima, qua facile concluderes, DEVM operari peccatum & omnem impietatem, quódque ad hæc cogat. Sed absit. Rectius enim dicimus, quòd hic latent profunda dei, quæ nullus capere præualet.

Quòd si hominis conatus pius est, est à spiritu sancto, à quo nihil impium ualet proficisci. Quid ergo tribuimus libertatem arbitrio nostro, modis omnibus, maxime seruo. Nam aut seruit spiritui fornicationum, aut spiritui DEI. Tametsi serui re ipsi spiritui sancto, est li

bertas suauissima, de qua paulò post congruo ordine trã ctabimus.

Paulus quoq; Roma. 9. eiusdem arbitrij captiuitatem asserens, concludit, dicens: Itaq; non est uolentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Quem locum sic quidam tractant. Praeuenit Dei misericordia uoluntatem nostrã, demum comitatur eandem in conando, datq; tandem felicem euentum. Et tamen, inquit, interim currimus, uolumus, assequimur, sic tamen, ut hoc ipsum, qđ nostrum est, adscribamus deo, cuius sumus toti. Quod est illud nostrum? Quid in nobis, nisi peccatum, impietas, & iniustitia? Si iusti sumus, hoc non est nostrum, sed Dei. Si nostrum est, quòd currimus, uolumus, assequimur, impium est. Nam uniuersa uanitas, omnis homo uiuens, Psal. 38. Si autem, quae nostra sunt, nempe peccata, asscribimus Deo, q̃ nos indurarit, nonne erramus?

Praeuenit indubie misericordia domini nostram uolũtatem, sed ut eam destruat. Suo namq; spiritu in nobis nos ipsos abnegat, nos quotidie crucifigit, in nobis uult, conatur, orat, currit, assequitur, et omnia facit, & tandem, qđ suum est in nobis, coronat. Etenim fidelium quisq; ait cũ Paulo Gala. 2. Viuo ego, iam non ego, uiuit autem in me CHRISTVS: Curro, & oro ego, iam non ego, sed haec & omnia reliqua in me Christus facit. Et haec omnia asscribenda sunt Deo, quod & illi dicunt. Nunc quaero, An sint illi adscribenda, quasi opera sua, sicut uere sunt, aut sicut opera nostra, procedentia à conatu arbitrij no-

trij nostri? Si primum, sanctum est, laudabileq; ac necessarium. Si secundum, tum iterum peto, an Deus indigeat, ut illi quicquam asscribamus, quod non sit omnino suum, non profecto. Credant, obsecro, ueritati. Domini est terra & plenitudo eius; ergo & homo, & quaecunq; in eo facit Deus. Ipsi ergo soli gloria & imperium in saecula seculorum, amen.

Contendunt illi: Vnde, inquiunt, sumes initium meritorum, ubi est perpetua necessitas, & nullatenus est libera uoluntas? Nos dicimus, omnia merita, solius Christi esse, nobisq; prorsus auferendam, omnium meritorum nostrorum ac operum fiduciam, quamuis semper instandum sit operibus uere bonis, nempe his, quae sunt ex fide. Siquidem merita nostra nulla sunt. Et Apocal. cap. 4. uiginti quatuor seniores ponunt coronas suas ante thronũ dei et agni, hoc facto pfitentes, q̃ eandem gloriae coronam, à Deo per Christi merita habeant. Neq; Cornelius ille Centurio assecutus est proprijs meritis aut operibus, ut illustraretur à Domino, sed gratia Dei, & beneficentia Christi. Neq; etiam Paulus assecutus est coronam, cursu cõsummato, nisi per eũ, per quem & ipsum cursum feliciter cõsummauit. Demum neq; ipse Cornelius fauorem Dei, neq; Paulus coronam, propria industria ambierunt, sed munere DEI, & illuminatione spiritus sancti, ac propter electionem.

Nono, Miror qui fiat, ut nonnulli tam firma sententia

pugnent aduersum tam apertos Dei eloquiorum textus, ut captiuum prorsus arbitrium hominis, liberum faciant. Et nos quoq; ipsam captiuitatem indies experimur. Et nostrum quisq; est sic in manu Dei, sicut lutum in manu figuli. Iccirco dicitur, Esa. 45. Veh, qui cōtradicit factori suo testa de samijs terræ. Nunquid dicet lutum figulo suo: Quid facis? Et opus tuum absq; manibus est. Et apertius Hierem. 18. Nunquid, sicut figulus iste, non potero facere uobis domus Israël? Ecce sicut lutum in manu figuli, sic uos in manu mea. Paulus quoq; Roman. 9. An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere, aliud quidem uas in honorem, aliud uero in contumeliam? Quæcunque autem caussa tum fuerit Prophetis, aut Paulo, hæc scribendi, certum est, simpliciter hoc uerissimū esse, quòd nō plus potest figulus in lutum, quàm Deus in hominem, imò in infinitum potentior est deus in hominē. Itidem certum est, q; sicut figulus facit uasa quędam in usum honoris, hoc est, ad uinum, cibos, aquā &c. Alia in usum ignominiæ, ut ad nōnulla male olentia cōgreganda: ita deus electos creauit in gloriam, reprobos autem in ignominiam sempiternam. Porrò, figulus uas rumpit & restaurat: facit magnū aut paruum, ut uult, et uas non potest resistere figulo, ut nō se fingat, qua ratione uoluerit: sic pfecto Deus agit erga hominem. Indurat, & ab induratiōe liberat. Et quā diu homo est induratus, uas est ignominiæ plenum, liberatus autem ab induratione, & suscipiens cor nouum, gloriæ uas efficitur. Sed ne

que

que uolentis, neq; currentis est hoc, sed miserentis Dei·

Opponunt illi, Paulus dicit·2·Tim·2· Si quis se emūdauerit ab istis, erit uas in honorē sanctificatū, utile domino ad omne opus bonū paratū· Hoc stulte diceretur matulæ saniæ, sed nō testæ rationali· Placet hoc, uerum, qd' subiūgunt, placere nō potest· Testa, inquiunt, rationalis admonita, potest seipsam accōmodare ad uoluntatē domini· Et hoc uocant liberi arbitrij conatū· Ego firmiter assero, nullum omnino hominē, quantūlibet acri ingenio, & multa eruditiōe, etiā horatim admonitū, posse seipsum accōmodare ad uoluntatē domini, nisi acceperit spiritū Christi, q illū ad ipsam dei uoluntatē accōmodet & pmptū faciat·

Dicunt item, Si ita dicis simpliciter, nos esse in manu dei, sicut lutum in manu figuli, ita quemadmodum soli figulo, non uasi contumeliæ imputabitur, q illum non fecerit in gloriam, ita ipsi Deo, non reprobis ipsis imputabitur, quòd sint uasa iræ in contumeliam · Propterea iniuste, & absq; eo, quòd aliquid commeruerit, conijcitur in ignē æternum· Respondemus, carnis hæc esse argumēta, quæ ex præmissis nō intellectis cōcludere audet· Hic cō plura latent, ad quæ peruenire non possumus· Vtile ergo fuerit, non inquirere ista profundius, sed ea etiam non cognita uenerari·

Adijciunt quoq;: Qui uolunt hanc de figulo similitudinem, simpliciter accipi, permittant & nobis simpliciter hunc Pauli locum: Si quis se emundauerit &c. Quod & facimus, modo eum capiant ea ratione, qua & omnes

eiusmodi scripturæ loci capiuntur. Ad id obseruandum omne dei præceptum, impossibile homini esse, nisi assit spiritus sanctus. Quod neque Sophistæ abnegarunt, dicentes, impossibile esse,, ut Dei præcepta quispiam seruet, secundum intentionẽ ipsius Dei, præcipientis, absq; spiritu suo. Quicquid ergo nobis præcipit Deus, nobis est impossibile. Vult tamen deus, ut ipsa præcepta seruemus, per quæ est cognitio peccati, & quàm nihil à nobis possimus. Spiritualis quippe est Lex, & nõ nisi per dei spiritum seruari potest. Et ideo spiritum suum tribuit electis, ut eam seruent, quod alioqui nunquam facere poßent. Sic Iac. 4. iubet dominus: Purificate corda uestra, duplices animo. Sed non nisi fide in Christum à spiritu sancto cor purificatur, Act. 15. Fide purificans corda eorum. Sic autem capitur hoc præceptum, Purificate corda &c. id est, credite in CHRISTVM, ut eius spiritu purificemini. Verum nullus credere potest, nisi tractus à patre, Ioan. 6. Quod nos profiteri necesse est. Desyderemus, ut deus in nobis seruet mandata sua, quæ à nobis seruare nõ possumus. Postulemus id multa diligentia & fide, & nõ abnegabitur nobis. Sed uide, quàm uere captiuum sit arbitrium nostrum, q; neq; idipsum desyderare, aut à deo precari ex fide ualemus.

Dicent autem: Nunquid falsa est hæc locutio, de sanctis & ueris fidelibus? Illi purificarunt aut emundauerunt corda sua, & sanctificauerunt se. Illi amarunt deũ, illi bene orarunt, & alia iuste operati sunt, &c. Vera

sunt

sunt istæ locutiones, modo præsupponatur ex spiritu & fide, ut hæc omnia ipsius spiritus esse, fateamur, à quo et uere sunt. Nemo quippe nostrum, negat hominem operari, sed dicimus, quòd non propria libertate operetur. Nam aut malum operatur, tractus ac uinctus à spiritu fornicationum: aut bonum, per spiritum & dexteram excelsi. Accipe similitudinem, utcunq; proposito aptam. Habet quispiam cultellum, & panem eo scindit, scindit & cultellus ipse, sed non absq; alicuius se tenentis manu. Nõ enim est liber ad scindendum. Et tamen dum quis eo utitur, dicit quandóq;: Hic cultellus bene aut male scindit, tametsi à seipso nihil scindere possit. Sic pfecto est de nobis. Nihil enim à nobis poßumus facere, qd' rectũ sit, nisi spiritus dei id in nobis operetur. Malũ etiã nihil admittimus, nisi uincti à fornicario carnis spiritu & sensu, cui deus equiss. iudicio, tametsi nobis omnino incognito, nos deserit, & sic nos indurari sinit. Hoc loco admonendi sunt fideles, ut uitent quorundam pestiferum dogma, adserentium quòd quisq; efficitur uas, aut in gloriam, aut in contumeliam, ex meritis præcedentibus. Quid enim præcedere ualuit decretum Altißimi, quod æternum est? Si dicis, quòd deus hæc decreuit in æternitate ex his, quæ præsciuit unumquemq; facturum in tempore. Dicimus, quòd nihil temporaneum, potest esse caussa æterni. Esset quoq; iniuria DEO, ut diceretur cogi aliquid in æternitate decernere, ob ea quæ in tempore sunt. Vere sola dignatione, & gratia DEI electi prædestinati sunt,

ut fierent in tempore uasa in gloriam. Cuius æquißimo iudicio, nobis omnino incognito, reprobi fiũt in tempore uasa in contumeliam. Mirabilis deus in iudicijs suis.

Decimo, roboratur captiuitas arbitrij nostri ex eo, qđ dicitur Esa. 10. Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea: aut exaltabitur serra contra eum, à quo trahitur? Quomodo si eleuetur uirga contra eleuantem se, & exaltetur baculus, qui utique lignum est. Ecce, quòd Deus uocat impium Regem, securim, serram, uirgam, baculum, quibus homo aliquid agere consueuit, ut palàm fiat, quòd DEVS facit omnes homines instrumenta sua, & per eos implet iudicia sua, ac quæcunq; uult, operatur, Et uere homo non est aliud, quàm instrumentum Dei operantis.

Vndecimo, ad idem facit illud Rom. 9. Nondum natis pueris (Iacob & Esau) cum neque boni quippiam fecissent, neq; mali, ut secundũ electionem propositum dei maneret, non ex operibus, sed ex uocante deo dictum est (Gen. 25) Maior seruiet minori. Sicut scriptũ est (Malac. 1.) Iacob dilexi, Esau uero odiò habui. Liquet autem, ꝙ odiuit ab æterno Esau impietatem, & filios eius, id est, eos, qui illius incredulitatem secuti sunt. Dilexit autem Iacob & semen eius, id est, eos qui illius fidem sequuti sunt. Non enim possunt hæc accipi de solis filijs utriusq; secundum carnem. Nam quemadmodum non omnes Israelitæ, in semine Iacob supputantur, sed tantum, qui fidem habent (Roman. 9. ita non omnes Idumæi fuerunt Esau filij,

filij, ſed qui Eſau impietatem ſequuti ſunt. Omnis ſiquidē incredulus, ſiue Idumæus, ſiue Iſraelita, ſiue Græcus, ſiue Barbarus, in ſemine Eſau ſupputatur. E diuerſo, omnis fidelis, ſiue Iſraelita, ſiue Idumæus, ſiue Gallus, ſiue Germanus, habetur in ſemine Iacob. Sed de his plenius apud Abdiam & Malachiam, ubi, præcipue in Malachia, dictum locum, Iacob dilexi, &c. domino uolente, enarrabimus. Ideo hoc loco huius tantum meminiſſe ſufficiat.

promittit in Abdiā & Malachiam

Duodecimo, idem maxime confirmant hæc Seruatoris dicta, Ioan. 6. Nemo poteſt poſt me uenire (in me credere) niſi pater qui me miſit, traxerit eum. Nonne captiuum eſt arbitrium noſtrum, dum non poteſt, niſi à patre tractum, in Chriſtum credere? Et Ioan. 15. Sine me nihil poteſtis facere. Quem locum dum Apoſtolis Chriſtus dixit, tametſi loquebatur de fructu Euangelij, ſe uitem, et in ſe credentes palmites uocans, tamen generali ſententia id dixit: Sine me nihil poteſtis facere, id eſt, nullum omnino fructum bonum, quod eſt bonum opus. Solum autē illud opus eſt bonum, quod eſt ex fide, alioqui malum opus & peccatum eſt. Roman. 14. Nam quemadmodū à fide eſt bonitas operis, ita ab incredulitate eſt peruerſitas eius. At ſola quæ ſunt ex fide, ꝓſunt ad æternam ſalutem. Quæ cum à nobis facere nō poſſumus, & nec quidē incipere, proſequi, conari aut perficere, cōſtat, arbitriū noſtrum nullatenus eſſe liberum, ſed magis uinctum, captiuum, ſeruumq́; ac omni libertate priuatum.

Arguunt quidam: Nihil facimus sine CHRISTO, sed ubi ille mittit spiritum suum, aut consentimus illi, aut ab eo dissentimus. Nostrum est, quòd acquiescimus, & conamur. Suggerit, ut oremus, resipiscamus, eleemosynas egenis largiamur, & id genus similia. Nos autem illi acquiescere ualemus, quòd libera sit nostra uoluntas, ut uelit aut nolit, quod à Deo suggeritur. Si hæc ita se habent, falsum est, quod CHRISTVS ait: Sine me &c. Nam sine illo tum posses conari, & acquiescere pietati. Quid plus faceret, Deus interne docens, quàm homo externe sermonem pronuncians? Nunciat quispiam ueritatem dei, cui si uera sunt istæc, acquiescere potest homo alius, & à seipso conari, ut impleat, qđ dicitur. O errorem, ò execrabilem hæresim.

Sic profecto habet res. Suggerit deus, quæ uult, uerum illi nemo acquiescere potest, nisi ad id spiritum acceperit ab ipso deo. Neq; potest conari uel ad minimũ quiddam, nisi conatum ipsum in eo Christus operetur. Conamur ergo, & deo acquiescimus, nõ nostri arbitrij libertate, sed Dei spiritu hæc in nobis misericorditer operante, & nobis proinde atq; instrumento utẽte ad conandum, obediendum, orandum, sobrie & caste uiuendum, ac reliqua id genus faciendum.

Obijciunt adhuc, Si uniuersa in nobis facit deus per spiritum suum, in nobisq; uult, orat, dat, meditatur, operatur, loquitur, quid conamur, quid pro uarijs tam solliciti sumus? Et ut reliqua nunc præteream, cur se præparat

Euange=

Euangelistæ, ad sacras conciones, maxime cum scriptum sit. Dum fueritis ante Reges & Præsides, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Non enim uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri qui loquitur in uobis. His paucis respondemus, quod quisquis conatur, aut pro uarijs solicitus est, aut præmeditatur quid dicturus est in negocio CHRISTI, id facit, aut ex fide syncera in solum Deum, & tũ est opus spiritus sancti, aut absq; eadem fide, & cum fiducia propriæ uirtutis ac solicitudinis, & tum est opus sensus carnis. Primum facit homo uinctus & tractus à spiritu Dei: Secundum uero, tractus & ligatus in alis spiritus fornicationum. Vbi nunc est libertas? Nam primum non potes sine spiritu Dei, secundum non facere non potes. Nam impoßibile est, ut uincas à teipso fornicarium spiritũ, te trahentem. Constat ex his, nihil minus q̃ liberum eße arbitrium nostrũ. Verum quod ad ministros Regni Christi spectat, non peccant dum præmeditantur, quid sint dicturi, modo non eorum solicitudini, sed soli Dei bonitati ac promißioni fidant.

Super eo quod ex Iohan. cap. 6. allegauimus. Nemo potest post me uenire, nisi pater meus traxerit eum. Putat quidam hunc tractum non esse uiolentum, id est, efficacem, ut non poßis nolle, ad quod traheris, sed tamẽ facit ut uelis, quod tamen potes nolle, quemadmodum si quis ostendat puero malum, & adcurrat, aut oui ramũ salicis uirentem, & sequatur. Ita, inquit, animum nostrũ pulsat

Deus

Deus, nobis autem liberum est, nolle aut uelle. Ego impiam, & hæreticam sentio eiusmodi enarrationem, cuius solutio ex nonnullis præcedētibus plana est. Talis est hic tractus, ut fieri non possit, quin trahentem sequaris. Nimirum omnis tractus & eruditus à patre, uenit ad Christum Iohan. 6. Dum enim traheris, adligatur per Christi spiritum, reprobus fornicationum spiritus, ne in te quidquam possit, in eo ad quod ab ipso spiritu traheris, qui in te regnat. At quamdiu in te regnat idem spiritus, fornicarius ille principari nō potest. Necessario enim locum maiori dedit. Proinde te libere utitur ipse spiritus, & in te obseruat præcepta Dei Altißimi. Tu autem non potes non currere, post te trahentem, in his ad quæ ipse spiritus uult, ut sequaris eum, quod in te frenum adposuerit spiritum fornicationum, qui solus te impediebat, ne deo adquiesceres. Trahimur ergo à Deo, et currimus necessario post nos trahentem. Nonne fortis est Deus, ut post se efficaciter trahere possit? Quod si quis putat se tractum, & non currit, nihil minus quàm tractus fuit. Trahit Christus passus ad se omnes. Quos omnes? filios Israël, id est, electos, pro quibus solis missus est. Ipsorum enim tantum est mundi hæreditas per Christum, ut liquet ex Paulo Rom. 4. Hi autem tracti, mox ad Christum properant, nec aliud possunt, Christi spiritu in eis principante. Quamuis enim electi peccent nonnunquam ex infirmitate, & in eis concupiscentia non sit extincta, uiuunt tamen ex uirtute Dei, qua ipsum peccatum odiunt, quo

sit

sit ut non illis imputetur· Caro concupiscit aduersus spiritum, etiam in eis, uerum non regnat, sed subiecta est spiritui principanti, ut non tyranniset· Spiritus quippe dei carnem ligat, & facit ut peccata, quæ hi in quibus habitat nonnunquam perpetrant, ipsis placere nō possint· Odiunt ipsa eorum facta animo, & ipsum odium à spiritu dei est· Non potest unquam peccare homo ex spiritu, nec quidquam pie operari ex carne· Spiritus namq; aut sensus Christi, & spiritus aut sensus hominis, sunt contraria facta· Is cui toto corde adquiescis, in te regnat· Adquiescis uni, dum credis, ac ex fide ac secundum uerbum domini operaris, alteri uero dum incredulus es, & mortiferos infidelitatis fructus profers, id est, opera contra uerbum Dei, & non ex fide· Nondum est extincta in electis iuuentibus caro, sed indies crucifigitur, & mortificatur ob cælestis spiritus præsentiam, q̧ est eam unctā, infrenatam, subiectamq; tenere· Potest quidem ipse spiritus, in uniuersis trahere te, & uim carnis prorsus extinguere, sed aliud uisum est illi, indubie quod ita melius sit, ad gloriam suam, & electorum bonum, quidquid aliter, spiritus fornicationum iudicet· Putant nōnulli, quod huius rei possint adsequi causas, sed uere, quemadmodū supra de Israelitis dictum est, ipse fornicarius spiritus decepit, et ligauit eos in alis suis· Quidquid enim dixerint, minus est quàm res ipsa habeat· Aliquid, inquiunt, adhuc permittitur carni, ut humilieris· Scio quod nos humiles esse opus sit, uerum non ob id recte dicitur, quod caro

nondum

nondũ prorsus extinguatur in electis, ut humiliores sint. Nimirum à dei spiritu est uera humilitas. Et electi non nihil retinentur à carne, ne tam humiles sint. Quod si caro prorsus esset extincta, nunquam superbia aut alia peccata, sed uera humilitas, perfectaq; iustitia in nobis essent. Solus Deus nouit mysterium hoc, & cui ipse uoluit reuelare. Reuelabit autem hoc electis oportune, in eorũ maximam gloriam, & agnoscemus quàm magna & superadmirabilia sint iudicia eius.

Adsumunt deinde illi, Sponsæ dictum, Trahe me post te. Et quod Adolescentulæ subiungunt, Curremus: Canti. 1. Arbitranturq; id aliquid facere, ad adseuerandam nostri captiui arbitrij confictam libertatem, dicentes, eundem cursum, proficisci à proprio conatu, quo mox uolunt currere post se trahentem. Sed uere hæc maxime probant, eiusdem arbitrij miserabilem seruitutem, ut ex his quæ apud ipsa Cantica, & in præcedẽtibus diximus, palam est cernere.

Tertiodecimo, idem probatur. 2. Corin. 3. Non quod sufficientes, ait, simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed omnis nostra sufficientia ex Deo est. Hunc textum, & alios plerosq;, libe. arbit. adsertores, exponunt per potest, dicentes. Potest sic aut sic intelligi, aut in hoc sensu est uerum &c. Nos sensus uarios, & impossibiles nolumus, sed germanũ & simplicem optamus. Nam quo simplicior, eò syncerior est. Vere nihil à nobis, Deo gratum cogitare ualemus. At dices. Profiteor,

quod

quod nihil tale à nobis cogitare poßumus, neque etiam perficere, sed uelle & adquiescere ei, qui nobis bonas cogitationes immittit, omnino ualemus, sicut Paulus ait. Roma. 7. Velle mihi adiacet, perficere autem non inuenio. Dicimus hæc nihil obsistere, sic enim capitur hic textus. Velle mihi adiacet (per dei spiritum) perficere autem non inuenio. Quoniam ipsam uoluntatem quàm tribuit Deus, nemo perficit, nisi ad eam perficiendam donet spiritum, qui ipsam uoluntatem immisit. Aperte autem Phili. 2. docet ipsam uoluntatem, à deo eße dicens. Deus operatur in nobis & uelle & perficere. Quod si à nobis bonum uelle non possumus, certe liberi neutiquã sumus, ut quiduis nolle aut uelle possimus. Semper tamen isti inculcant: Non proinde nostrum arbitrium, non est liberum. Si quæris, propter quid, aiunt. Quia uoluntas hominis agit cum spiritu dei. Tametsi hoc uocabulo minime utuntur, sed dicunt. Agit cum agente gratia. Putant gratiam habitum esse, quæ nihil aliud, quàm fauor est. Siquidem is solus habet Dei gratiam, aut in eo est ipsa gratia, qui est illi gratus, & cui Deus fauet. Ego non cupio gratiam, quæ sit habitus, quia talis nulla est, cupio tamen dona quæ sunt à gratia Dei, id est, illa quæ idcirco electis dare consueuit, quod primum pro summa bonitate sua, illis faueat, & sint ei adcepti ac grati. Summa, ille Dei gratiam habet, cui ille fauet, & qui illi placet, ac gratus, adceptúsque est.

Rectius

Rectius ergò dicitur, uoluntas hominis agit cum agente spiritu, quàm cum agente gratia, cui sententiæ, & nos adquiescimus. Agimus enim, sed non libere, libertate propria, sed libertate spiritus sancti, quæ filiorum Dei libertas nuncupatur ad quam ducimur ab ipso spiritu, postea quam nos traxit. Sed quid est, quod sancti dicuntur, multa fecisse, & ipsi idem dicunt, quod prædicarint, orarint, laborauerint &c. Alibi autem dicunt, quod Deus omnia fecerit? Sic .1. Corin.15. Copiosius quàm illi omnes laboraui, non tamen ego, sed gratia Dei, quæ mihi adest, hoc est, Deus qui me gratum habere dignatur, hæc in me operatus est. Respondemus primum, quod Deus uere hæc omnia facit, deinde electos suos, fideles, sanctos, & multa bona facere ait, quod illis ad sua opera quasi instrumentis utatur. Scindo panem cultello, et aio. Bene scindit hic cultellus. Sic de nobis ait dominus. Et si cultellus loqui posset, recte diceret. Scindo panem. Sic et sancti dicunt. Laborauimus &c. Norunt tamen se non nisi instrumenta esse, Dei operantis. Quod autem Deus nos dicit aliquid operari, est summæ bonitatis eius, qui nobis tametsi non nisi instrumenta eius sumus, quæ per nos facit, nobis attribuit.

Dicit quidam, quod in diuinis literis, sæpe inculcatur, quod omne bonum sit à Deo, quod omnia operetur, secundum æternæ uoluntatis suæ consilium, quod ab eo sit omnis nostra sufficientia, quod nihil habemus, quod non adceperimus, & id genus multa, ut nobis adimat

[illegible] fiduciam nostri, atq; arrogantiam. Huic dicimus quod deus neutiquam mentitur, ut nobis hæc adimat, sed quæ uere est, ita simplicissime, sicut ipsa sacrosancta eloquia habent, uult ne quid omnino nobis arrogemus, sed omnia illi, & ut nos esse illius instrumenta, uere & humiliter profiteamur. Sic testes Christi, dicuntur non loqui, sed spiritus patris eorum. Matth. 10. Dicuntur non loqui, q. ueritatem à se loqui non possint, spiritus autem uere loquitur in eis, uoluntate & ore eorum (quæ plasmauit) instrumento, quo palàm faciat uoluntatem suam aptissimo, utens. Sic loquebatur in Stephano, & nemo resistere poterat. Acto. 6. Sic quoq; uiuebat & agebat Christus in Paulo, & ille per Christũ uiuebat & operabatur. Gala. 2. Itidem Christus uiuit in iusto, id est, fideli, & ille uiuit ex fide per Christũ, Abac. 2. Ro. 1 & Heb. 10.

Miror autem, quo spiritu isdem adiecit: Non uult Deus, ut quicquam nobis adscribamus, etiam si quid esset, quod merito nobis asscribere possemus. Putat deum tantum in faciem præcepisse. Lu. 17. Cũ omnia benefeceritis, dicite: Serui inutiles sumus. Primum respodemus, Deũ non esse inuidum, proindeq; si nobis quicquam iuste adscribere possemus, nollet nobis non asscribi. Veritatem namq; diligit, psalm. 50. Et id quod uere sumus, nempe instrumenta sua, uult ut nos esse confiteamur. Præcipit autem illud: Cum omnia benefeceritis &c. non in fictione, sed in ueritate. Quia enim serui dei bene operantes, non sunt aliud, quàm instrumenta dei, eadem bona in

eis operantis, uult nihil omnino sibi arrogent, præterquã id, quod sunt, nempe instrumenta. Ideo iubet, ut uere & idem toto corde sentientes, dicamus: Serui inutiles sumus. Qu. d. sumus creaturæ tuæ, & tuorum operũ instrumenta. Seruimus tibi, sed non nostra uirtute. Nã id quod seruimus, tu in nobis tuo amabili spiritu facis. Quam ob causam, tibi soli pro omnibus, quæ per tuum spiritum facimus, gloriam damus, scientes, quòd à nobis serui inutiles sumus, quòd neque etiam uel minimum quiddam recte operari ualeamus. Quod si quis non ita sentit, dum asserit, facit Deum mendacem, inuidum, & præcipientem, ut in hypocrisi ambulemus, dicentes, ut hypocritæ quidã superbissimi: Sum miser peccator, indignus, ut suspiciam cælos: sum seruus Dei minimus. Cæteris cunctis, grauius peccaui. Talia autem maxime dicunt, cum laudantur, ne ipsas laudes amare uideantur. Et tamen nihil plus amant. Hi subscribunt se humiles, pastores gregis dominici, cum sint lupi rapacissimi. Et Antichristus se dicit seruum seruorum Dei, cum sit eorum sæuissimus atq; ipsissimus hostis & tyrannus.

Ad hæc ille: Qui se uocant seruos inutiles, Deus appellat filios suos, atq; hi ipsi, qui se nunc prædicant seruos inutiles, audient à Domino: Venite benedicti &c. dicimus, quòd non hi, qui se tales uocant ac prædicant, sed qui se tales uero esse agnoscunt, & ubi Dei gloria cogit, idem profitentur, filij Dei sunt, & in iudicio in electorum sortem uocabuntur. Nimirum, non omnis, qui dicit Christo: Domine,

Domine, Domine, introibit in gloriam eius. Demum iuſſio præſcripta: Dicite, quia ſerui &c. de cordis ſententia maxime capitur. Nam externa eiuſmodi uerborum prolatio, raro quicquàm prodeſt, niſi ad hypocriſim fouendam. Nam ſunt complures ſe nequiter humiliantes, quorum interiora plena ſunt dolo. Ergo corde id dicendum eſt, etiam ab impolluta Dei Genitrice, & angelis ſanctis. Serui inutiles ſumus. Contendit iterum: Chriſtum non dixiſſe, Cum omnia beneſeceritis, uos meo fauore indignos iudicabo, & pro ſeruis inutilibus habebo. Sed dicite, inquit, ſerui inutiles ſumus. Primum dicimus, Chriſtum eſſe ueritatem, & deteſtari omne mendacium, ideoq́ nunquam fieri poſſe, ut aliud ore docuerit, aut præceperit, quàm corde ſentiret, quod certe feciſſet, ſi non iudicaſſet illos indignos gratia ſua, & pro ſeruis inutilibus habuiſſet, ſicut illis præceperat, ut ſe pro talib. haberēt. Non in ueritate, quicquid nitamur ſiue conemur, à nobis indigni gratia Dei, & illius ſerui inutiles ſumus, & pro talibus habuit ſemper omnes ſanctos à principio, etiam uirginem glorioſam, & angelos beatos. Quid enim poſſunt opera noſtra ad adſequendam gratiam Dei? Nonne Chriſtus ſolus omnibus electis, quos ſibi dedit Pater ſummus, promeruit gratiam? Promeruit certe. Sophiſtæ quoque ſentiunt, quod ipſe ſolus poſſit nobis mereri gratiam primam. Nos ignoramus ſecundam, quòd non niſi una ſit. Vna eſt gratia, id eſt, fauor dei, quam CHRISTVS primum accepit, & nos

deniq; p eũ plenitudinis eius facti ex fide participes. Io. 1.

Cum ergo dominus ait: Cum omnia benefeceritis &c. non fuit aliud atq; dixisset. Si quid unquam boni facitis, à me est. Nam mea estis instrumenta ad opera eiusmodi. Nimirum à uobis nihil potestis, & nullo opere uestro potestis gratiã meam cõsequi, q̃ uobis serui prorsus inutiles sitis, q̃d uolo ut toto corde profiteamini, & ita secundum ipsissimam ueritatem de uobis sentiatis. Adbuc instat sic: Tutius est, totum transcribere domino, qui benignus est nec solum reddet nobis, quod nostrum est, sed etiam quod ipsius est, iubebit esse nostrum. Respondeo: Nostra sunt peccata & errores, ac fornicationũ spiritus, quæ à se auferri, nõ eis reddi, electi cõcupiscunt. Iubet quidem, quæ ipsius sunt, eße nostra, sed sub eo, ideoq; illi totũ transcribere, necesse est. Porrò quæ nostra sunt, peccata scilicet, non Domino, sed nobis sunt aßcribenda.

Subnectit contrà, de filio prodigo multa, sed id maxime: Si nihil, ait, habemus in manu nostra, quomodo suæ substantiæ portionem dicitur prodegiße? Dicimus, q̃ Deus Opt. Maxi. quæ sua sunt, nostra facit, sed non aliter, quàm sub eo, id est, ut eis utamur iudicio spiritus sui, & secundum uerbum eius. At non sic prodigus ille, sed quod suum fecerat noluit sub Deo habere, quinpotius ab Ecclesiæ & fidei eius domo abscessit, & per fornicarum spiritum, quicquid à DEO acceperat, quod eo loco suæ substantiæ portio dicitur, in suam perniciem dissipauit.

Paulus

Paulus 1. Corinth. 15 ait: Gratia (id est, per gratiam) Dei sum id, quod sum. Et gratia Dei in me uacua non fuit, id est, non frustra suscepit me ille in gratiam suam, qua si diceret: Accepta eius gratia, sibi grata operatus sum. Et sapientiæ ille concionator Sapien. 9. optat sibi assistere diuinam sapientiam, quæ secum sit, & secum laboret. Ex his arguit isdem, Ecce, quòd Paulus & sapiens ille fatentur Dei opus, itidem & laborem suum. Putatq; idē esse, quemadmodum cum Architectus ministrum in omni opere dirigit, & ille se dirigenti paret. Sed longe aliter habet res. Nam Architectus non principatur ministri uoluntati, ut possit eundem compellere. Deus autem uniuersorum moderator & dominus est. Neq; etiā ipsi Architecto paret minister, sicut oportet, nisi illius uoluntatem ad id primum deus inclinarit. Indubie Paulus & alij serui dei operati sunt, & recte quidem, sed non nisi per spiritum Dei, & accepto fauore eius. Sapientia autem siue spiritus Dei, sic cum eis fuit & laborauit, ut illo absente, nihil omnino tale facere possent. Sic namq; à for[illegible]ario spiritu captiua & ligata est hominis uoluntas, ut nisi ab eo libera fiat per Dei spiritum, non nisi impia agere possit. Hæc responsio sat omnino est, ut elidatur quod subnectit, neminem auxiliari, nisi aliquid agenti, & [illegible] queq;. Præsupponunt namq; hæc, quod negemus hominem aliquid operari, quod non dicimus, tametsi libertatem operum suorum abnegamus.

Addit ille: Si ita est, nullus erit meritis locus. Vbi au-

tem non est locus meritis, ibi neq; supplicijs neq; premijs locus erit. Huic obiectioni paucis respondemus, quòd malis nostris meritis locus est, ergo & supplicijs. Caeterum bona merita nulla habemus, praeterquàm merita solius CHRISTI, quae nobis in ipsum credentibus communia fiunt. Proinde, etiam premijs nobis locus erit per Christum.

Ex praescriptis dei eloquiorum testimonijs, alijsq; innumeris, liquet hominis arbitrium, esse modis omnibus maxime seruum. Tantum abest, ut liberũ sit, aut recte dici possit.

IN QVO IPSVM ARBITRIVM hominis, sic fiat liberum, ut tamen semper maneat captiuum, uerũ feliciter.

Ioan. 8. dominus ait: Si filius uos liberauerit, uere liberi eritis. Sed à quo liberat filius ipse? A fornicario & crudeli hominis sensu ac iudicio, atq; omnib. quae ab illo sunt. Liberat autem solos seruos suos, sic tamen, ut semper eos uelit esse subiectos. Cui? sibi soli, & alijs omnibus propter eum. Liberi prorsus fiunt ab externis omnibus, quae uel in pilo praepediunt, ne quis toto pectore se dedat eius sacratissimis institutis obseruandis. Haec est libertas omniũ filiorum dei, id est, fidelium, qui soli filij dei sunt. Haec est mutatio dexterae excelsi, qua fit, ut homo detestetur fornicationum spiritum, & quaecunq; ab illo sunt, nempe uniuersa hominum figmenta, traditiones, decreta, & omnia prorsus, quae uel in digitulo dei sermonibus non consentiunt.

Ea etiam fit, ut homo non quærat, quæ sua sunt, sed quæ IESV Christi & proximorum.

Liquet ergo, fideles seruos & liberos esse: liberos ab omnib. quæ impediunt à uerbo dei: seruos aūt oīm secundum idem uerbum. Hinc dicitur, Rom. 6. Liberati à peccato, serui autem facti Deo. Itidem. 1. Corinth. 7. Qui in domino uocatus est seruus, libertus est Domini. Et. 2. Corin. 3. Vbi spiritus domini, ibi libertas. Item Gal. 3. Nō sumus ancillæ filij, sed liberæ, qua libertate Christus suos liberauit. Rursumq;. 1. Pe. 2. Quasi liberi, non quasi uelamen habentes maliciæ, libertatem, sed sicut serui Dei.

In eis, qui ex fide hanc necessariam libertatē per Christum sunt aßecuti. Impletum est illud Ezech. 36. Auferā cor lapideum (induratum, hoc est, fornicationū spiritū) ab eis: & immittam eis cor carneum, hoc est, mentem tractabilem, & dei imperio promptissime acquiescentem. Quam sententiam, abnegantes arbitrij captiuitatem, putant haud secus esse, atq; si discipulo solœcissanti, præceptor diceret: Eximam tibi linguam barbaricam, & inseram Romanam, interim ueruntamen à discipulo requiritur industria & prompta uoluntas, qua præceptori docenti intendat & adquiescat. Dicimus, q. omnia eiusmodi exempla claudicant in duob. Primo, q. præceptor non potest immutare nec trahere pro arbitrio uoluntatem discipuli, nec quispiam hominum uoluntatem alterius. Secundo, quòd præceptor multoties docet discipulum, sed absque fructu & inutiliter, Deus autem nunquam

frustra aufert lapideum cor, & immittit carneum·Nam hominis uoluntatem pro arbitrio mutare potest· Demum ut hæc in nobis operetur, non requiritur industria nostra· Nimirum nostra industria nihil proficimus, quã q̃ à Deo indies magis fornicamur, & induramur·Ab electis quippe, deus aufert prudentiæ carnis industriam, et industriam sui spiritus misericorditer infundit·

Opponunt illi, quod habetur Ezech· 18 · Proijcite à uobis omnes iniquitates uestras, in quibus præuaricati estis, & facite uobis cor nouum, & spiritum nouum· Ecce, inquiũt, is locus propriã requirit industriam·Sed uere nihil minus· Requirit indubie, ut operemur, uerum non propria industria, sed industria spiritus sui· Porro hoc Dei præceptum, & omnia reliqua, nobis impossibilia sunt, nisi adsit spiriuus Christi, qui ea nobis poßibilia faciat, sicut alijs locis abunde probauimus·Sanè, quod iubet, uult à nobis non nostro fornicario spiritu, sed suo custodiri· Enimuero nisi suo spiritu eadem præcepta à quopiam ualent obseruari·Nam quis potest, sua industria à se proijcere iniquitates assuetas, & innouare seu mutare cor, id est, uoluntatem· Nimirum hoc solius dei est·Proinde Hierem·13·Israelitis ait dominus: Si mutare potest Aethiops pellem suẽ, aut pardus uarietates suas, & uos poteritis benefacere, cum didiceritis malum·Quo textu apertissime ostenditur, quòd homo arbitrio suo nihil potest ad cordis innouationem, neq; ad alia, quæ sunt ad æternam salutem·

Instant adhuc libertatis huius mendacissimæ asserto-ros, imponentes nobis, q̃ sic perperam enarremus scri-pturas· Facite uobis cor nouum, id est, gratia faciat uo-bis cor nouum · Ad quod uelis, extende manum, id est, gratia extendat manum tuam, ad quod ipsa uelit · Omnis qui habet hanc spem, in eo sanctificat se, id est, gratia san ctificat ipsum· Abijciamus opera tenebrarum, id est, gratia abijciat· Quis, obsecro, ut de reliquis sileam, me i-ta enarrasse audiuit, aut legit? Quis eiusmodi impostori bus, de nobis obloquentibus credet, ubi tam aperto menda cio talia de nobis scribere non uerentur? Sic, sic dictos lo cos interpretamur· Facite uobis cor nouum, per dei spi ritum· Nam quis potest facere cor nouum sine spiritu Dei? Nimirum mendaci spiritu nostro, non nisi sem-per impurius fieri potest cor nostrum, tantum abest, ut eo possit renouari· Item illud: Ad quod uelis extende-manum, id est, aut bonum uelis spiritus uoluntate & acti one: aut malum spiritu fornicario & sensu carnis· Et ali-ud: Sanctificat se, spiritu Christi, non proprio fallaci· Et rursum: Abijciamus opera tenebrarum, per spiritũ dei, quod proprio neutiquam facere ualemus·

Nemo quippe nostrum dicit, q̃ Deus præcipiat gra-tię, quę non nisi fauor Dei est· Alioqui, quid aliud esset, quàm dicere, q̃ Deus præcipit sibi ipsi? Quod certe di-ceremus, si ita enarraremus scripturas, sicut illi nobis ĩ ponũt· Nam dicere, Gratia extẽdat, faciat, abijciat, quid nisi preceptum est· Desinant tandem, sic impie loqui, &

cunctis palàm facere sui pectoris malignitatem. Quid nituntur subobscurare gratiam dei, & benignitatem Seruatoris nostri IESV Christi? Quid deniq; tantum tribuūt humanis uiribus, quæ nihil ex se possunt, nisi fornicari à domino. Et id quidē non libere, sed fornicationum spiritu sic impellente, ut non possint non ab eo fornicari. Si tam illis arridet infelicissima illa (quæ uere nulla est) arbitrij libertas, ditescant, & salui fiant (quod fieri nunquā potest) per eam. Nos ipsam libertatem perinde atq; stercus uilissimum arbitramur, certissimi, q. nihil omnino aliud sit, quàm mortiferum satanæ figmentum, quo dei ac Christi eius ueritati plurimum detraxit, ac illius miserationes abscondit & subobscurauit. Tale siquidem est hoc liberi arbitrij somnium, ut eo stante, non possit subsistere, æterna dei eloquiorum ueritas, neque ediuerso. Sed stat & manet in æternum sermo ueritatis dei altissimi, et mendacium hoc libertatis arbitrij nostri, cū omnibus figmentis hominum corruent & deficient, fiat, amen.

Excludatur ergo libertas hæc fallax, impia, & uere captiua, & quæratur libertas filiorum Dei, per fidem Seruatoris nostri IESV Christi. Hanc multis seculis, immo semper desyderauit Ecclesia Dei. Siquidem ab hoc sacrosancto desyderio prodiere illa perfecti amoris eloquia, quæ in canticis habentur: Osculetur me osculis oris sui &c. Trahe me post te. Veni dilecte mi &c. Indica mihi, quē diligit anima mea &c. Et alia id genus multa. Labijs quoq; suis Antichristi Synagoga pnūciat apertis-

Ecclesia

Ecclesiae Dei orationem, in die Natalis Christi, dicens. Concede quaesumus omnipotens Deus, ut nos unigeniti tui noua per carnem natiuitas liberet, quos sub peccati iugo uetusta seruitus tenet. Iugum peccati, iugum concupiscentiae est, quemadmodū apud Paulum maxime in Romanis, cōmune est, per peccatum concupiscentiam, seu (ut alij uocant) fomitem capere. Porro concupiscentia recte iugū dicitur, quod hominem in crudelissima teneat seruitute, ac sic captiuum faciat, ut nisi prius ab ea liber fiat, nō possit, uel minimū quiddam facere, quod Deo gratum sit. Hoc est iugum oneris populi credentis, & uirga humeri eius, ac sceptrum exactoris eius, quod superauit paruulus ille filius, qui natus & datus est nobis, & cuius imperium super humerum eius, & cui est nomen, Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis. Esa. 9.

O electis omnibus desyderatissima libertas, quae felicissimam Dei seruitutē indiuiduā comitē habet. Libera fit à potestate Satanae, & perditae atq; Apostaticae synagogae, ut liberrime & absq; ullo impedimento, inseruiat Deo & Christo eius Domino nostro, ac proximis omnibus propter eum. Haec sacrosancta Dei seruitus, est iugum non asperum, graue, onerosum, sed leuissimum, amabile, suauißimum. Proinde Christus ait Matth. 11. Iugum meum suaue est, & onus meum leue. Fit namq; hoc desyderabili iugo & uinculo, ut homo liberrime, hilariter, & diligentißime seruet, omnem Dei iussionem.

Nimi-

Nimirum nunquam est absq; Dei spiritu, & charismatibus eius, quae sunt sapientia, intellectus, consilium, fortitudo, scientia, pietas, timor Domini, gaudium, pax, spei certitudo &c. Post haec sponte ueniunt, amor dei, fiducia in eum solum, charitas in proximum, Paupertas spiritus, mititas, luctus, misericordia, & omne bonum. Hoc necessario iugo, his desyderatissimis uinculis, nos Deus Opt. Max. adligare dignetur, ut ueram & perfectam in eo libertatem consequamur. Amen.

QVA RATIONE ADCIPI debeant textus, qui ipsi arbitrio uidentur tribuere libertatem.

Satis atq; abunde, in superioribus tractauimus, quid arbitrium hominis, quod sit uere captiuum, & ueram libertatem, simul & felicissimam seruitutem in Christo adsequatur, nunc superest, ut locos nonnullos explanemus, quos hi qui ipsum nostrum arbitrium liberum faciunt, adlegare consueuerunt. Et primum quidem occurrit illud Eccle. 15. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui. Adiecit mandata & precepta sua. Si uolueris mandata conseruare, conseruabunt te, & imperpetuum fidem placitam seruare. Adposuit tibi aquam & ignem, ad quod uolueris porrige manum. Ante hominem uita & mors, bonum et malum. Quod placuerit ei, dabitur illi. Putant illi, se posse hinc probare,

probare, quod homo fuerit cum libera uoluntate conditus· Quod si intelligunt, spiritum sanctum illi à principio datum, nõ abnuimus· Siquidem tutius hic scrupulus permittitur quàm abnegetur· Si autem id dicũt, quòd ipsam naturam à semetipsa fecerit liberam, impium est·

Verum ut paucis hunc locũ absoluamus, hæc est simplex & uera intelligentia præscripti textus· Deus ab initio creauit hominem (ex tunc eum suo spiritu illustrãs, sed hoc certo neutiquã probare ualemus) et (antequã caderet) reliquit eum in manu consilij sui, uidelicet, in puris, ut aiunt, naturalibus, quod est grauißimum iudicium Dei, ut nullum sit tam expauescendum· Nam qui sic in proprij consilij manu relinquitur, à Dei spiritu & consilio efficitur alienus· Estq; mox induratus, excæcatus, inductus in tentationem &c· & non potest non errare, à uijs Domini· Proinde, mox ut primi parentes relicti fuere in manu proprij cõsilij, Dei mandatum transgressi sunt· Sensimq; tam lapsum est genus humanũ, ut inundantibus peccatis, uix discernerent, quid pium, quidue impium esset· Quam ob causam, ut esset in orbe peccati cognitio, adiecit Deus legẽ siue præcepta, nobis omnino impossibilia, quæ ueruntamen suo spiritu nobis possibilia facit· Quia enim lex spiritualis est, non nisi spiritu seruari potest· Docet quid malum, quid bonum, quid faciendum, quid dimittendum, attamen spiritum ad hæc minime tribuit, quem exigit, sed nos mittit ad Christum, ut in eum credendo, spiritus sui participes efficiamur,

per

per quem ipsam legem seruemus. Quod si hæc præcepta, ex dei spiritu conseruauerimus, conseruabunt nos. Nam sine spiritu illa seruare, nihil minus quàm eorum obseruatio, quin potius ipsissima hypocrisis est. Adposuit nobis aquam & ignem, uitam & mortem, bonum & malum, id est, uoluntatis diuinæ obseruationem, & illius transgreßionem, salutē & perditionem. Ad quod uoluerimus porrigamus manum. Si uincti à spiritu fornicationum, uolumus transgressionem præceptorum Dei, habebimus mortem & perditionem. Si autem agente spiritusancto adquieuerimus iußioni eius, salus sequetur æterna. Solo Dei spiritu potest nobis uera uita placere, spiritu autem nostro, sola impietas grata est. Si primum habuerimus dabitur nobis ipsa uita, si secundum, dabitur perditio & mors. Non potest cuipiam displicere hæc enarratio, nisi his qui hæretic o spiritu dicunt, quod uoluntas hominis possit bene uelle à seipsa, & seruare præcepta Dei. Nunc liquet, quod neq; hæc sentētia, neq; similes, quidquam faciunt, ad adserendam arbitrij nostri confictam libertatem. Contendunt adhuc uolūtatem liberam esse, dicetes: Si latuisset hominem boni maliq; discrimen, ac uoluntas Dei, nō poterat imputari, si perperam elegißet. Et si uoluntas nō fuisset libera, nō potuisset imputari peccatum, quod peccatum esse definit, si nō fuerit uoluntarium. Dicimus, quod si primum uerum eßet, iniuste punirentur omnes reprobi, qui nunquam perfecte norunt Dei uoluntatem, cum cæci sint.

Propte-

propterea Dominus pro crucifixoribus patrem orans, dicit: Dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt. Et uere nesciunt, quia omnis malus ignorans est. Hinc dicitur, de cōtradicentibus legi dei. Deuter. 32. Vtinam saperent, & intelligerent. Qu.d. non sapiunt, neq; intelligunt. Quid in nostrū interitum, uolumus esse scrutatores maiestatis? Scimus eum in omnibus iustum, nos miseros, caecos, mendaces. Iuste caecos reprobat, quos tamen ipse excaecauit & indurauit, quo fit ut adquiescere nō ualuerint iussionibus domini. Hanc abyssum iudiciorū eius, quis intelligit? Digito compescam labia mea, & silens uenerabor inscrutabilia iudicia eius. De secundo dicimus, quòd uoluntarium quidem est peccatū in impijs, uerum non prodijt à libera uoluntate, sed ab ea quae per fornicationū spiritum, id est, sensum carnis, maxime est ligata & serua. Carnaliū siquidem, hoc est eorum, qui carent Dei spiritu uoluntas, nihil minus quàm libera est. Nam legi Dei non subditur, cū nec possit quidem. Rom. 8. Neq; proinde sequitur, quòd ipsum peccatū, illis minime ualeat imputari. Imputatur enim & iustissime quidem. Solis aūt credentibus nō imputatur peccatū, id est, concupiscentia, ob fidem, ut late patet. Roma. 4. & Psal. 31.

Sunt, heu, nōnulli, qui nescio qua mala arte, cū semel toto orbe teste, abominati fuerint omnē synagogae Apostaticae ritum, omnia figmenta & dolos, ac superfluas et curiosas loquēdi phrases, denuo ad eorū insanias conuertuntur, & quidquid hactenus uerbi Dei potentia re-

iectum

iectum est, ad aures hominum reuocant, ut statuant qđ uolũt, nẽpe, arbitriũ hominis liberũ eſſe. Et forſan hi experiuntur, imò experiuntur, quàm nihil omnino liber ſit homo, cum nullo ſtudio, nulla arte, nulla ſcientia, proprios adfectus uincere poſſint. Profuerat certe, Scoti, Thomæ, Capreoli, & id genus rixoſorum, partitiones, ſomnia, placita, non tam inconſulte attuliſſe in medium, cum in eis nihil legas, niſi opiniones, & quod ſic uidetur, poteſt eſſe, poteſt dici &c. quæ uniuerſis pijs pro inferni toxico mortifero ſunt, & nihil ſolidum habent, ſed tantum inhæſiſſe, æternis ueritatis teſtimonijs, & neceſſarium & utile eſſe norunt.

Secundo adlegant illud Gene. 4. quod dominus dixit ad Cayn. Sub te erit adpetitus tuus, & tu dominaberis illius. Quod nihil aliud quàm præceptum eſt. Non enim eſt futurum indicatiui. Alioqui non prophetaſſet Dominus ueritatem, quoniam ipſe Cayn non imperauit propriæ uoluntati, ſed eam ſequutus eſt in ſuum interitum. Neq; potuit eam nõ ſequi, quòd Dei ſpiritu careret. Præceptum ergo eſt, quo Dominus iuſſit Cayno, ut carnis deſyderijs, non adquieſceret. Quod illi ita fuit impoßibile, ſine Dei ſpiritu, ſicut alia quæcunq; præcepta cuiuis homini. Porro hic textus nihil plus facit, ad libertatem arbitrij oſtendendam, quàm alia quæcunq; præcepta.

Tertiò, adſumunt illud Pſal. 9. Præparationem cordis eorum audiuit auris tua. Et Prouer. 16. Hominis eſt, præparare cor, Dei autem dirigere linguam. Primũ ſic

capitur.

capitur: O Deus auris tua audit, id est, gratam habet, præparationem cordis eorum, scilicet, Pauperum, de quibus maxime eodem Psalm. loquitur. At hi pauperes non sunt, qui mendicant, sed qui nulli prorsus rei, nisi in Christo afficiuntur, quinpotius sic omnium, quæ possident, affectu renunciarunt, ut parati sint, omnia diuẽdere & dare, si ueritatis negocium, & proximorum necessitas id poscit. Hi semper animo dicunt: Paratum cor meum, deus, paratum cor meum. Psalm. σ. & 107. Habent quippe Dei spiritum, quo parati sunt, & per illum indies fiũt paratiores. Hæc est præparatio, quæ sola Deo est acceptissima, non, ut nonnulli aßertores ementitæ libertatis aiunt, conatus arbitrij nostri. Putant namque, quòd hisce conatibus se ualeant præparare ad recipiendam gratiam Dei. Sed per solum Christum datur gratia, in eum credentibus, non ob nostras præparationes & quæcunque opera.

Reliquum, de Prophetis aut Ministris uerbi Dei, atq; etiam de his, quorum est, aliquid enarrare in multitudine. Nimirum non debent negligere præparationem, id est, uidere & præmeditari, quid dicturi sint, sic tamen, ut nihil sibi aut suo studio, suæq; solicitudini ac præparationi fidant, sed soli Deo. Scientes, quòd quantumlibet homo quid locuturus sit, præmeditetur, nihil tamen sit recte & utiliter prolaturus, nisi deus suo spiritu linguam eius gubernarit. Siquidem ita proprium est DEO, loquentis gubernare linguam, sicut homini congruit, ut

in Dei fiducia, & sui operis diffidentia, quid locuturus sit, præmeditetur.

Quarto, Deute. 30. ait Moses: Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neq; procul positũ, neq; in cælo situm, ut possis dicere: Quis nostrũ ualet ad cælũ ascendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus, atq; opere compleamus? Neq; trans mare positũ, ut causeris, & dicas: Quis è nobis poterit mare transire, & illud ad nos usq; deferre, ut poßimus audire, q̃d præceptũ est? Sed iuxta est sermo ualde in ore tuo & in corde tuo, ut facias illũ. Conspurcatores ueræ iustitiæ, quæ est per Christũ, id est, liberi arbitrij aßertores, sic hũc locũ enarrant. Non est supra te, hoc est, supra uires tuas, q̃ possis illud obseruare uiribus tuis. Sed magis Paulo credendum est, qui Ro. 10. ait: Quæ est ex fide iustitia, ea sic loquitur: Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendet in cælum? hoc est Christum ex alto deducere (ut per eum Dei iustitiæ & gratiæ participes efficiamur) Aut quis descendet in abyssum? Hoc est Christum ex mortuis reuocare (ut per eum iustificemur) Sed quid dicit? Prope te uerbum est, in ore tuo, & in corde tuo, hoc est uerbum fidei, quod prædicamus. Nempe, si confeßus fueris ore tuo dominum IESVM CHRISTVM, et crediderís in corde tuo, quòd deus illum excitauit à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confeßio fit ad salutem. Dicit enim scriptura (Esa. 28) Omnis qui fidit illi, non pudefiet. Ecce, quàm aperte

aperte docet Apostolus, quòd non de humanis uiribus & operibus, sed de syncerissima in Christum fide, ac ueritatis professione hic sermo capitur. Siquidem præceptorum Dei sermo nobis est prope in corde & ore, ut faciamus illi, id est, ut credamus, & profiteamur Christum. Nimirum legis plenitudo est Christus, Roma. 10. & per eum solum impletur Lex in nobis. Cæterum carni & sanguini impossibilia, à nobis exigit Lex. Quò fit, ut peccata sint maiorem in modum multiplicata, concupiscentia Legi contradicente, etiam si nonnunquam illam seruaret in faciem. Nimirum ipsa Lex præcipit & exigit iustitiam, quam non tribuit, nec illam homo habet. Vbi autem affuerit syncera in Christum fides, fit ipse CHRISTVS in se credentibus iustitia, sanctificatio & redemptio. Ex his liquet, præscriptã ex Deuteronomio sententiam nihil omnino facere ad liberi arbitrij assertionem.

Quinto, Seruator noster deplorans Hierosolymæ excidium, ait Matthæi. 23. & Luc. 13. Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties uolui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce, inquiunt illi, CHRISTVS ait: Volui, & noluisti. Vides, quòd arbitrium eorum liberum fuerit. Iniuste enim illis comminaretur, & eos puniret, nisi liberum eis fuisset, uelle ac nolle congregari. Sic, sic

cæca & impia caro de æquissimis Dei iudicijs definire præsumit. Non est ita, sed sicut habetur Ioan. 10. Vos non creditis mihi, quia non estis ex ouibus meis, id est, ex electis, qui soli sunt ueræ Christi oues, quas ab eius manu nemo rapere potest. Quis tu homo putredo & uermis ut respondeas Deo? Expauesce potius, & admirare cũ humilitate impenetrabilem iudiciorum eius abyssum. Audi, qua ratione dictum Christi sermonem capere opus sit. Volui, dicit CHRISTVS, & tu carnalis Synagoga noluisti. Quare noluisti? Quia non es ex ouibus & electis meis, & non habes spiritum meum, sine quo nec iussis meis acquiescere, neque quicquam aliud efficere potes, quod gratum coram me sit. Pugnat quippe aduersum me omne studium carnis, id est, hominis absq; spiritu meo, quòd mendax sit. Psalm. 115. Ergo prædicto sermone noluit Christus indicare, quòd liberum illis fuerit, aliud uelle, quàm uoluerint, sed quàm odiat omnia studia carnis, quæ ad pietati contraria semper adnititur.

Sexto, In fauorem liberi arbitrij enarrant illud Matthæi. 19. Si uis ad uitam ingredi, serua mandata. Itidem eo cap. Si uis perfectus esse &c. Et Luc. 9. Si quis uult post me uenire &c. Et quod mox sequitur. Qui uoluerit animam suam saluam facere, perdet illam. Et omnes eiusmodi utriusq; Instrumẽti locos, ubi sub cõditione ponitur: Si uolueritis: Si nolueritis: Si audieritis: Si nõ audieritis: Si quæritis: Si conuerteris: Si separaueris: Si egerit: Si

auerte-

auerterit &c. Verum in his omnibus ideo errant, quòd spiritus scopum non satis in eisdem scriptis obseruent. Nanq; hæc omnia solo spiritu exhibentur. Sic autem capiuntur. Si toto corde et per spiritum meum hoc aut illud feceritis, uolueritis, quæsieritis & cætera. hoc aut illud consequemini. Sin minus, uincti à fornicationum spiritu, peribitis.

Septimo, Obijciunt pollicitationes, mandata, comminationes, increpationes &c. Dicunt enim, hæc omnia frigere, & stulte scripta esse, si nulla sit arbitrij libertas. Respondemus, quòd omnium eiusmodi locorum intelligẽtia ab eo pendet, ut spiritus à spiritu discernatur, atque ut profiteamur, Deum uelle, ut Lex sua, non nostro fornicario spiritu & sensu, sed suo spiritu sanctissimo obseruetur. Nam alioqui, quicquid facimus, mera hypocrisis est. Item, nemo potest à seipso uelle aut facere rem piam. Præcipit igitur, ut seruemus Legem suam suo spiritu: promittit mercedem seruantibus ex ipso spiritu, comminatur, nisi seruauerint illam per eundem spiritum, damnat & increpat non seruantes ex spiritu &c.

Octauo, Opponunt, quòd toties in scripturis fidelibus Dei seruis merces promittitur. Putant enim, quòd merces nulla possit esse, nisi ob meritum, neq; ullum meritum, nisi arbitrij uoluntas adsit. Meritum indubie oportet, ut arbitrij libertas antecedat. Proinde, nullum est meritum in nobis, quòd captiui à nobis simus. Omne autem meritum solius CHRISTI est,

 qui

qui inter mortuos solus est liber, psalm. 87. Sed de mercede notandum, quòd electorum merces ideo merces dicatur, quòd CHRISTVS nobis illam meruit, & quia à Deo, in CHRISTVM credentibus, est promissa. Sic capitur illud Gene. 15. Ego sum merces tua magna nimis. Quia enim Abraham promissioni seminis, id est, Christi, firmissime credidit, per ipsum Christum mercedem fuit consecutus. Quam? Ipsummet DEVM, qui est omnium credentium uera merces, sicut Deus in æternitate iurauit, decreuit, & prædefinuit. Sic etiam capitur illud Matth. 5. Gaudete & exultate, quoniam merces uestra copiosa est n cælis. Sensus est: Quod uobis in me credentibus p. omerui, & à Deo ob fidem promissum est, est copiosum , magnum , insigne, idem iudicium de corona & premio.

Nono, Ioan. 1. dicitur: Dedit eis potestatem, filios Dei fieri, uidelicet his, qui credunt in nomine ipsius. Ex hoc illi arguunt: Si dedit eis potestatem, ut filij dei f. erent, liberi sunt. Sed perperam concludunt. Potius enim indicat, hominem captiuum ex se, quàm oppositum. Sic enim capitur: Quotquot receperunt CHRISTI fidē, credentes in nomn eius, tum acceperūt potestatem ut filij Dei fierent, immo tum facti sunt. Nimirum, mox ut quispiam credit, filius dei efficitur. Sic enim dum credunt, accipiunt dictam potestatem, ut simul Dei filij fiant. Cæterum spiritus fornicationum tum in eis crucifigitur & ligatur,

gatur, ut non tyrannişet, & spiritus dei in corde imperium sumit· Liberatur fidelis ab impio & mendaci spiritu ac sensu, cui ante subijciebatur, & sub eo captiuus erat, & transit in principatum spiritus Dei, qui eum adligauit suauissimis charitatis uinculis· Vides, quàm nihil faciat dictus sermo ad asserẽdam nostri arbitrij uere captiui confictam libertatem·

Decimo, Ioan· 6· nonnullis ob sermonem de carne & sanguine Christi offensis, & ob id apostatantibus, ait dominus Apostolis: Nunquid & uos uultis abire? Hinc illi argutantur· Stolida, inquiunt, interrogatio fuißet, si non erat eisdem liberum, uelle uel nolle abire· Dicimus, quòd Christus alligauerat illos spiritu suo, proinde apostatare non poterant, quinpotius dixerunt: Domine, ad quem ibimus? uerba uitæ æternæ habes· Alij uero à fornicationum spiritu uincti erãt, quo agente, in Christo passi sunt scandalum, & dixerunt: Durus est hic sermo· Et quis potest eum audire? Tandemq; ab eo apostatarunt· Ego nihil dubitauerim, ob id maxime Christum interrogasse, an abire uellent, ut posteaquam liquido apparuerat, quid operatus fuerat impius carnis sensus in incredulis, agnosceretur, quid ageret in ueris fidelibus, scriberetur q; fideliter in posterorum eruditionem· Ergo neque hoc dicto firmatur arbitrij libertas, sed illo palàm fit, quàm sibi cõtraria uelint & agant, uincti à fornicario spiritu, & à spiritu Dei·

Vndecimo, Obijciunt uersum illum: Reddet unicuiq; secundum opera sua, psalm. 61. Et inde uolunt statuere fallacem operum iustitiam, simul atq; liberum arbitrium. Dicimus, q, opera nostra aut sunt à nostro spiritu uere fallaci & captiuante, & tum sunt impia, & non possunt nō impia esse. Aut sunt à spiritu Dei, & tum non sunt à nostro sensu aut uoluntate, ideo bona sunt, & non possunt non bona esse. Vides, quòd ex præscripto textu nihil minus probēt, quā quod intendunt. Nam id tantum docet hic sermo, q, habenti opera ex fide & spiritu dei, reddet uitam æternam: habenti uero opera carnis, suppliciū æternum

Duodecimo, Asserunt, arbitrium & conatū hominis liberum esse, ex eo, q, sæpe legimus: Certa bonum certamen. 1. Tim. 6. Labora, ut bonus miles IESV Christi. 2. Tim. 2. Vincenti dabo &c. Apoca. 2. & 3. Dicimus, q, hoc certamen contra impietatē, hic labor militiæ dei, atq; hæc felix uictoria esse non possunt, nisi à spiritu dei, ergo non ab arbitrio nostro. Proinde eius libertas, non potest adstrui ex id genus dictis scripturæ.

Tertiodecimo. 2. Pet. 1. dicitur: Vos aūt omnem curā subinferentes, ministrate in fide uestra uirtutem &c. Ac mox: Quapropter, fratres, potius operam date, ut uocationem & electionem uestram firmam efficiatis. Hæc enim si feceritis, non labemini unquam. Ex hoc loco arguunt, Petrum uoluisse, ut nostra solicitudo & industria, spiritui cooperetur. Quod si quis intelligit de solicitudine,

siue

siue industria, quam in nobis operatur Dei spiritus, bona est enarratio. Nimirum sua immensa bonitate nostra dicit, quæ in nobis operatur. Agit namque ipse spiritus, et trahit nostram uoluntatem, ut acquiescat imperio dei. Sicq; tracta nostra uoluntas, non potest non mox currere post Dominum, non propria uirtute, sed Dei. Quòd si contendunt hunc locũ de mera naturali industria intelligendum, quasi homo possit à seipso spiritui cooperari. Impia omnino enarratio est. Nam à seipso caro est omnis homo, & ideo non potest adsurgere ad ea, quæ sunt spiritus dei. Ergo sic capitur hic textus. Vos fratres illustrati à domino, & per eum ueritatis eius facti participes, in ea fide, quam à Deo accepistis, ministrate omni cura uirtutem &c. Et date operam, ut uocationem & electionem uestram firmã efficiatis. Sensus est: Satagite, ut bonis operibus ostendatis, quòd uocatio & electio uestra firma sit.

Quartodecimo, Opponunt adhuc nobis, quæ Deute. 30. habentur, ubi propositis coram Israël, uita & bono, morteq; & malo, ait Moses: Elige uitam &c. Putant enĩ hæc intempestiue dicta fuisse, si ad bonum uel malum uoluntas eorum non erat libera. Diximus sæpenumero, quòd Lex carni impossibilia exigit, quæ ueruntamẽ Christi spiritus possibilia facit. Christus siquidem Legis impletio est. Ideo quemadmodum ut obseruemus Decalogi præcepta, neceßarius est spiritus dei, ita & ad eligendum uitam. Non enim possumus eligere uitam, nisi in

nobis fuerit ſpiritus ueræ libertatis, nempe ſpiritus Chriſti. Quod autem ſæpe malum, bono contempto, amplectimur, non tam electio, quàm captiuæ naturæ operatio eſt.

CONCLVSIO.

Nonnullis, quæ à liberi arbitrij aſſertoribus opponũtur, paucis reſpondimus, uerum arbitramur, quòd ex his aperta ſit feneſtra ad reſpondendum, omnibus obiectis eorundem. Ideo tempus eſt, ut breuiſſimis rem totam concludamus, & redeamus ad noſtri Prophetæ enarrationem.

1 Igitur primo ſentimus, quòd arbitriũ hominis ſit uere captiuum & ſeruum, ac nihil omnino ex ſe poſſit, in his quæ ſunt ad uitam æternam.

2 Ipſum autem arbitrium eſt actus, intellectus, ſimul et uoluntatis.

3 Quod à ſeipſo captiuum eſt, ſpiritus fornicationum, id eſt, ſenſus naturalis ac peccati ſiue cõcupiſcentiæ, quãdoquidem ipſe ſpiritus fallax in corde regnat.

4 Et tum non poteſt uerbo domini parere, niſi in hypocriſi & mendacio.

5 Nam ſermones ueritatis illi placere nequeunt, & nõ poteſt non contradicere & aduerſari eiſdem.

6 Adueniẽte Dei ſpiritu & fide, liber fit homo ab ipſo fornica-

fornicario spiritu, à quo nulla arte, nulla prudentia, nullò ue consilio, alioqui liberaretur.

Tum regnat ipse spiritus Dei in corde credentis, spiritum fornicationum indies subijciens, captiuans, & crucifigens. 7

Tum quoq; agit intellectũ hominis, alioqui dei uerię; ignarũ, faciens ut agnoscat deum & ueritatem eius. 8

Agit & uoluntatem, alioqui captiuam, ut uelit quæ Deus uult, & adquiescat suauissimis sermonibus eius. 9

Vult tum homo, idem quod Deus, non propria sed ipsius dei uirtute. 10

Et liber fit ab omnib. traditionib. et figmẽtis hominũ, ut totum se captiuet in obsequium Dei & ueritatis eius. 11

Sicq; liber fit à captiuitate perditionis, & transit in captiuitatem simul atq; libertatem filiorum dei. 12

Tum liberrime & fidelissime deo seruit, currit, et nõ laborat, dei spiritu hanc promptitudinem faciente. 13

Omnia præcepta, comminationes, promissiones, increpationes, & laudes sanctorum, ac maledictiones impiorum, ostendunt quàm Deus amet spiritum sanctum, spiritum uero fornicationum dirigat, 14

Voluntas credentis, agit cum agente spiritu, non sua, sed ipsius spiritus uirtute. 15

Deus indurat, excitat, & excæcat et quemcũq; sic adiudicauit, non potest non errare à uijs eius. 16

Verum non proinde concludo quod Deus iniustus sit, aut operetur impietatem. 17

Hic

18 Hic caligat omnis sensus, & maximo haereseos periculo, nonnulli haec scrutari uolunt·

19 Statuas uel nugules arbitrium liberum, quaestio de misericordia & iustitia Dei insolubilis manebit· Nimirum abyssus est impenetrabilis·

20 Neq; Deus indiget mendacijs nostris, ut putet quispiam sibi licitum esse, fingere arbitrij libertatem, contra apertissimos scripturae textus, ut quaestionem de iustitia Dei perfectius capiat· Quod tamen nunquam est adsecuturus·

21 Statuentes liberum arbit· legis scopo contradicunt, adserẽtes quod homo possit flectere seipsum, ut eam seruet, aut ad id à seipso conari, cum nihil omnino minus possit·

22 Legis scopus est spiritus, quòd tota lex spiritualis sit, ideoq; solo Dei spiritu seruari possit·

23 Iidem adsertores, quod solius Dei spiritus est, nẽpe, uelle bonum, tribuunt carni & sanguini, quae non potest non fornicari à Domino, semperq; ab illo fornicatur·

24 Qui uero, ut à Dei testimonijs erudiuntur, dicunt arbitrium hominis captiuum esse, & nihil minus posse, quàm à se legem Dei seruare, rectè sentiunt, quòd ipsius legis scopo minime contradicant·

25 Hi tribuunt homini quod est in ueritate, nempe, quòd sit captiuus peccati, id est, concupiscentiae, nisi liber fiat à Domino·

26 Tribuunt itidem spiritui sancto, quòd suum est, nẽpe, cogita-

cogitare, uelle, & perficere bonum. Sicq; non homini sed Deo, omnem uirtutem & gloriam tribuunt.

Statuens liberum arbitrium, statuit & merita, ac iustitiam operum. 27

Statuens autem merita, & iustitiam operum, calcat merita Christi, & iustitiam Dei quam per eum solum adsequimur. 28

Enimuero non nostra opera atq; iustitiæ pollutissime, sed Christus meruit nobis in se credentibus, gratiam dei, atq; iustitiam æternam. 29

Contra, statuens captiuum arbitrium, nõnisi Christi merita, deiq; iustitiam per eum statuit, & nostrorum operum spurcam iustitiam calcat. 30

Non dico, quod nolit bene operari, maxime cum sit opus, ut fidelis quisq; ocia uitet, & fidem operibus testetur. Nullibi enim ociosa est, uera fides, & operibus seipsam pandit. Fidei namq; testimonia, bona opera sunt. 31

Sed dico, quod ipsis operibus suis fidelis neutiquam fidit, neq; sibi proinde aliquid tribuit. 32

Statuens liberum arbit. non potest simpliciter uerbũ Dei capere, quod uerbum dei & lib. arbit. nõ conueniãt. 33

Contra, statuens captiuum arbitrium, facile perueniet ad ueritatis intelligentiam, quòd non sentiat aliena à uerbo Dei. 34

Nemo potest adserere in spiritu sancto, quod arbitrium hominis liberum sit, etiam si aliunde spiritũ habeat. 35

Nemo potest syncero corde sentire, quod ipsum arbitriũ 36

bitrium sit captiuum, nisi in spiritu sancto. Non loquor de his, qui magis ob curiositatem, quàm ob pietatis amorem, id dicunt, rem ipsam non capientes.

37 Nam qui adserit ipsum arbitrium esse liberum, tantũ subtrahit misericordiæ Dei & gratiæ Christi, quantum tribuit uirib. hominis, qd' esse nõ potest, à spiritu sancto.

38 Qui uero dicit eum captiuum, nihil tribuit uiribus hominis, sed totum misericordiæ Dei, & gratiæ, quàm per Christum, in eum credentes adsequimur. Sicq; Dominum IESVM Christum uere confitetur, ei tribuens iustificationem & salutem. Quod facere non potest, nisi in spiritu sancto.

39 Summa, adsertio liberi arbitrij, est origo, radix, & fundamentum, omnium sectarum, impietatum, hypocrisis, & abominationum, synagogæ Antichristi.

40 Adsertio uero captiui arbitrij, ac uirtutis, iustitiæ, & gratiæ, per solum Christum, est fons, radix, & fundamẽtum, omnis doctrinæ pietatis.

Hactenus de arbitrio hominis tractauimus, probantes quàm sit modis omnibus captiuum & seruum, quod locus à quo sumpsimus ansam hæc pertractandi, apertissime indicat, de carnalibus Israelitis, dicens. Ligauit eum spiritus in alis suis. Superest, ut quæ sequuntur, ex Propheta, diligenter pertractemus.

Cap.

Cap. 5. Primum increpatur Israel, quod à Deo apostatarit. Secundo eorũ punitio prædicitur. Tertio ostenditur, quod nemo poßit quempiã eripere à manu Domini, ut non flagelletur is quem ipse uult flagellari, & simul quàm sit intutum fidere hominibus.

PARS PRIMA.

CAPVT V.

AVdite hoc sacerdotes, & attendite domus Israel, & domus Regis auscultate, quia uobis iudiciũ est.

A sacerdotibus, id est, Prophetis seu ministris sermonis Dei *incipit iudicium, proinde nunc primũ uocantur, ut audiant ipsum iudiciũ, id est, reprobationem & condemnationem contra se.* Vocatur *ad id secundo loco populus seductus ab eis, sed hi specialiter, quos è multitudine* Deus *elegerat, per quos regeret populum suum, ut domus* Regis. *Sed cuius est hoc iudicium? spiritus dei, qui iudicat, damnat, & reprobat omnẽ impietatem, eorũ maxime, qui pro* Dei *populo haberi uolunt, cuiusmodi erant Israelitæ. Sed & inter eos, grauiore iudicio rei sunt, qui super promiscua multitudine à* Deo *positi sunt pastores atq; rectores.*

Audi-

Audiant ergo & intendant, his quæ sequuntur, quicũq; dicunt se esse credentes siue Christianos, cũ nihil minus sint, sed præ cunctis Reges, Principes, & uniuersi præsides populorũ, cũ Prophetis, seu Episcopis, qui Dei uerbo cæteros instruere debent. Sciantq; certissime dies aduenisse, quibus iudicãdi et reprobandi sunt, per uerbũ Dei Altissimi. Siquidem illis, id est, contra eos iudiciũ est. Iudicium autem est ipsa reprobatio siue condemnatio. Audiant ergo ipsum iudicium, ut resipiscant, ante ipsius iudicij tempus, quo dei manus, sit in illos mitior. Videant carnales & miseri, in quibus iudicat execrabilis prudentia carnis, quam diuersa sentiat & iudicet spiritus sanctus, à mendaci & fornicario spiritu hominum.

Quoniam laqueus facti estis speculationi, & sicut rete expansum super Thabor, & uictimas declinastis in profundum.

Quidam hæc referunt ad solos sacerdotes & Principes, quæ ad omnem prorsus Israel puto referenda. Nimirum non solum ipsi sacerdotes, pseudoprophetæ, Reges & Principes erant laqueus speculationi, id est, impediebant ueram speculationem, scilicet uerbum Dei, & ne populus secundum illud regeretur, persequendo ueros Prophetas, & amatores ueritatis, uerum etiam carnalis populus idem quantum poterat faciebat. Quemadmodum in apostatica synagoga, populi qui agunt partes Antichristi, sunt concordes Principibus, sacerdotibus,

bus, & Prophetis eiusdem factionis, & cum eis fiunt laqueus uerae speculationi, ministerio scilicet uerbi Dei, & ueros Dei Euangelistas persequuntur. Tametsi apud Tyrannos, & Prophetas, ac sacrificos dictae execrabilis factionis, summa praescripti laquei sita sit, quemadmodum & olim, apud domos Regum & Principum Israël, ac Sacerdotes, & falsos Prophetas, idem erat.

Fiunt itidem laqueus speculationi, qui pro speculatoribus positi in populo, non aduigilant, ut populus ipse pius sit, & secundum altißimi sermonem gubernetur, sed docent & regunt eos, secundum mandata & traditiones hominum mendacißimas, quae uere non nisi laquei quidam sunt. Sic laquei fuerunt Israëli pseudoprophetae, & impij Reges, docentes & regentes eos secundum somnia hominum, & illis adquiescentes populi, fornicati sunt à Domino, & perierunt. Sic quoq; multis saeculis, totum Antichristi Regnum, factum est populis credentium, perinde atque laqueus speculationi, id est, custodiae populi, super quo speculari & aduigilare debuerant, & docuerunt eos figmenta, inuentiones, decreta, indulgentiarum imposturas, & alias id geuus abominationes.

Sed quid ultra facti sunt populo Dei, tam Sacerdotes & Prophetae, quàm Reges, & carnales ex Israël? Sicut rete expansum super Thabor. Referunt Hebraei quidam quòd Reges Israël, cum sacerdotibus Idolorum, nempe uitulorum aureorum, quos erexerat Hieroboam primus Rex Israël, id est, decem tribuum 3. Reg. 12. interdixerāt,

ne quis ex eodem Regno iret Hierosolymam, in templum DOMINI, sed uenirent in Bethel aut Dan, ubi dictos uitulos posuerat, constituitque diem solennem, in similitudinem diei festi, qui Hierosolymis celebrabatur. Quod ita fieri primum excogitauit & præcepit Hieroboam tertij Reg. duodecimo. Demum quia nonnulli fideles, magis adquiescentes Dei quam Regum imperio, diebus à Domino constitutis ueniebant Hierosolymam, excogitato consilio, posuerunt insidias in Thabor monte, ut caperent euntes Hierosolymam, & punirent. Quæ insidiæ hic rete nuncupantur.

Huic enarrationi nec omnino contradicimus, nec subscribimus, quòd indubie alibi quàm in Thabor mōte, multi insidias pararent, euntibus Hierosolymam contra præcepta Regū. Nec satis liquet, an etiam in eo monte positæ fuerint, quin potius uerisimilius est, q̃ non ibi, sed aliis locis medijs inter decem tribus et regnū Iuda eas posuerint. Ad q̃d enim in Thabor posuißent ipsas insidias, ut adprehēderentur, qui è regno decem tribuū ꝑficiscebantur Hierosolymā, cum eædem ferè tribus (si terræ eorū descriptio uera est) habitarēt inter Thabor et ipsam Hierosolymam, propter quod non fuit opus, ut insidiæ illic ponerētur, cū non esset uia ad eā. Porrò Thabor mōs est in Galilæa, positus in campestrib. in quo aues retibus et laqueis capi solēt, ut nōnulli scripserunt. Ego puto hunc locum sic enarrandū, ut impij ex Israël, maxime Reges & sacerdotes, dicantur fuiße, ut ante diximus, laqueus & rete, ad seducēdum

& auer-

& auertendum populum à Domino Deo eorum, haud secus atque super Thabor monte, expandebantur retia, ad aues capiendas. Aut quòd adpellatiue capiatur haec dictio Thabor, sicut suprà capite secundo Achor pro cõturbatione. Thabor autem (ut Hieronymus & alij quidam scribunt) praeter id quòd significat, ueniens lumen interpretatur, lacus uel fouea. Esset ergo hic sensus: Facti estis populo meo, sicut rete expansum super Thabor, id est, lacus aut fouea, ut dum ad capiendos lupos fouea uiminibus contegitur, quod non obseruans lupus, in foueam cadit.

Laquei ergo & retia erant populo Israël, impij Reges & Sacerdotes, ac falsi prophetae, suis praeceptis, traditionibus, & mendacijs, à uero Dei cultu illos auertentes. Sic & nunc Antichristus cum suis Episcopis, Pharisaeis, atq; Prophetis, ac Regibus, seu Principibus, qui illis fauent, sunt fidelium populis, in aeternae perditionis laqueum, et rete expansum, ut illos seducant, exhauriant omnem eorum substantiam, & à Deo auertant, ad fabulas autem & figmenta sua conuertantur.

Sequitur: Et uictimas &c. Sensus est: Vos impij Reges & Sacerdotes, qui auertitis populum meum à me, declinastis, id est, impediuistis, & piecistis uictimas, quas mihi soli offerre oportuit, in pfundum, ut sacrificiorum meorũ nulla sit ultrà memoria, & nemo mei recordetur. Is sermo est, perinde atq; si quis longe positus à mari diceret cuipiam, de re quam optat contemni: Proijce hoc in

profundum maris, hoc est, reijce, & sperne, ac obliuiscere illius. Sic uolebant impij Reges & sacerdotes, ut Israel obliuisceretur uictimarum Domini, quæ oportuit offerre apud solam Hierosolymam. Veh impijs Apostatis à Christo Principibus, atque Prophetis, ad id usque hodie nitentibus, ut populus obliuiscatur Dei, Christi, ac ueritatis eius, adfingentibusq; noua sacrificia, ut proijciant in profundum, id est, sperni faciant uerum sacrificium, quod est, abnegare seipsum, tollere crucē, & ex fide offerre se ipsos spirituales hostias Deo, in odorem suauitatis.

Et ego eruditor omnium eorum.

Bonus eruditor, Magister, & disciplinator est Deus. Sed quorum? Omnium, maxime uero Israël, ex quo sunt omnes fideles, qui in semine Abrahami & Israëlis supputantur Rom. 9. Tametsi omnis domus Israël se doctorem uocat, quòd legem illis tradiderit, & commiserit eloquia sua. Quod fuit electis in salutem, reliquis uero in grauissimum iudicium, propter ingratitudinem. Nimirum pro nihilo habuerunt tam insignem beneficentiam Dei, qua illos præ cūctis nationibus, tam mirifice primum suo uerbo illuxit. Hinc Psal. 147. Qui annunciat uerbū suum Iacob, & iudicia sua Israël. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.

Proinde ergo recte ait Dominus: Et ego eruditor omnium eorum. Qu. di. Debuerunt esse boni discipuli, & mihi docenti adquiescere, qui eos meis impollutis eloquijs dignatus sum. Ipsi aūt diuersum operantur. Nam sermões

æternæ ueritatis meæ floccipendunt, & excogitant sibi mendacia, illis potius adquiescentes quàm mihi.

Sic Dominus ait Matt. 23. Nolite fieri Magistri. Vnus est enim Magister uester Christus. Non dixit: Nolite docere, sed ait: Nolite fieri Magistri. Ac si di. Nolite uobis quidquam tribuere ex docendi ministerio. Potestis quidem esse magistri, hoc est, docere, sed nolo, ut ad id quæratis uobis pompam, gradus (rem omnino gentiliciam) neque doceatis, quod placet coram oculis uestris, sed id uolo, ut me uerum eße magistrum sciatis, & alium nullum præter me. Nā ego solus doceo ueritatem, cuius sum Magister & doctor unicus, et uos discipuli mei. Quasi ergo discip'li ueritatis meæ, alios docebitis, qd' me primũ docuisse certissime agnoueritis, nihil omnino addẽtes, aut minuẽtes. Eritis organa mea, & aliorũ fidelium condiscipulorũ uestrorũ adiutores. Nā omnium eorum, simul atq; uester doctor sum. Hinc quoq; ait Ioã. 13. Vos uocatis me Magister & Domine, et bene dicitis. Sũ etenim. Paulus se magistrũ gẽtiũ scripsit. 1. Tim. 2. Verũ ne qs arbitraretur, q̃ aduersum Christi dogma se magistrũ diceret, putaretq; eũ uelle aliquid à seipso docere, adiecit: In fide & ueritate.

Veh, ueh Antichristi prostibulis, id est, uniuersitatibus pseudotheologorum, ac Canonistarum, quorum laruæ excæcatißimæ, ut simplices plebeculas efficacius seducant, & ad sua mendacia pertrahant, iactitant. Ego sum graduatus. Ego sum Doctor & Magister. Authoritate mei gradus, de hoc uel illo dubio, definio sic aut sic. Scio ho-

minem non paruæ eruditionis, tum peregrinum, declinasse in domum amici cuiusdam, qui, ut suauissimis Dei eloquijs reficeretur, nouũ instrumentũ accepit in manibus, aliquid è Seruatoris fontibus hauriens. Hunc Antichristi coniuratio suspectum habebat, quod ab eorum factione apostatasset ad CHRISTVM. Proinde duo quidam cæci, ex his, qui ueritate contempta, Thomæ placitis hærent, irruerunt in eum, et dictum nouum instrumentum rapuerunt è manibus, & mox librum clauserunt, ulularuntq́; dicentes: En hominem hæreticũ &c. Quorũ unus sic insanire orsus est: Ego almæ Parrisiorũ uniuersitatis graduatus sic argumentor, & pbo te hæreticũ. iste liber est Martini Luth. heretici, tu eũ tecum portas, ergo es hæreticus, et ex nunc autoritate gradus mei, pclamo te hæreticum, & faciam te à Principe, ut hæreticum, male tractari. Et uix tandẽ ad id pductus est, ut librum aperire dignaretur. Sic damnant insignes bestiæ istæ libros, anteq̃ eos uel à liminib. salutarint. Sic etiam pro hæretico habent seruũ Dei Mar. Luth. cuius scripta nunquam expenderunt. Mox autẽ, ut dictum impostor aperuit codicem, uidit Eusebij concordantias, & ait: Ecce figuras hæreticorũ, quib. Dei scripta ad nutũ exponunt, imo corrũpunt. Et procedens, incidit in locum: Ecce gladij duo hic. Et ait: Isti hæretici hunc locum maligne corrũpunt, negantes, ꝗ per eum utraq; potestas Papæ comfirmetur. Ego autem adsero, ꝗ sit Dominus cœli & terræ, & ꝗ est supra Reges et Principes, potens eos deponere & ex eis facere, ut libet.

Volui paucis, in perpetuam memoriam huius impostoris, qui certe coram simplicib. aliquid esse uidetur, q apud Parrisios magisteriatũ Theologiæ suscepit, hic patefacere crassa inscitia & temeritatẽ, ut ex isto uideat omnes, quales habeat patronos, magistros, et prophetas apostatica synagoga, q dicit: Audite nos, Magistri sumus, & autoritatem habemus, de dogmatib. cunctis definiendi. Contrà faciunt ueri concionatores & Prophetæ Dei. Nam dum aliquando aliqd docẽt, aut scribunt, non nisi sub Christi disciplulatu, summi Doctoris atq; Magistri id faciunt.

Aliter quoq; hic textus nõ incogrue capitur, ut uidelicet sic in contrariũ sensum enarretur. Prius dixerat impios tam Reges quam Sacerdotes, factos quasi laqueos, et rete populo suo, & impediuisse cultum uerum Domini. Et nunc adiecit: Et ego eruditor &c. Ac si diceret: Impij isti dicunt, q à me pcesserit hic sermo adorationis uitulorum, & quod non uenirent Hierosolymam. Sicq; adserunt, q omnium id genus figmentorum ego sum eruditor &c.

Ego cognoui Effraim, & Israel non est absconditus à me.

Qui omnia condidit, omnia regit & uidet, & impiorum cogitatus eum neutiquam latent, ne quisquam cũ impijs sentiat, quod solis sublimibus intendat, & infirma nostra non consyderet. Proinde hic dixit: Ego cognoui Effraim, & Israel non est absconditus à me. Quasi di. Scio quid cogitent, meditentur & faciant. Insipientes ex eis dicunt in corde suo: Non est Deus. Sed ego noui illas,

las, & reprobaui, quicquid in ſpiritu fornicario ſentiunt. Noui itidem ſyncera electorum corda, & grata ſunt mihi quòd dirigente ſpiritu meo, non niſi pia uelint, meditētur, & agāt. Hic per Effraim, tribum ſic uocatam intelligit, per Iſraël uero omnes reliquas tribus. Puto autem, quòd ob id Effraim tribus ſit ſpecialiter nominata, quòd uitulorū execrabilis cultus ab ea initium ſumpſerit. Nam Hieroboam primus decem tribuum Rex fuit Effrataeus, per quem omnes tribus Idololatria fuere infectae.

Nouit ergo Dominus omnia, et nihil penitus eſt, quod non ſit nudū oculis eius. Videt quàm malignentur in pios increduli, & cogitatus ac ſtudia eorū non ſunt abſcondita ab eo. Diſsimulat nūc multa, haud ſecus atq; ſi nō agnoſceret ea. Dimittit quoq; electos, in tempus cruciari, ut putes eos reprobos, atque illi odio eſſe. Sed tempus patientiae nunc, aliquando erit uindictae. Mirabilis tu in iudicijs tuis. Et quis agnouit ea?

Quia nunc fornicatus eſt Effraim, cōtaminatus eſt Iſraël, non dabūt cogitatiōes ſuas, ut reuertantur ad Deum ſuū, quia ſpiritus fornicationū in medio eorum, & dominū non cognouerunt.

Vide quàm uera ſint, quae de arbitrio noſtro uere captiuo, in fine ca. praece. diximus. Quia, inquit, Effrataei à me fornicati ſunt, et apoſtatarunt, carnales quoq; ex Iſraël, eorum apoſtaſiam & abominationes imitantes, contaminati ſunt, non dabunt, non auferent ac ponent cogitationes

ones suas, ut eis reiectis, aliud cogitent, nempe reuerti ad me in toto corde eorum. Nimirum non sunt sufficientes, aliquid ex eis cogitare, quod bonum sit. Nam ego fons, origo, & principium omnis boni, tam interni, ut sunt cogitatus, quàm externi, ut sunt piæ locutiones, rectaq; opera. Quid apertius dici potest? Vbi sunt, qui ipsum nostrum arbitrium liberum faciunt? Qua fronte docent, q. ipsum quidquam possit, in his quæ sunt ad æternã salutem? Nonne sicut radix omnium malorũ, & perditionis, est apostatare à Deo, id est, renunciare fidei eius, ita fundamentum omnium, quæ sunt ad ueram salutem, est conuerti & uenire ad Dominum, hoc est, in eum credere. Sed hic audis manifestißimum Dei sermonem, q. qui ab illo fornicati sunt, non possunt uel cogitare à se ipsis, ut ad eum redeant, id quod Dominus IESVS Christus Ioã. 6. ait: Nemo (ex incredulis) potest post me uenire (in me credere) nisi Pater (suo spiritu) traxerit eum.

Sed quid est, quòd nequeunt uel cogitare, ut ad Dominũ redeant? Quia, inquit, spiritus fornicationum, de quo præce. cap. dictũ est, q. eos seduxerat, atq; ligauerat in alis suis, est in medio eorũ, eos excæcãs, atq; in eis regnans, et tyrannisans, ita, ut nõ sit locus Spiritui meo. Captiuat eos ipse fornicarius spiritus, & nisi eũ Spiritus mei potentia ab eis pellam, aut in eis subijciã & crucifigã, nunq̃ reuertentur. Itidem non poterunt uenire ad me, à seipsis, q. me cunctorũ Dominũ esse, omnino nesciant, etiam si se id scire in mendacio iactitent. Nimirũ caro nõ agnoscit me, et

impij dicunt in cordibus suis: Quis nos uidet? Et ubi est Deus? Figmentum putant esse, cum audiunt: Super omnia est Deus, cui nihil absconditum est. Proinde etiam si ore aliud loquantur, in corde aiunt: Non est Deus. Nescimus Dominum. Qua longe perniciosissima ignorantia, totos se effundunt, ut impleant desyderia cordium suorum, & faciant quæ non conueniunt. Frena nos Domine Spiritu tuo, & per eum, spiritum fornicationum & mendacij, qui in nobis est, mortifica & crucifige.

Nonnulli putant malignum spiritum siue Diabolum ad idololatriam prouocantem, per fornicationũ spiritum designari, sed nõ congruere, suprà, capite quarto ostendimus, ibi: Spiritus fornicationum decepit eos. Hic spiritus est spiritus hominis sibiipsi relictus, id est, non illustratus à Spiritu sancto, siue sensus et iudicium carnis, quibus homo non potest non semper à Domino fornicari.

PARS SECVNDA

Et respondebit arrogãtia Israel, in facie eius, & Israel & Effraim ruent in iniquitate sua, ruet etiã Iudas cũ eis.

APertus est hic textus, prænũcians errantis populi flagella à Deo, tẽpore præfinito illata. Ait ergo. Et respõdebit &c. Modus quidam loquendi est, quo apta & cũctis manifesta punitio ostẽditur. Siquidẽ facies patet, & per eam agnoscimur. In facie igitur Israel respõ

dit

dit arrogantia eorum, dum pro sua durißima & rebelli ceruice, ac continuis fornicationib. puniti sunt, ipsamq; punitionem uiderunt & senserunt.

Et Israël (Regnum decem tribuum) & Effraim (tribus à qua maxime uitulorum cultus initium sumpsit) ruent in iniquitate sua, id est, propter iniquitatem suam, euertentur, flagellabuntur, & deijcientur. Ruet etiam Iudas (Regnum duarum tribuum) cũ eis. Quia enim, ut liquet ex libris Regum, Regnũ Iuda, idola Regni Israël, Deo contempto coluit, & supraquam dici poßit, fornicatione idololatriæ insaniuit. Eze. 23. ita ut eius comparatione, Sodoma & Samaria pro iustis haberetur. Eze. 16. oportuit, ut qui socij fuerant criminis, socij quoq; essent flagelli.

In gregibus suis, & in armentis suis, uadent ad quærendum dominum, & non inuenient. Ablatus est ab eis.

Subsannat carnaliũ sacrificia, qui seducti à præscripto fornicationũ spiritu, putant deum his placari posse. Sic enim de illo sentiunt, sicut de idolis quæ in suum interitum colũt, quasi externa sola, ut homines quærat, illisq; oblectetur. Quorum iudicium abominatur Deus. Nimirum pro nihilo habet externa hæc, & ueritatis confeßionem amat. Hinc psal. 49. ait. Nunquid mãducabo carnes taurorũ, aut sanguinem hircorũ potabo? Immola deo sacrificiũ laudis, et redde altißimo uota tua. Ecce quæ sacrificia amet Deus, nempe, sui nominis laudem, et uota nostra.

Laudat illum, qui se peccatorem, miserum, iniustum, & eum solum undequaq; iustum esse sentit. Laudat illū, qui omne bonum ab eo esse profitetur, illiq; soli ob id gloriam reddendam, quòd solus ueritas sit. Laudat itidem eum qui sua eloquia toto corde amplectitur. Qui autem istis opposita facit, illum uituperat & blasphemat. Cæterum illi sua uota reddit, qui omnia uota siue desyderia cordis sui, in eum dirigit. Non intelligitur quod homo implere teneatur, quidquid promisit. Siquidem aut promissum est contra uerbum Dei, quale est ustis uouere perpetuum cælibatum, & uota peregrinationum ad sanctos, ac monastice, et tum impium est illa seruare: Aut est secundum uerbum Dei, & tum si fidelis es, nihil magis cupis quàm illud seruare, & includitur in eo quod diximus. Redde illi uota tua, id est, desyderia, ut eū solum, & quæ secundum uoluntatem eius sunt, toto corde concupiscas. Hæc sunt quæ à nobis exigit Deus, non taurorum & uitulorum sacrificia.

Vadent, inquit, isti ad quærendum dominum. Quomodo? Puro corde & ex fide? minime, sed in hypocrisi & mendacio, offerentes suas oues, suosq; uitulos sine spiritu & fide, quod nihil minus est, quàm deum quærere. Proinde non inuenient eum. Nunquam enim ab hypocritis inuenitur, etiam si in hoc sibijpsis multoties adulentur. Non est enim illis pars in domino, tametsi non raro dicunt. Domine, Domine. Nemo plus Antichristis, in id genus sermonibus, sibi multa promittit. Sed uana est, omnis

mnis spes eorum, quod deum à se pepulerint, unde uicissim ab eo repulsi sunt, ut in eo hæreditatē minime habeāt. Propter quod de pseudoisraelitis dicitur, quod dominus ablatus sit ab eis. O grauißimum iudicium Dei, ut ille auferatur à nobis, sine quo fieri nequit, ut nō pereamus. Longe sit à nobis hæc tua longe durissima & terribilis manus, ut te à nobis subtrahas. Omnia sana ubi es, quo absente, omnia perturbata, & intranquilla. Mane nobiscum domine, & sufficit, etiam si alia cuncta auferantur. Quod si omnibus abūdamus, & abes, quid nisi mors & perditio eße potest?

In domino prędaricati sunt, quia filios alienos genuerunt.

Contra Dei iußionem, duxerunt alienigenas uxores, è quibus filios alienos genuerunt. Hoc multoties Israelitæ fecerunt. Vt 1. Esdre. 10 clarum est cernere. Quia ergo uoluerunt adcipere uxores alienigenas, è quibus filios alienos genuerunt, ab ipsis uxoribus adlecti, præuaricati sunt à Domino, sicut Solomon, cuius mentem mulieres alienigenæ peruerterunt. 3. Reg. 11. Sed & aliter quoq; hic textus exponitur, nō quod sint diuersæ expositiones, sed quòd ambæ intelliguntur hoc loco. In domino, inquit, præuaricati sunt, hoc est, non adquieuerunt præceptis eius, sed in hoc specialiter, quòd genuerunt filios, qui eorum exemplo facti sunt alieni à me. Sic enim docebāt eos, ut patrum iniquitatem filij imitarentur.

Nunc

Nunc deuorabit eos mensis, cum partibus suis. Clangite buccina in Gabaa, tuba in Rama. Vlulate in Bethauen, post tergum tuũ Beniamin. Effraim in desolatione erit.

Quidam sic enarrant. Nunc deuorabit eos mensis Iulij, quo Rabi Salo dicit captam Samariam. Ego puto melius si attendentes scopum spiritus, dicamus. Nunc idest, cito deuorabit eos mensis, sensus est: Breui deuorabuntur. Modico enim tempore, breue tempus capitur. Demum non sumus certi, quod mense Iulio, decem tribuum Regnum euersum sit. Verum quocunq; tempore factum fuerit, certum est, quod mensis erat. Certũ quoq; est, quod hoc loco, mensis designat aliquod tẽpus, quo Deus ab æterno præfinierat, ut Israël rueret. Itidẽ absq; dubio is est Prophetiæ scopus, quod id cito fieret. Nam hic nunc pro cito ponitur.

Dicit igitur. Cito deuorabit eos mensis, cum partibus suis, idest, terra quam partitam iuxta tribuum numerum, poßidebant. Deuorati quippe fuerunt, cum partibus terræ ab eisdem poßessis. Nam Israël translato in Assyrios, Rex Assyriorum posuit alias nationes in Samaria & urbibus suis. 4. Reg. 17.

In Hebræo habetur, nunc deuorabit eos rubigo, & cleros eorum, quod & 70 transtulerunt, tametsi non abnego, recte à Hieronymo, Symmacho ac Theodotiano esse translatum, qui mensem posuerunt. Verum siue mensem

sem siue rubiginem dixeris, idem sensus manet. Nimirū per rubiginem tribulatio, & quodcunq; Dei flagellum, quo fuit cōsumptus Israël intelligitur. Et sic ordinatur textus. Nunc, id est, cito, rubigo, id est, bellum, captiuitas & alia aduersa, deuorabit, id est, consumet & euertet eos, & cleros eorum, id est, sortes & possessiones siue terminos, ut sunt termini terrarum. Sic & capitur illud psal. 68. Si dormiatis inter medios cleros. Vt autem efficacius futuri mali ac grauissimæ manus domini certitudinem immitteret, subiunxit. Clangite buccina &c. Gabaa & Rama ex tribu Beniamin. Bethauen uero, quæ quondam Bethel, hoc est, domus idoli, quæ quondam domus Dei dicebatur, ex tribu erat Effraim, nō longe posita à tribu Beniamin. Dicit ergo: Vos qui estis in tribu Beniamin, clangite buccina, ut resistatis malo quod imminet decem tribubus, ne simile uobis contingat. Nam tribus Effraim, quæ est à tergo tuo, id est, iuxta te, ò Beniamin, in desolatione erit. Et uos Effrataei qui estis in Bethauen, ululate, clamate, ingemiscite. Q. d. Certissime euertemini. Hæ inculcationes, eò tantum spectant, ut certitudinem indicent, palamq; fiat omnibus, quàm fieri nō possit, ut uerbum Dei non impleatur.

Gabaa collis, et Rama excelsa īterpretatur. Proinde non inconcinne, imò forsan concinnius quàm aliter, hæc duo uocabula adpellatiue sumerentur. Quod & Septuaginta, magis adrisit. Sic enim transtulerunt. Clangite tuba super colles, sonate super excelsa. Verisimilius etenim

est,

est, quod in pluribus & eisdem excelsioribus locis tribus Beniamin id factum fuerit, quàm in solis urbibus Gabaa & Rama.

Obseruandum, quod specialiter adloquitur & ad lamentum inuitat Bethauen, quod idolum ibi esset. Siquidem ululatus, fletus & planctus, his maxime congruit, qui habitatio idolorum ac dæmoniorum facti sunt. Porro quemadmodum spiritussancti templa sunt fideles: Ita hypocritæ & increduli, templa sunt idolorum. Quid enim habent in cordibus suis impij omnes, nisi idola & figmenta sua? Vlulate & uos omnes in Bethauen, in domo scilicet idoli Antichristi. Nam potentia uerbi domini, reuelata est ignominia eius, & illius efficacia, cum sua fornicaria Babylone, in proximo cadet & prosternetur. Vos autem ò Beniamitæ, ô filij dexteræ altißimi, clangite super colles & excelsa, id est, ubiq; & patenter, tuba sermonum domini, ne forsan eorum defectu, etiam contingat uos male perire.

In die correptionis, in tribubus Israel ostendi fidem.

Ecce quod ante diximus, Deum uelle sermonum suorum certitudinem cunctis palam fieri. In diebus, inquit, correptionis, id est, flagelli & punitionis, ostendi in tribubus Israël fidem, id est, ueritatem sermonum meorum. Dum enim illos implet, quàm sint fideles & ueri, notum facit. Ostendi ponitur in præterito, iuxta phopheticum morem. Quod enim decreuit omnipotens Deus, tametsi

futurū

futurum est, haud secus, atq; præteritum Prophetæ multoties nunciarunt, q, fieri non poßit, ut tempore à Deo præfinito non fiat. Sic autem capiuntur id genus locutiones. Ostẽdi .i. decreui ostendere, pcußi .i. decreui pcutere &c.

Facti sunt Principes Iuda quasi adsumentes terminũ, super eos effundam quasi aquã, iram meam.

Qui è Iuda carnales erant, animo fixerant, ut si iuxta sermonem domini, tribus reliquæ delerentur, augerẽt terminos regni sui, nõ obseruantes, q, sorte Deus tradiderat cuilibet tribui suam portionem. Propter quod Deus eorũ cupiditatem simul & ambitionem odiens, dicit se in eos effusurum iram quasi aquam, id est, punitionem repente, in nihil tale expectantes uenientem, quam illi reprimere non possent, sicut neque uirium hominis est, posse reprimere pluuias.

Eiusmodi sunt, qui aliorum detrimentis & malis uolunt ditari, quorũ (heu) numerus, ferè innumerus est. Dispice totam filij perditi Synagogã, nunqd nõ talis sit, quæ nedũ terrenis aut corporeis malis, sed etiã animi morbis, id est, peccatis, suos prouentus auget. Sic ditantur prohibẽtes coniugia, dum scorta concedunt, et spurij multiplicantur. Neq; aliud magis optant, quàm lites, & ut quis ab exsecrabilibus eorum decretis deficiat, ut inde ansam habeat efficacius multa rapiendi. Gaudent sacrifices & pharisæi sepulturis, eorum autem tyranni criminibus, quo fiat, ut plures reperiantur, quibus adferant, rem nocentißimã,

execrabilem, maledictam, Diaboli inuentum, Antichristi mercationem, uenenatam mendaciorum sentinam, robustam uenationem, mendaces scilicet indulgentias Regni sui. Hi sunt, qui ubiq; uolunt domos, uillas, pagos, oppida, urbes, principatus, & regna. Sed illis ait Dominus Esa. 5. Veh q coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, usque ad terminum loci. Nunquid habitabitis uos soli in medio terrae? In auribus meis sunt haec, dicit Dominus exercituum.

Calumniam patiens est Effraim, fractus iudicio, quoniam cepit abire post sordes.

Enarratur a multis hic locus sic: Effraim (Israel) fractus (euersus) iudicio (diuino) est patiens calumniam, ab hostibus, eum opprimētib. Nam tametsi iudicio dei aequissimo, id fieret, illi tamen maligno corde Israelē euertebāt. Sed nō satis pura uidetur haec enarratio. Quā ob causam, aliter dicimus: Effraim, per quem totum Israel, qui est fractus iudicio, q nō habeat in se iudiciū Spiritus Dei, sed spiritus fornicationū, secundum idem fractum iudicium, est patiens calumniam. Qua. di. Male sentit & iudicat de me, uidelicet, q illum iniuste adfligam, & hostium suorum manibus tradam. Sed quare est fractus iudicio? Quoniam, inquit, cepit abire post sordes, id est, idololatriam, & alia quae non conueniunt uerbo meo. Huic autem expositioni congruunt, quae sequuntur.

Et ego quasi tinea Effraim, et quasi putredo domui Iuda.

Qua. di.

... dixi. Effraim perperam de me sentit & iudicat, ... ipsum impium iudicium citius euertetur. Nam ego flagellis durißimis cito absumam eum, sicut uestimentum tinea breui consumitur. Domum autem Iuda tardius euertam, & sensim absumam, quemadmodum sensim aliquid putrescit, aut immundicie, aut humefactione, aut similibus, donec deficiat gloria temporanea, propter quam in me extollitur.

Hinc argumentum habes, quòd quisquis fracto reprobatione iudicio, aliter quàm oporteat, de Deo sentit, et illius admirabilia iudicia, carnalia esse putat, uelut tinea cito absumetur, nec permanere ualebit. Nam quid horrendius, quam damnare iudicia impenetrabilia Dei altißimi? Iustus quippe est in omnibus uijs suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Psalmo. 144.

PARS TERTIA.

Et uidit Effraim languorem suum, & Iudas uinculū suum. Et abijt Effraim ad Assur, & misit ad Regem ultorem. Et ipse nō poterit sanare uos, nec soluere poterit a uobis uinculum. Quoniam ego quasi Leena Effraim, & quasi catulus Leonis domui Iuda. Ego capiam, & uadam: tollam, & non est qui eruat.

Liquet. 4. Reg. 17. q. Osee ultimus Rex decem tribuum, factus est tributarius Salmanasar Regi Aßyriorum.

orum. Factum est autem, ut idem Osee uolens negare tributa Aßyrijs, petierit auxilium à Sua Rege Aegypti, aduersus dictum Regem Assur. Quod ubi ille resciuit, uenit contra Regem Israël, et uinctum misit in carcerem, obsessaq; tribus annis Samaria, tandem cepit eam, et transtulit Israël in Aßyrios. Sic nihil profuit, q. Rex Osee auxilium Regis Aegypti implorauerat, nimirũ uolente Domino affligere Israëlẽ, homo nõ potuit liberum facere eum. Nam quis impediet, ne decretum excelsi compleatur?

Hoc est, quod Dominus ait: Vidit Effraim, id est, Israël, languorẽ suum, id est, debilitatem suã, qua nõ potuit obsistere Regi Aßyriorum, et Iudas, sup. agnouit, uinculum suũ, id est, captiuitatem, qua sub Nabuchodonosor adstringebatur. Et abijt Effraim (Israël) ad Assur, Regem Aßyriorum, illi tributa soluens. Demum, ut liberaretur ab ipsis tributis, misit ad Regem ultorem, id est, Regem Aegypti, ad quem etiã misit Sedechias Rex Iuda, ut à manu Nabuchodonosor liber fieret. Hiere. 37. Et ipse Rex Aegypti, non poterit liberare uos, Israëlem scilicet, & Iudam, nec soluere poterit à uobis uinculum, tam tributorum, quàm captiuitatis. Aut (quod perfectius dictum puto) uinculum diuini decreti, quo illos tum captiuandos ab æterno præfinierat.

Sequitur: Quoniam ego ero quasi leena, Effraim, Regno Israël, id est, mox perdam, ut leena, quæ cito rapit, & perimit. Et ero domui Iuda, perinde atque leonis catulus, paulo mitius cum ea agens, quàm cum domo Israël.

Leonis

Leonis siquidem catulus non est tam sæuus ut leena. Nam irreparabiliter delebo Regnum Israël, Regnum autem Iuda minime. Flagellabo quidem Iudam, sed non euertam. Quare? Nonne aliquoties quæstus es, quòd domus Iuda plus offenderit Israële? Quid ergo non cædis grauius Iudam. Non est personarum adceptio apud te. Ephes. 6. Coloss. 3. & actor. 10. Propter CHRISTVM, ut ei lucerna seruaretur. Oportuit enim ut à Iuda non auferretur sceptrum, neque dux de fœmore eius, donec ueniret, qui mittendus erat. Genes. 49. Nam per quem misereri oportuit domus Iuda, nisi per eum, qui ut misericordiam in illum credentibus promereretur, in carnem uenire dignatus est? Is est unicus Rex misericordiæ, uita, dulcedo, & spes nostra, qui secum Reginam non compatitur. Ipse est fons omnis boni. Quo aliquid tollenti, nemo ei contradicere potest, neque potest à flagellis quispiam aliquando liber fieri, præter eum quem ipse eripuerit. Propter quod ait: Ego capiam &c.

Vadens reuertar ad locum meum, donec deficiatis, & quæratis faciem meam.

Cœlum & terram implet Deus. Hier. 23. Quis ergo est locus iste suus, in quem se iturum dixit? Aut nunquid locũ mutare potest, qui immutabiliter ubique est? Hic claudicat Physicorũ definitio, ut uera sit locutio hæc: Omnis locus, eius est, qui omnia implet, sed non sic, ut dicatur esse circumferentia corporis continentis. Incircumscriptus nanque est Deus, nullóque termino concluditur. Nimirum

semper est intra omnia, extra omnia, infra omnia, & simul supra omnia. Interminus es Domine, atq; illimitatus, nos & alia cuncta, circumscripti, & absq; ullo termino, aut limite sumus. Omnia in pondere, numero, & mẽsura adpendisti. Iob. 28. Tu autem semper immẽsus es. Semper quoq; inuariabilis manens, das cuncta moueri.

Quid est ergo quod dicitur? Deus abit, uenit, aut reuertitur, à loco suo, uel in locum suum. Primũ, sentiendum, q. Deus semper est in loco suo, qui nõ est alia res ab eo, quemadmodũ scriptum est: Excelsus & sublimis, habitas aeternitatem. Esa. 57. Rursumq;: Et lucem habitat inaccessibilem. 1. Timoth. 6. Quid est, lux inaccessibilis, atque aeternitas, nisi Deus? Porrò multoties locus dicuntur, templum Dei, caeli, electique, non ob aliam causam, quàm q. aliquid specialiter in eis operetur.

Deus quoq; ad aliquem locũ uenire aut reuerti dicitur, cũ inuariabilẽ praesentiã suã aliquo effectu indicat. Sic dei unigenitus, qui ubiq; semper erat, de caelis descẽdisse, & in carnẽ uenisse dicitur, cũ praesentiã suã in assumpta humanitate ostẽdit. Indubie enim in terris erat, qui carnem adsumpsit, & tamẽ eius praesentia nõ tam parẽter agnoscebatur. In caelos aũt ascendisse dicitur, cũ ipsam carnis substantiã in caelos sustulit, ac in patris dextera sedit. Et nihilominus in terris adhuc est, qui ipsi humanitati in caelis est indiuisibiliter copulatus. Sic quoque ad nos uenire dicitur, dum ipsam suam praesentiam, aliquo effectu indicat, a quibus tum abscedere dicitur, cum nihil tale operatur. Venit dum

dum iuuat: abscedit, cum ipsum auxilium subtrahit: reuertitur autem, cum subtractum auxilium reddit.

Vbi autem de flagellis & iudicijs Domini agitur, dicitur uenire, dum flagellum immittit: abire, dum cessat manus eius: redire autem, dum iterum punit. Exempla paßim offendes. Tantum obserua, ut scopum Spiritus attingere poßis, quid uidelicet in summa uelit textus, quem intelligere cupis. Tum ad id facile peruenies, ut singulos eiusmodi locos percipias.

His præsuppositis, patet hic textus.

Venit ad Israëlitas Deus, cum eos toties iuuit, & haud secus atque delicatam oculi pupillam custodiuit. Ab eis abijt, & reuersus est in locum suum, cum non protexit illos ab hostibus, quin potius uoluit, ut ab eis euerterentur, & in captiuitatem ducerentur. Ad eos autem redibit, cum in nouißimo dierum eos suo Spiritu illustrabit, & ingressa gentium plenitudine, Israël quoque introibit, ut suprà in fine tertij capitis uisum est.

Quod dicitur: Vadens reuertar, ad phrasim Hebræi sermonis spectat. Dicit autem more hominis se abscõdere uolentis: Vadens reuertar in locum meum. Sẽsus autẽ est: dimittam eos, & illis haudquaquàm auxiliabor. Sed quousq; clementißime Deus eos deseres? Donec deficiant, & quærant faciem meam. Ergo non quærebant faciem Domini, neq; usq; in hunc diem eam Iudæi quærũt. Quærent autem, cum omnino defecerint. Dicebant illi: Diuites su-

 mus,

nus, & locupletati, ac nulla re indigemus. Templū Domini nobiscū est, habemus excelsa, phana, lucos, altaria &c. Habemus itidem patrū traditiones. Sicq; fidebant in sermonibus mendacij, faciem autē Domini non quærebant, q. non prius ab alijs deficerent. Nemo enim faciem, id est, gratiam Domini, uere quærere potest, præter eum, qui ab alijs omnib. etiā à seipso defecerit. Fidunt adhuc etiam hoc tēpore Iudæi scientiæ legis, iustitijs opum, & patrib. suis. Proinde faciē Dei quærere nequeunt. Cū Deo illis suum Spiritum misericorditer immittēte, ab omnib. defecerint, ita ut noscāt, nulli omnino rei fidendū, preterq̄ soli Deo, tum quærent faciem Domini, & Dauid, id est, Christi Regis sui, & pauebunt ad bonum eius. Suprà capite tertio.

Hæc quoq; est causa, ppter quā Antichristi coniuratio non quærit faciē Domini, q. nō defecit à se & cūctis creatis. Fidit suis inuētis, somnijs, traditionib. bullis, preculis, sectis, uotis fallacib. spurciss. cælibatui, ceremonijs, cucullis, operibus, ac reliquis id genus externis, quæ quoniam illis, Deo, & Christo, ac ueritate eius contemptis, fidunt, abominationes coram illo sunt. Fac Domine, ut cito à nobis deficiamus, & quæramus faciem tuam. Incraßati quandoq; miseri, impinguati, dilatati, tibi recalcitramus, his quæ nobis tradidisti adhærētes. Sed tu Domine miserere nostri. Adflige nūc oportune, ut discamus experimēto, quàm intutum sit, fidere, & non deficere, ab uniuersis conditis, ut cum ab eis tuo Spiritu illustrati defecerimus, te solum expetamus.

Cap. S. Primum exprimuntur adfectus, eorum qui à se deficiunt, & quærunt faciem Domini. Secundo, increpantur & arguuntur, qui idem facere nolunt, quin potius à Domino in suum interitum deficiunt, ac alijs fidere uolunt.

PARS PRIMA.

CAPVT VI.

IN tribulatione sua, mane consurgent ad me. Venite, & reuertamur ad Dominum, quia ipse cepit, & sanabit nos: percussit, & curabit nos.

IMpoßibile est, ut ueri Israëlitæ, hoc est, electi, qui sunt uerum semen Israël, tempore à Deo præfinito, à se, et uniuersis conditis non deficiant, & quærant toto corde faciem Domini. Proinde, tametsi totius Israëlis conuersio, post ingreßam in Christi Ecclesiam gentium plenitudinem, in dierum nouißimo est futura, tamen electi ex eis, oportune à seipsis defecerūt, deficiuntq; indies, quærētes gratiam Domini per Christum. Quod & de his quoque intelligitur, qui Seruatoris præceßere aduentum. Nam ab orbe condito, per solum Christum electi gratiam consecuti sunt. Nimirum non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo nos oporteat saluos fieri. Actor. 4.

Porrò electi multoties à Deo apostatant, & alijs ab eo fidunt. Propterea tum faciem eius quærere nequeunt, nisi in hypocrisi et mendacio, quod nihil minus est, quàm quærere Dominū. Adfligit tum eos Dominus, etiā ex his, quæ amant, ut discant experimēto, quàm nihil sint omnia, quibus fidunt, & à quibus Dei causa deficere nolunt. Verum nō proinde toto corde resipiscere possunt, nisi eos ad id docuerit Spiritus sanctus. Quo præsente et erudiente, agnoscunt quàm fœde aberrarint, deficiētes à Deo uiuo & uero, pro cæteris, quæ illius respectu p stercoribus habenda sunt. Dolent tū puro corde, & nō inuenientes in rebus cōdictis, unde uere consolētur, deficiunt ab eis, & illa abominantur. Deficiunt quoq; à seipsis, scientes, q. nulla arte, nullàue industria, possint ab animi inquietudine, ac malis quæ sustinent, liberi fieri. Fatentur unū tantum consolatorem uerum, quo percutiēte, nemo sanat, quo flagellāte, nemo ab eius manu eripit, nisi ipse primum id fecerit.

In eiusmodi ergo tribulatione eorum, fit miserante Deo, ut cupiant faciem, id est, gratiam Domini. Consurgent ideo, & se inuicem adhortabuntur, ut reuertantur ad eum. Consurgent autem mane, id est, diligenter, & sine pigritia. Sic mane in Scripturis multoties capitur, ut Psalmo quinto: Mane adstabo tibi, & uidebo, quoniam non Deus uolens iniquitatem tu es. Et Prouer. 8. Qui mane uigilant ad me, inuenient me. Non enim capi potest, pro tempore matutino, quia non plus mane, quàm meridie, aut uespere, aut in noctis profundo,

uidetur

uidetur aut reperitur Deus, sed quoties solicite & ex spiritu quaeritur, indubie & uidetur & reperitur. Quia enim uiri industrij & in negocijs soliciti, mane ad ipsa negocia festinant, idcirco ipsa electorum diligentia, per mane designatur. Sunt qui per mane, spiritus illustrationem capiunt, quod tum primum in eorum cordibus, Solis iustitiae Christi radij amabiles inclarescant. Quam enarrationem spernere nequeo, quod simul cum priore stare possit. Nam mane quidem surgunt ad dominum fideles, id est, diligenter, sed non nisi mane diei gratiae, in eorum corde lucente. Diem gratiae dixi, non quod gratia sit aliqua lux, sed quod his qui sunt in gratia dei, id est, grati deo, lux uera illucescit.

Venite, inquiunt, & reuertamur ad dominum. Ecce quod qui à seipsis ac omnibus conditis, deficiunt ad dominum, nedum salui fieri cupiunt, sed & alios ad idem prouocant, et docent. Haec est dexterae excelsi mirifica immutatio, quae facit, ut omnino aliud quàm ante sentiant & uelint. Nam prius dicebant illud Sap. 2. Venite ergo fruamur bonis quae sunt &c. & illud Prouer. 1. Veni nobiscum, insidiemur &c. Nunc dicunt. Venite, & conuertamur ad dominum. Fiunt Prophetae Dei, qui ante odiebant & persequebantur, tam ueritatem, quàm prophetas eius. Sic Paulus factus est, è crudeli ueritatis hoste & persecutore, acerrimus illius adsertor ac propugnator.

Sed quid prophetant? Quia ipse cepit &c. In Hebraeo

Hæbræo habetur. Quia ipse diripuit, & reddet nobis, percutiet, & uulnera adligabit. O amabilem uere fidelium sermonem. Fatentur opus dei fuisse, quod direpti et percussi sunt, non opus tantum hominum. Sciunt iam, quòd impijs quasi uirga Deus utatur, ad electos castigandos, in eorum æternam salutem.

Multaq; fiducia profitentur, quòd illius sit reddere, qui abstulit: & adligare uulnera, qui percussit, ipsumq; id facturum, non dubitant. O quàm rarus est, qui possit hæc uere profiteri. Nam solum id potest, qui uere & firmissime credit. Volunt ergo his sermonibus, ut suo exemplo, omnes æquo animo ferant Dei manum, certißimi, quod omne flagellum ab eo æquißime immittitur, à quo ueri credentes oportune liberantur. Nihil mireris, quòd hic ponitur diripuit, in præterito, percutiet autem, in futuro. Nam frequenter in arcanis literis, specialia tempora, ut hic, pro semper ponuntur. Semper enim diripit et reddit, cum aliquid diripitur, aut redditur: percutitq; & sanat, cum aliquis percutitur & sanatur. Omnia siquidem ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt, ipsi gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen. Rom. 11.

Viuificabit nos post duos dies, & in die tertia suscitabit nos. Et uiuemus in conspectu eius, sciemus, sequemurq;, ut cognoscamus dominum.

Arduus admodum est hic locus, ideoq; à uarijs uarie expositus

expositus, quorũ opiniones adcumulare hic nolui, quòd ad curiositatem, magis quàm ad ueritatem ac pietatem faciant. Ego nihil dubitarim, errata esse quæ nonnulli hic commentantur. Introspiciendus est spiritus scopus, & tum quasi ex filo pendebit, & nota fiet enarratio eius. In fine cap. præce. ait dominus se derelicturum Israël, quousq; deficerẽt, & quærerent faciẽ suam. Demum in hoc cap. electi deficiẽtes, & tribulati, redire dicũtur ad dominum, ad idq; alios commonefacere, dei quoq; gloriam prædicare, uidelicet quod diripuerit &c. Nunc prosequentes uerbum salutis, aiunt. Viuificabit nos &c. quæ uerba non poßunt intelligi, nisi de eo qui est uera uita, nempe, Christo, qui de seipso dicit. Iohan. 14. Ego sum uia, ueritas, & uita. Sine quo mortui sumus, & per quem solum, à crudelißima peccati morte resurgere ualemus. Certum est enim, quod ab huius capitis initio Deus loquitur, & quid in electis suis operetur palam facit, di. In tribulatione sua, mane consurgent ad me &c. Prænunciat ergo hic Deus, in quo uiuificemur, indubie non nisi in Christo, & id quidem post duos dies, hoc est, in die tertia. Alterum enim alterius enarratio est. Nam quis dies, est post duos, nisi tertius? Prima die Christus mortuus est. Secunda, in sepulchro quieuit. Tertia à mortuis resurrexit. Et cum eo fideles primum crucifigunt carnem, ut Deo adquiescant, spoliantq; ueterem Adamum, id est, concupiscentias suas, adfliguntur, et conteruntur, q; dereliquerint dominum, & à se ac reliquis omnibus deficiunt. Et dum

p̄ri9 dum sic domini crucifixi exempli fiunt, hoc illis est pri-
mus dies. Secundo, in sabbato requieta spe, ueræ resurre-
ctionis, quòd scilicet spiritu, per Christum uiuificabun-
tur, quasi sepulti manent, descenduntq; ad inferos, id est,
in summam desperationem omnium creatorum, & odi-
um uitæ præcedentis, cum ingenti mœrore. Electis namq;
uere resipiscentibus, præteritæ conuersationis memoria
Secūdus infernus quidā est. Et hic est dies secundus. Postremo, sic
mœrentibus & desolatis, atq; ab omni reato prorsus de-
ficientibus, aduenit Paracletus, id est, consolator, reno-
uans eos, certosq; faciens, q̄ omnia eorū peccata, sint eis
Tertius: remissa. Et hic est tertius dies, quo uiuificātur. Nam qua-
si in die primo sunt, dum Christo commoriuntur, crucifi-
gentes ueterem hominem cum actibus suis, in secundo dū
ueteris conuersationis mœrore torquentur, deficiuntq;
ac desperant ab omnibus creaturis, scientes quod ab eis
consolari nequeant, quod est, quasi in inferno esse, tamē
si propter ueræ per Christum resurrectionis ac renoua-
tionis spiritus sancti, spem certissimā, quasi in sepulchro
tum quiescunt. Vbi autem deo miserante renouātur, qua-
si in die tertio, nempe, resurrectionis, à Deo uiuifican-
tur. Propter hos dies ait Paulus Rom. 6. Quicunq; ba-
ptizati sumus (per aquam & spiritum simul, aut per so-
lum spiritum) in christum IESVM in mortem eius ba-
ptizati sumus (Ecce primū diem) Sepulti igitur sumus
una cum illo per baptismum in mortem, (Ecce diem se-
cundum) ut quemadmodum excitatus est Christus, ex
mortuis

mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus (Ecce diem tertiū) Nam si insititij facti sumus illi per similitudinem mortis eius, nimirum & resurrectionis participes erimus, illud scientes, quòd uetus ille homo noster, cum illo crucifixus est, ut aboleretur corpus peccati, ut posthac non seruiamus peccato. Etenim qui (sic) mortuus est, iustificatus est à peccato. Quod si mortui sumus cum CHRISTO, credimus quòd & uiuemus cum illo. Scientes quòd Christus excitatus à mortuis, nō amplius moritur, mors illi non amplius dominabitur. Nam quòd mortuus fuit, peccato mortuus fuit semel (ut peccatum aboleretur) quod autem uiuit, uiuit deo. Ita & uos existimate uos ipsos, mortuos quidē esse peccato, uiuentes autem Deo per Christū IESVM dominum nostrum.

Sunt quoque nonnulli, qui hunc locum, sic enarrant. Viuificabit nos post duos dies, id est, breui, & die tertia, id est, confestim, & sine longo tēporis interuallo, suscitabit nos. Breue namq; tēpus, paucis diebus significatur. Alij uolūt ut iste sit sensus, q. fideles, in tribulatione positi, id mutuo dicant, quo se mutuo cōsolentur, q. Dei summa bonitate, mox ab omni malo eripientur. Quasi enī sint mortui, qui deiecti, & in graui angustia positi sunt. Qui tum uiuificantur & suscitātur, dum ab ea, qua premuntur, angustia, liberi fiunt. Hinc dicitur. 1. Reg. 2. Dominus mortificat & uiuificat, deducit ad inferos, & reducit. Dominus pauperem facit, & ditat, humiliat, & sublevat.

subleuat. Suscitat de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem. Et psal. 112. Suscitans de terra inopem, & de stercore erigens pauperem. Quam interpretationem non refellimus. Vtraq; enim uera est, & textui, harum nulla dissentit, tametsi prior uidetur propior esse scopo. Nam indubie hic textus de uiuificatione, & cæteris, quæ ex CHRISTI fide consequimur, intelligitur. Vnde & sequitur.

Et uiuemus in conspectu eius, in conspectu Dei uiuunt, in quibus est uera uita Christus. Nam tantum qui sic uiuunt grati sunt domino. Gratia autem per id significatur, quod dicunt, in conspectu eius. Nimirum eiusmodi locutio, simul & quod Deus noscat & adprobet, significat. Porro ubi est, Dei adprobatio, siue gratia, & uera uita ex fide, ibi est & scientia Dei ac sanctorũ. Propter quod subiungitur. Et sciemus. Quia demum ad ipsam dei scientiam, sequitur obseruatio ueritatis cognitæ, et Christi imitatio, ideo aiunt. Sequemurq;, non dubium quin ueritatem cognitam, & Christum. Vbi autem est Christi imitatio & obseruantia uerbi dei, ibi & adaugetur ueritatis cognitio. Proinde posteaquã dixerunt, sequemurq;, subiunxerunt. Vt cognoscamus dominum. Qu. d. Certi sumus, quod ubi sequuti fuerimus dominum ac ueritatem eius, illum indies perfectius agnoscemus. Iustorũ quippe semita, quasi lux splendens, proficit et crescit usq; ad perfectam diem. Prouer. 4. Hinc habes manifestissimum argumentum, quod nullus potest cognoscere dominum,

nisi

nisi Christum, ueritatémque illius toto corde sequatur.

Obserua, quòd electi & credentes, quorum sunt hi sermones, nihil horum dicere possunt, sine Spiritu Dei, & uera uita, qui est Christus. Sic enim dicunt: Viuificabit nos, sciemus, sequemur, ut tamen etiam tum sciant, in eo uiuant, eumq; sequantur. Sed hinc ostenditur, quòd sic facti sunt Christi participes, ut semper in illo perfici concupiscant, sicut & Deo miserante fit.

Quasi diluculum, præparatus est egressus eius, & ueniet quasi imber nobis tẽporaneus & serotinus terræ.

Christi egreßus, id est, aduentus eius, siue in carnem, siue in fidelis mentem, est perinde atq; diluculum. Nam sicut oriente sole fit diluculum, ita exoriente Christo. Siquidem est uerus sol iustitiæ. Mal. 4. Vobis timentibus Deum orietur sol iustitiæ. Est quoq; lux uera, omnẽ hominem in se credẽtem illustrans. Ioã. 1. Et ipse de seipso dicit. Ioã. 8. Ego sum lux mundi. Et ab eo illuminati, lucis filij adpellantur. Ephes. 5. Felix est, qui uidet hunc diem Christi, in quo solo est uerus splendor & perfecta claritas, quæ manet in sempiternum. Hanc lucem eius non tribuunt sol, neque luna, neque stellæ, sed solus ipse uerus Sol iustitiæ. Proinde Ecclesiæ dicitur: Non erit tibi amplius Sol, ad lucendum per diem, nec splendor Lunæ illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultrà Sol tuus, & Luna tua non minuetur, quia Dominus erit tibi in lucem sem-

 piternam.

piternam. Et Apocalypſ. 21. Et ciuitas non eget Sole, neque Luna, ut luceant in ea. Nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius eſt agnus.

Sequitur: Et ueniet quaſi &c. Totam CHRISTI uitam, & eius Spiritum ac doctrinam, prius nomine diluculi intellexit, nunc uel multo maxime ipſam doctrinam imbre temporaneo & ſerotino uult deſignari.

Veh, ueh Antichriſto, & Tyrannis ſuis, hunc imbrem interdicentibus, ne in ſalutis æternæ fructum eo fideles irrigentur. Nunquam enim fieri poteſt, ut hi Dei eloquiorum imbres fruſtra deſcendant, quemadmodum Eſa. 55. Dominus ait: Quomodo deſcendit imber & nix de cælo, & illuc ultrà non reuertitur, ſed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti, ſic erit uerbum meum, quod egredietur de ore meo. Non reuertetur ad me uacuum, ſed faciet quæcunque uolui, & proſperabitur in his ad quæ miſi illud. Dicit ergo: Et ueniet &c. Senſus eſt: Quemadmodum imber temporaneus ac ſerotinus eſt utilis terræ, ut fructificet, ita uerbum Domini IESV CHRISTI, fructus in nobis ampliſsimos proferet.

PARS SECVNDA.

Quid faciam tibi Effraim? quid faciam tibi Iuda? Miſericordia ueſtra, quaſi nubes matutina, & quaſi ros mane pertranſiens.

Oſtendit

OStendit Spiritus sanctus in praecedentibus pios electorum & credentium adfectus, nunc incredulorum ceruicem durißimam arguit. Primum autem more hominis, nescientis quid ultrà faciat, ad alicuius correctionem, ait: Quid tibi faciam &c. Qu. di. Maxima sunt, quae feci tibi, et nihilominus adhuc contēnis, et induratus es. Resipisce tandē miser. Per Effraī, regnū Israël capit, uerū nō omnes, sed carnales eiusdē regni tantū.

Sequitur: Misericordia &c. Eorum dicitur misericordia, non quam illi fecerint, sed quam Deus illis tribuit, nēpe dū illos iuuit, eripuit ab hostibus, Prophetas misit &c. Haec, inquam, illis à Deo collata, fuerunt absque fructu, haud secus atque nubes matutina, quae Sole radios mittente soluitur, & terram irrorare non potest, aut sicut ros mane pertransiens, absque ulla utilitate. Sensus est: Tametsi uos multoties iuui, protexi, foui, liberaui &c. nihil ueruntamen facti estis meliores, quin potius duriores, & obstinatiores.

Obserua, quòd haec misericordia, maxime de ea capitur, quam credentes in CHRISTVM consequimur, quam & omnes electi ab initio fide adsecuti sunt. Haec nihil proderat, & operabatur in incredulis, propter quod dicitur illis fuiße, ut nubes matutina &c. non propter ipsam misericordiam, sed propter infidelium cor durißimum, Dei misericordiae neutiquam se coaptans.

Propter hoc dolaui in Prophetis, & occidi eos in uerbis oris mei, & iudicia tua quasi lux egredientur.

Hunc locum quidam sic exponunt: Propter hoc, id est, quia contempsistis misericordiam, quam feci & obtuli uobis, dolaui, hoc est, corripui, & erudiui, ut meliores fierent, in Prophetis, id est, per Prophetas. Demum quod subnectit: Et occidi &c. aduersum falsos Prophetas interpretantur. Ego aliter puto enarrandum. Ad id obserua, ꝙ dolare est fabrorũ complanantium et scindentium ligna. Dolãtur ergo hi, quibus aliquid abscinditur, aut qui abscĩduntur. Demũ certum est ex multis, quæ in superiorib. dicta sunt, ꝙ per id maxime, populi in impietate tenẽtur, ꝙ à pseudoprophetis, non puriß. & impollutam ueritatem Dei, ac misericordiã eius, sed sua mẽdacia, adulationes, & somnia audiunt. Quod ipsis quoq; Israëlitis contigerat. Nam per eos fiebat, ut nulla Dei misericordia meliores fierent, ac fructũ adferrent. Propter quod ait Dominus: Ego dolaui &c. Præteritum, tam pro præterito, quàm ꝓ futuro tempore ponitur. Sensus est: In Prophetis aliquos supple, hoc est, falsos, qui uos seduxerunt, succidi, & abstuli à populo meo. Et uerbis oris mei, id est, secundũ uerbum oris mei, occidi eos, & iudicia tua, id est, flagella & mala, quæ illi tibi adulantes, futura negabant, quasi lux egredientur, id est, manifestißime implebuntur, & cunctis, sicut lux cum egreditur, palàm fient.

Huic enarrationi consonat, quod Septuaginta posuerunt: Propterea succidi Prophetas uestros, & occidi eos in uerbo oris mei, & iudicium tuum, ut lux egredietur.

Veh Prophetis filij perditi, qui fidelium populos sua figmenta docent, & seducunt eos, dicentes: Pax, pax, & uere non est pax, nisi his, qui hærent sacrosanctis eloquijs Dei. Nam etsi absque cruce esse nequeunt, & in mundo pressuras multas perferunt, in CHRISTO ueruntamen pacem illam, quæ omnem sensum exuperat, habent, etiam inter uincula, ignes, & gladios. Ioan. 16. Impijs autem, non potest esse uera pax, sed tantum mendax & fallax sæculi tranquillitas, quæ nihil minus est quàm pax. Hi abscondunt misericordiam Dei, & eam subobscurant, facientes nobis ex Patre pijssimo crudelem exactorem, ita ut non poßit quisquam Dei misericordiam tantum inculcare, quantum illi eam nituntur abscondere, & contenebrare. Et quemadmodum à mundi principio, pseudoprophetæ contradicebant misericordiæ, quam Deus per mulieris semen spoponderat, quod semen CHRISTVS est, ita & isti usque hodie faciunt. Verum insaniant, ut uoluerint, hac hora & potestate tenebrarum illis concessa. In proximo etenim est, ut succidantur, & uerbis oris Domini occidantur. Adcelera Domine IESV, dißipa gentes has mendaces, potentißimis sermonibus ueritatis tuæ. Dißipentur ossa eorum, id est, omnia quibus fidunt, quoniam hominibus placent, confundentur, quoniam pro nihilo habes eos. Erubescant, & confundantur ualde ualociter.

Quia misericordiam uolui, & non sacrificium, & scientiam Dei, plusquàm holocausta.

Fidelis sermo, & omni adceptione dignißimus, cuius ignorantia, hypocritæ seruos Dei facile damnant. Sic damnabant Pharisæi Christum cum publicanis & peccatoribus manducantem. Matth. 9. Et discipulos cum esurirent, spicas Sabbatis uellentes. Matth. 12. Proinde se damnãtibus, q̃ publicanis conuiueret, ait: Discite quid est: Misericordiam uolui, & non sacrificium. Et discipulorũ factum reprobãtibus, dixit: Si sciretis, quid est: Misericordiã uolo, et non sacrificiũ, nunq̃ condẽnaßetis innocẽtes.

Diximus pauloante, q̃ misericordia, cuius hoc capite Spiritus sanctus meminit, ea maxime est, quæ Christi fide exhibetur, nempe gratia Dei, & peccatorum remißio. Porrò fides ipsa, si uera est, nunquàm est absque Dei misericordia, facitque, ut quidquid fit ex ea, sit operanti in gratiam, & peccatorum remißionem, non ob opus, sed ob fidẽ ipsam. Sic peccata eleemosynis redimũtur. Dan. 4. & id quidem, non ob eleemosynam, sed ob fidem. Sic & oratio bona dicitur, cum ieiunio, & eleemosyna. Tob. 12. Hanc igitur misericordiam uult Dominus, id est, ut ex fide uiuentes, omniaq́; facientes, eius misericordiam consequamur. Sacrificium autem non uult, hoc est, opus quodcunque extrarium, aut ceremonias, sine fide, quòd per hæc, non nisi hypocritæ efficiamur, tantum abest, ut per ea ipsam Dei misericordiam consequi ualeamus.

Is sermo tam dulcis & amabilis est pijs animis, ut nullus æque. Nimirum in omnibus sacris uoluminibus, nullus

lus Dei bonitatem tam mirifice indicat. Cuius est hic sensus: Ego Deus uolui, amaui, dilexi, misericordiam, id est, uestri misereri. Propterea quæcunque fiunt à uobis ex fide, mihi placent, quòd per eam misericordiæ meæ, id est, gratiæ & remißionis peccatorum participes efficiamini. Cæterum quodcunque opus ac ceremoniæ, quæ non sunt ex fide, peccata sunt (Rom. 14.) ideo mihi non placent, quòd per ea, non misericordiam, sed iram uobis thesaurizetis. Volo uos saluos eße, proinde odio, quæcunque uobis misericordiam meam, adeóque ueram salutem non adferunt, nolóque uos hypocritas eße, sed ueros, pios, & synceros. Offero uobis semper misericordiam, ex fide, idcirco fidem exigo, ut misericordiam consequamini. Nolo, ut sicut in incredulis fit, ipsa misericordia quam uobis offero, sit uobis quasi nubes matutina, ac ros mane pertransiens, id est, absque fructu, quin potius opto, ut eam ex fide in uerbum meum suscipiatis.

O misera infidelium corda, quæ pro nihilo habent misericordiam tam neceßariam, & tam clementer illis à misericordiarum Patre oblatam. Et quis satis uim tam pij sermonis agnouit? Fidelis quidem aliquid ex eo consolationis ueræ habebit, quòd nonnihil ex melle abscondito, ob fidem gustet, infidelis autem minime. Siquidem, nec potest quidem. Nam quemadmodum non est omnium fides, ita neque similium Scripturæ locorum intelligentia. Enimuero, sicut gratia & peccatorum remis

stio, ita ueritatis intelligentia, gustus, & consolatio, misericordiæ Domini sunt, quòd per solam fidem omnium eiusmodi efficiamur participes.

Id nesciebant cæci, qui sicut prædiximus, detrahebant Seruatori, cum publicanis edenti. Idcirco ait illis: Non opus habent hi qui ualidi sunt medico, sed qui male habent. Quin potius ite, discite quid sit illud: Misericordiam uolui, & non sacrificium. Quasi dic. Vos hypocritæ condemnatis me, quòd cum publicanis (quos habetis pro criminosis, quibus absque similitudine deteriores estis) manducem. Si iniusti sunt, & animi morbis degrauati, medico indigent, quem & optant, propter quod illis ex animo conuiuo, ut uerbo, quod eos inter comedendum erudiã, sanentur. Vos iustos uos æstimatis, propter quod nõ egetis iustificatore. Nam si ualidi estis, quid uobis opus est medico? Eum qui sanari cupit, necesse est, ut primum se medici opera indigere agnoscat. Ite miseri & cæci, ite, & discite, quid est illud Oseæ: Misericordiam &c. Vultis ubique pro Rabinis haberi, & hoc nescitis, quod maxime Deus uult. Ego unus cum Patre Deus, misericordiam uolo facere, his qui credunt in me. Volo sanare, uiuificare, & iustificare hos publicanos quos spernitis, sentientque ex me ueri & cælestis medici operam. Nam Dei gratiam per me, itidem peccatorum remißionem, ueram iustitiam, ueritatis cognitionem, & Spiritum meum consequentur. Vos autem in uestra hypocrisi derelinquam. Nolo enim sacrificia uestra, & quæcunque opera,

pera, quòd non ex fide, proindéque impietates sint. Mihi enim cuncta displicent. Nam quo mihi uestrarum uictimarum multitudo? Plenus sum. Holocausta arietum, & adipem pinguium, sanguinem uitulorum, & agnorum, et hircorum nolui. Cum ueneritis ante cõspectum meũ, quis quæsiuit hæc de manibus uestris, ut ambularetis in atrijs meis? Ne offeratis ultrà sacrificium frustra. Incensum abominatio est mihi. Neomeniam, Sabbatum, & festiuitates alias nõ feram. Iniqui sunt cœtus uestri. Kalendas uestras, & Solennitates uestras, odiuit anima mea. Facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens &c. Esa. 1.

Hypocritis quoque eisdem damnantibus, q. discipuli esurientes Sabbato spicas uellerent, Matth. 12. dixit Christus: Si sciretis, quid sit: Misericordiam uolui, & non sacrificium, nequaquam condẽnassetis insontes. Qua. dic. Cæci estis, & nescitis uim sermonis huius, proinde condemnastis discipulos, pro re, quæ nihil impietatis admixtũ habet. Vos attenditis solam Scripturæ literam, Spiritum nõ quæritis: isti in Dei fiducia uellũt spicas, et manducãt. Proinde grati sunt illi, & ab eo, ob ipsam fidem, qua hæc faciunt, misericordiam consequuntur. Quod maxime optat Deus. Nam quid uult, nisi ut salui efficiantur electi ex fide? Hoc illi est adceptißimum, ut multa fiducia in solam bonitatem eius, uiuamus, cogitemus, & operemur. Tum quippe illi omnia placent, cum fides adest. Inæstimabilis siquidem est efficacia eius. Qua absente, quid omnia, nisi crimina & impietates? Sacrificia tum abominatio-

nes sunt, nec illa uult Deus. Hinc Psal. 49. Non adcipiam de domo tua uitulos, neq; de gregibus tuis hircos. Hoc est: hæc ex se mihi grata esse nequeunt. Et paulo post. Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis (ex fide) redde Altißimo uota tua (illi soli fidas, & hæreas) Et inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Ecce quàm nihil placeant Deo incredulorum sacrificia & opera.

Quidam sic declarant: Misericordiam, id est, beneficentiam, & opera neceßaria uolui, sacrificium uero, id est, opera nõ necessaria, nolui. Nihil, inquiunt. ꝓsunt opera non necessaria, nisi primũ necessaria ꝓsolueris. Quã expositionẽ, tametsi non reprobo, q. uerum sensum habeat, tamen non est sensus germanus loci huius.

Sequitur: Et scientiam Dei, plusquàm holocausta, supple, uolui. Hæc particula ostendit, qua ratione prior sit intelligenda. Misericordiam enim & scientiam Dei, quæ ad ipsam misericordiam adsequendã uia est, amat & uult in nobis ad nostrã salutem reperiri. Est autem scientia Dei, quæ etiã dicitur scientia salutis & Sanctorum Lucæ primo, & Prouer. 9. scientia fidei, quæ est, fidere Domino, & credere in eum. Apertius: Scientia Dei, est scire, & de hoc nullatenus dubitare, quòd Deus misit unigenitum suum in carnem, ut pro nobis pateretur, ac moreretur, ut quotquot in eum crediderint, salui fiant. Hæc est summa omnium scriptorum Dei, nam Christus est finis le

gis,

gis, ad iustitiam omni credenti. Rom. 10. Hanc scientiam praefert dominus, cunctis externis, imò ipsa externa, quae per holocausta capiuntur, odit atq; abominatur, nisi sint ex fide. Porro ipsa dei scientia, eius misericordiam consequimur.

Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi preuaricati sunt in me.

Peccauit Adam, quòd deo non credidit. Siquidem peccatum eius summum, fuit incredulitas. Nam dum ex infidelitate à dei imagine cecidit, quasi domini misericordiã contempsit. Nimirum facta est illi quasi nubes matutina, & quasi ros mane pertransiens. Cito enim illam perdidit. Propterea comparatus est mox iumentis insipientib. & similis factus est illis. Psal. 48. Tum fuit transgreßus pactum, seu testamẽtum domini, hoc est, praeceptũ, quod à domino adceperat. Eum aũt imitantur, quotquot non habent spiritum Christi. Impoßibile enim est, ut caro adquiescat ueritati, propter quod fieri etiam non potest, ut misericordiam, quàm sola fide adsequi ualemus, à Domino adcipiat. Hinc est quod dicitur. Ipsi autem carnales ex Israël & Iuda, transgreßi sunt pactum, id est, uerbũ testamenti mei, sicut Adam, transgressus est praeceptum, quod à me adcepit.

Vtcunq; tolerabile est, quod praediximus. Verum ego aestimo, rectius translatum si dicatur. Ipsi autem sicut homines transgreßi sunt testamentum uel pactum &c. Adam enim hominem significat, & non uidetur,

quod

quod hoc loco personam Adami designet, sed hominem in generali. Quod & septuag. posuerunt. Est enim huius loci scopus, ut ostendat incredulos ex Israël, cõtempsisse eloquia domini, & misericordiam eius, ob infidelitatem. Sic ergo hic textus enarretur. Ipsi Israelitæ impij & carnales, sicut homines, ambulantes scilicet in prudentia humana, quæ fallax est, transgressi sunt pactum, id est, illi non crediderũt, nec illud seruarunt. Nimirum impossibile est, ut sicut homines illud seruent, quòd non hominis sensu, sed per dei spiritum, eius præcepta ualeant obseruari. Omnes etenim, ut homines errant, & ut filij Dei benefaciunt, qui credunt. Nam sola fide, filij Dei efficimur. Iohan. 1.

Ibi præuaricati sunt in me. Vbi fuit hæc præuaricatio? Quod est istud ibi? Quod non seruarunt testamentum Dei, quod fide ac spiritu, & non alioqui seruatur. Nam illud seruat, qui credit in Christum. Facit enim Christus, ut quidquid trãsgreßionis esse potest in electis, mox ubi in eum crediderint, non imputetur. Facit quoque suo spiritu, ut lex dei placeat, quæ alioqui placere non potest. Et tum seruat homo ipsam legem dei ex animo, quã sine spiritu non odire non potest. Dicit ergo. Ibi, id est, in incredulitate, dum scilicet, non crediderunt in testamentũ meum, siue eloquia mea, maximè autem in illud testamentum, quod ab æterno in electorũ salutem præfiniui, nempe, ut credentes in promissum à mundi principio semen Christum, gratiam meam, & remißionem peccatorum

suorum

ſuorum conſequerentur. Ibi inquam præuaricati ſunt in me. Nã omnis præuaricationis ſons eſt infidelitas. Siquidem aut à fide aut ab infidelitate, omne opus bonum aut malum eſt. Neque ulla eſt præuaricatio, niſi in incredulis neq; teſtamenti ſeu pacti, hoc eſt, ſermonum Dei obſeruatio, niſi in fidelibus.

Galaad ciuitas operantiũ idolum ſupplantata ſanguine, & quaſi fauces uiri latronũ. Particeps ſacerdotum in uia interficientium pergentes de Sichem, quia ſcelus operati ſunt.

Exprimitur hæc Vrbs, quod idolorum abominatio, et multus teſtamenti Dei contemptus, in ea eſſet. Eſt autem Vrbs ſacerdotalis & fugitiuorum in tribu Gad poſita. Galaad, inquit, eſt ciuitas operantium idolum uel inutile, ſeu iniquitatem, ſupplantata ſanguine, ab ea effuſo. Quidam uerterunt, inſidiatrix ſanguini, quòd melius iungitur cum præcedentibus, & ſequentibus.

Et quaſi fauces &c. Senſus eſt. Tam crudeles ſunt, Galaaditæ, & tanta ſæuitia inſidiantur ſanguini inſontium, ut ſint quaſi fauces uiri ſeu Principis latronum.

Particeps &c. Hebr. Societas ſacerdotum ſiue maiorum &c. Oſtendit quòd maiores eiuſdem urbis, eadem ſentẽtia faciebant interfici, euntes ex Sichimis, aut Hieroſolymam, aut aliò. Verum ego magis puto capiendum de euntibus Hieroſolymam. Sic enim inſaniebant multi

Iſra-

Israelitæ, in reprobo uitulorũ cultu, ut eos qui iuxta præceptum domini ueniebant Hierosolymam, interficerent in uia. Forsan & deprædationibus incumbebant. Grauissimum autem crimen id esse nemo ambigit, proinde subiunxit. Quia scelus operati sunt, tam ob prohibitionem ueri cultus à Deo instituti, quàm ob crudelem proximorum interfectionem & latrocinia. Id genus scelera perpetrat excæcatißima Bestiæ Synagoga, interdicens ne Dei uerbo quis simpliciter adquiescat, & non adquiescentes interimens, & clam, & patenter, & modis omnibus quibus potest. Maxime autem id facit execrabilis societas sacerdotum ac maiorum eiusdem Regni.

Obserua quod in Galaad Vrbe sacerdotali maxime uigebat idololatriæ abominatio, & omne scelus, quod usque hodie apertissime uides Romæ, Auenione, & in cunctis urbibus, in quibus Antichristi sacerdotes aliquid dominij habent.

Vbi nos habemus, interficientiũ pergentes de Sichem, Theodotion et Aquila uerterunt, occidentes humeros. Capiunt enim Sichem adpellatiue, quos humeros significat. Humeros enim populi percutiebant, dum Prophetas dei & adhærentes ueritati, interimebant. Siquidem ueri Prophetæ & qui aliquid muneris à Deo adceperunt, quo infirmos ualeant consolari, humeri quidam sunt populorũ. Nam illos ob ueritatis testimonium, & pro salute populi, multa perferre necesse est. Porro hæc interpretatio, magis mihi adridet, quàm prior.

In do-

In domo Israel uidi horrendum. Ibi fornicationes Effraim, contaminatus est Israel. Sed & Iuda pone messem tibi, cum conuertero captiuitatem populi mei.

In domo & populo Israël uidit Deus horrenda, nempe, fornicationes tribus Effraim, inceptas scilicet in ea, ab Effrateo Rege, scilicet Hieroboam, qui aureos uitulos excogitauit. 3. Reg. 12. Itidem uidit quòd totum regnū Israël, cōtaminatum fuerit, sequens fornicationes Effraim. Ait autem se illas uidisse, quia illas reprobauit, & ab æterno punire decreuit.

Et ne regnum Iuda, se insons & à deo non flagellandum putaret, subiunxit. Sed & tu Iuda &c. Sensus est. Punieris & tu, sicut Israël, ac duceris in captiuitatem. Verum finem habebit ipsa captiuitas, & tempore à me præfinito reuerteris in terram tuam. Tum colliges adhuc tibi meßem, et ut nunc reliqua pacifice habitantis opera facies. Quæ non diu facies, antequam captiueris.

Horrenda uidit Deus in domo Israël, sed horrendiora absque similitudine, uidet nunc in domo & synagoga Antichristi. Sed in proximo sunt plagæ & euersio eius. Amen.

Cap. S. Primum, describit Regni decem tribuum impietates, uidelicet quàm ardenter à Domino fornicatum sit, & apostatarit, maxime in uitulorum

execra-

execrabili cultu, ſpetialiter autem Hieroboam & ſuorum principum, malignitatem, ac ſæuitiam, qua populum à Deo auerterunt, & iudices, hoc eſt, prophetas eorum deuorauerunt, id eſt, occiderunt. Secundo, eorũ euerſionem prænunciat, quod ſcilicet humiliabuntur, quod nihil eis proderũt humana præſidia, quod uaſtabuntur & cadent.

PARS PRIMA.

CAPVT VII.

CVm ſanare uellem Iſrael, reuelata eſt iniquitas Effraim, & malicia Samariæ, quia operati ſunt mendacium.

QVIS eſt iſte Iſraël, quem Deus ſanare uoluit? Veri Iſraëlitæ, id eſt, electi. Quando habuit hanc uoluntatem? In diebus æternitatis. Quomodo? immutabiliter. Ergo ſemper uoluit, & uult adhuc ſanare Iſraël, & fieri non poteſt, ut non ſanetur. Proinde non eſt intelligendum, quòd palam facta Effraim, & Samariæ malicia, impeditus fuerit, ne ſanaret quos uolebat. Nam impoſſibile eſt, ut electos à Dei manu quiſquam rapiat. Iohan. 10. Sed more humano loquitur, ut non raro in arcanis literis.

Ait

Ait ergo: Cum ego, qui natura sum bonus, uellem, & paratus essem, sanare, liberare ac iuuare Israël, tum reuelata est, id est, à me cognita & reprobata, iniquitas Effraim, tribus, ac Hieroboam, regis Effrataei, nempe cultus Idolorum ab eo confictus & excogitatus, & malicia Samariae, Regiae urbis, in qua maxime Idololatriae abominatio uigebat, ob praesentiam Regis & Principum. Quia operati sunt mendacium, rem scilicet ueritatis sermonibus non conuenientem. Nimirum, quemadmodum uiuentes secundum illos, in quibus solis ueritas est, ueritatem operantur, ita uiuentes secundum inuenta & mandata hominum, quae non nisi mendacia sunt, nihil aliud praeterquàm mendacium faciunt.

Non dixit, quòd agnita Effraim & Samariae malicia, uoluntatem retractarit, & quòd amplius nolit, quod ante uolebat, sed tantum ait, quòd ipso uolēte sanare eos, agnouit in ipsis peccatum, à Rege Effrataeo, & prima Regni ciuitate excogitatum. Quasi dic. Si fieri posset, ut ego mutarer sicut homines, retractarem uoluntatem bonam, quam erga uos habui, propter abominatiōes uestras. Tam graues enim sunt, ut omnis misericordiae fontem, quātum in uobis est, praecludatis: uerū ego inuariabilis sum. Ego enim non caro, sed Deus, & nō mutor. Mala. 3. Sanabuntur, quos sanare ab aeterno praefiniui. Nam carnaliū incredulitas, fidem meā irritā facere nequit. Sed omnes obseruent, quàm obsistat, ut potest, impollutis, aeternisq; decretis meis impia caro. Cū ego uolo sanare, illa uult perdere.

Ego mitto uobis sermones meos, quos illa spernit, abominatur, & odit, & sua mēdacia inculcat & trudit. Sic carnales Israëlis Reges & Principes, ac falsi Prophetæ, me promittente, & uolente dare misericordiam credentibus uerbo meo, Agunt, ut possunt, ne Israël mihi adquiescat. Docent eos, quòd & mihi grata sint, quæ coram aureis uitulis offerunt, sacrificia, quæ modis omnibus execror. Nolo isthæc sacrificia, sed id uolo, ut fide syncera misericordiam à me percipiat, quam illi suis figmentis præpediunt, hora & potestate tenebrarum illis concessa.

Et fur ingressus est, spolians latrunculus foris.

Varij uarie hunc locum enarrant, putántque Israëlitas, aut ipsum Hieroboam, furis ac latrunculi nomine adcipi. Ego aliud omnino arbitror, nempe quòd flagella Dei significet. Melius enim tum conuenit cum præcedentibus & sequentibus. Nam posteaquàm ostendit, quòd uolebat sanare, iuuare, & liberare Israël, & tum carnales ex eis suis abominationibus, contra se Dei iracundiam prouocarunt, nunc congrue adiecit: Et fur &c. Fur abscondite, latro palàm nocet. Per furem ideo mala intranea, per latronem uero, mala extraria capit, ut sit sensus: Propter maliciam Effraim & Samariæ, quam Israëlitæ imitati sunt, misi hostes, qui eos adfligerent & perderent, tam in absconditis eorum, quàm in publicis. Falsi Prophetæ, & Tyranni, ex ipsomet populo Israël, fures erant. Esaiæ primo: Principes tui infideles,

fideles, socij furum. Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non iudicant, & causa uiduæ nõ ingreditur ad eos. Qui autem illis nocebant ex alienis gentibus, latrunculi fuerunt. Sic latrunculi dicuntur, qui adflixere Iudam. 4. Reg. 24. Immisit Dominus latrunculos Chaldæorum, & latrunculos Syriæ, & latrunculos Moab, & latrunculos filiorum Amon. Et immisit eos in Iudam, ut disperderent eum, iuxta uerbum Domini, quod locutus fuerat, per seruos suos Prophetas. Et quoniam multi ex carnalibus populi, in his grauem esse Dei manum iudicabant, & conquerebantur, subiunxit.

Et ne forte dicant in cordibus suis: Omnem maliciam eorum me recordatum, nũc circũdederunt eos adinuentiões suæ, corã facie mea factæ sunt.

Recordatur Deus peccatorum nostrorum, dum nos pro eis punit: obliuiscitur, dum non punit, sicut alibi probauimus. Dicit ergo Deus: Et ne forte &c. Quasi di. Quia immisi eis præscriptos fures & latrunculos, forsan dicent in cordib. suis, q̃ satis flagellorum habuerunt, secũdum iniquitates suas. Ecce obseruate, q̃ minus æquo puniti sint. Nam adhuc sunt circũdati, seu undiq; pleni suis inuentionib. figmentis, & abominationib. maxime uitulorũ cultu. Neq; abnegant ita esse. Enimuero coram facie mea, idest, me sciente & uidente, factæ sunt. Oculis nanque meis omnia sunt nuda & aperta. Hebr. 4.

In malicia lætificauerunt Regem, & in mendacijs suis Principes. Omnes adulterantes, quasi clibanus succensus à coquente,

Hic recenset iniquitates eorum. Primo, in hoc quòd maluerunt adquiescere, & grati esse Regi, ac Principibus, quàm Deo: In malicia, inquit, sua, lætificauerunt Regem, & in mendacijs suis Principes, adorando uitulos ab eis excogitatos. Malicia dicitur, quòd pro eorum maligno corde à Deo facti sint alieni, obediendo Regi & Principibus, qui non sunt nisi putredo & uermis. Mendacium uero, quòd sit contra uerbum ueritatis. Nihil enim proprie mendacium est, præter id quod uerbo ueritatis non consentit, quale est, quidquid adfingitur ab homine, qui mendax est. Psal. 115.

In eo, quòd uides populum à Deo reprehendi, quòd Regem & Principes, illis adquiescendo lætificarit, argumentum habes, quòd non sit adquiescendum Principib. ac Magistratibus impia iubentibus. Sic non est parendum interdicentibus uerbũ Dei. Immo ubi Principes uolunt priuare Dei populos sermonibus eius, & nulla ratione resipiscũt, interim ueruntamẽ uolũt pro credentibus haberi, & compellere subditos, ad Idola, Decreta, ac mendacia Antichristi, possunt fidelium populi ab eis deficere, & quærere sibi alios Principes ac Magistratus, qui Christum ac ueritatem eius ament & quærant.

Veh miserrimis, & excæcatißimis Principibus ac Magistratibus, qui Dominum IESVM CHRISTVM,

ac ueritatis eloquia, à populis sibi creditis haberi nolunt, quin potius illos fouent in impietate & mendacio, ad quod etiam eosdem uel nolentes compellunt. Veh etiam populis infelicißimis, qui non confidenter & strennue eisdem obsistunt, sed malūt hominibus placere quàm deo.

Sequitur: Omnes adulterantes, per Idololatriam, quasi clibanus succensus à coquente, id est, ardentißime & effrenatißime. Nam posteaquàm spiritus fornicationum ligauerat eos in alis suis, ut habuimus suprà, capite quarto, non potuerunt non fornicari à Domino, quin potius perinde atque in præceps ruentes, grauius indies à Domino fornicati sunt. Et quemadmodum clibanus succensus semper incendit, & calefacit, ita carnalium mens, non potest nō semper à Domino fornicari. Summa: Hic palàm fit, quàm impia caro, ad præscriptas abominationes sit à se ardens & effrenata.

Quieuit paululum ciuitas à commixtione fermenti, donec fermentaretur totum.

Fermentum, doctrinā impiam & mendacē significat. Matth. 16. Mar. 8. et Luc. 12. Hoc fermentū immiserat Hieroboam in populū, quem mox seducere non potuit, sed sensim irrepsit in corda eorū, donec totus ferè Samariæ populus, itidem aliarum urbiū, fermentati, id est, decepti fuerūt. O rem perniciosißimā, eiusmodi fermentū, à quo, ubi suprà, dominus IESVS Christus præcipit ut modis omnibus caueamus. Recte enim Paulus ait. 2. Tim. 2. q. sermo ꝓphanus tantū ad maiorem ꝓficit impietatē, & ut cancer

morbus pastionẽ habet. Sic fermẽtatus est totus Christiãorũ orbis, fermẽto Antichristi et pseudoepiscoporũ ac pharisæorũ, ut uix quicquam syncerae doctrinae usquam esset.

Dies Regis nostri. Ceperunt Principes furere à uino. Extendit manum suam cum illusoribus, quia adplicauerunt, quasi clibanum cor suum, cum insidiaretur eis. Tota nocte dormiuit, coquens eos. Mane ipse succésus, quasi ignis flãmæ. Omnes calefacti sunt, quasi clibanus, & deuorauerunt iudices suos.

Fermentatus Israël fermento Hieroboam, id est, illius peruersißimo inuento seductus, & illi adquiescens, die à Hieroboam constituto, quo solennitas celebraretur. 3. Regum. 12. adueniente, dixit; Dies Regis nostri, id est, Hæc est solennitas à nostro Rege constituta, in gloriam Regis nostri summi, nempe Dei. Indubie enim arbitrabantur, se Deum colere in uitulis illis à Hieroboam positis. Sed quicquid faciebant, abominabile erat coram Domino. Nã interdixerat, ne ullum omnino sculptile à quoquam sibi fieret. Isti autem uolebant Deum colere, nõ secundum uerbum suum, sed ꝓprio instituto. Scriptum est autem: Quod ego præcipio tibi, hoc tantum facito Domino. Nõ addas quicquam, nec minuas. Deut. 12. Veh Antichristis, qui infinitos uitulos, itidem solennitates innumeras, non ad uerbum Dei nunciandum, sed ad idola ueneranda excogitarunt. Dißipet ea Deus. AMEN.

Principes deniq; populi, ubi uiderunt populum, post

uitulos

titulos pperantem, gauisi sunt, et ipsi populo adulabãtur. Cœperuntq; furere à uino i. sicut ebrij insanire in eorundem uitulorũ cultu, & semper uehementius ad id populos urgere. Timebat indubie Hieroboam, cum Principib. qui sibi à consilijs erant, ne populus illis nõ adquiesceret. Proinde mox ut uiderunt populum hæc toto corde uolentem, gauisi sunt. Nam quemadmodum non fuit Christus crucifixus, nisi prius Simone cruce angariato, ita non potuit tum sub Hieroboam, neq; nunc ab Antichristo, uerbum Dei abijci & crucifigi, nisi prius rustici, & simplices plebeculæ consentiant, & ad id opem ferant. Non enim posset, apud Hispanos, Italos, Lothoringos, & alias quasdam nationes VERBVM DOMINI repelli à Tyrannis, nisi populi eis parerent. Resipiscite miseri, & nolite sequi uestrorum Regum, Ducum, Principũ, ac Magistratuum execrabilia edicta, sed unanimes illis obsistite, & potius eos à uobis expellite, quàm DOMINVM, & ueritatem eius.

Tum seductus populus, extendit manum suam, pactum faciens, cum illusorib. Rege scilicet ac Principib. adpbans & spondẽs, q, uitulorũ cultum & solennitatẽ sit seruaturus. Sed quare dicũtur extẽdisse manũ suam cum illusoribus? Quia, inquit, adplicauerunt quasi clibanũ cor suum, id est, animũ intẽtißime adposuerũt, ad implendũ maledictũ Hieroboam decretũ, cum ipse insidiaretur eis, eorum auersionẽ à Domino, pindeq; eorũ perpetuum malum &

perditionem quærens. Qui uidens populum ſibi adquieuiſſe, tota nocte dormiuit, id eſt quieuit, nec amplius fuit in timore, quo antè ab eis occidi timebat. Dormiuit autem, coquens eos, id eſt, ſeducens, & cogitans mane efficacius ſuo exemplo, & auxilio pſeudoprophetarum illos ſeducere. Et mane diei ſolennitatis ab eo confictæ, ipſe ſuccenſus, ardens ad Idololatriam, quaſi ignis flammæ, id eſt, uehementiſſime. Quod uidentes populi, calefacti ſunt quaſi clibanus, id eſt, exarſerunt in Idololatriam, & tanto quidem ardore, quòd deuorarunt, id eſt, interfecerunt, iudices ſuos: id eſt Prophetas & Seniores, eundem uitulorum cultum reprobantes. Et id quidem non ipſe tantum, ſed uel multo maxime Hieroboam, & Principes eius. Quemadmodum & noſtro ſeculo, qui agunt Antichriſti partes, deuorare nituntur omnes ueros iudices, id eſt, perſequuntur, & interimunt, omnes, in quibus Spiritus Dei per uerbum ſuum iudicat.

Obſerua, quòd facile populus, Regum ac Principum, uel impietatem, uel pietatem ſequitur. Maledictus autem eſt, eum à ueritate alienum faciens, & ad impietatem ſuo exemplo prouocans. Cæterum qui contrà facit, eſt à Domino uere benedictus, etiam ſi ab Antichriſto ſexcenties maledicatur.

Omnes Reges eorum ceciderunt, non eſt, qui clamet in eis ad me.

Omnes Reges Iſraël ſequuti ſunt iniquitates Hieroboam filij Nabath, qui peccare fecit Iſraël, adorando uitulos

aureos,

aureos, ut abunde patet tertio & quarto Regum, propter quod hic omnes cecidisse dicuntur. Stat nanque qui credit, alioqui cecidit, & casu quidem grauißimo, & quo nullum omnino maius est. Cæterum posteaquam ceciderunt, clamare non potuerunt ad Dominum, illumue orare, nisi in hypocrisi & mendacio, quod nihil minus est, quàm orare & clamare ad Dominum. Summa: Nemo sine fidei puritate uere potest Dominum deprecari.

Effraim in populis ipse cõmiscebatur. Effraim factus est subcinericius panis, qui nõ reuersatur. Comederũt alieni robur eius, et ipse nesciuit. Sed & cani effusi sunt in eo, & ipse ignorauit.

Effraim, totũ decem tribuũ Regnum hic significat. Effraim ergo, id est, Israël, cõmiscebatur in populis, in suum interitum. Præceperat enim illis Deus, ut cũ ingreßi fuissent terrã eisdẽ pmissam, delerẽt omnes gentes earũ, cauerentq;, ne pactũ cum eis ulla ratione inirent, ne illis fierẽt in scandalũ, & Idololatriæ exẽplum, ut patet Exo. 34: & Deut. 7. quod quia nõ fecerunt, missus fuit Angelus Domini, qui pro hac re, in ualle flentium eos durius increpauit. Iud. 2. Nimirum ad uerbũ Domini addere uoluerũt, dicentes: Necesse est, ut misericordes simus in reliquos, ideóque melius erit pactũ inire cum eis, quàm si eos interimamus. Sed quid pfuerit hæc carnis prudẽtia, uides. Cõmixti nãq; fuerunt gentib. cæteris, quæ illis factæ sunt in ruinã et perditionẽ. Nã eorum exẽplo fabricarũt sibi idola, quæ & co

luerũt, et earum abominatiões imitati sunt. Cũ sancto san ctus eris, et cũ uiro innocẽte innocens eris, & cũ electo ele ctus eris, et cũ puerso, cito puerteris. 2. Reg. 22. et Psal. 17.

Cõmixtus ergo Israël gentibus, factus est perinde atq; subcinericius panis, cinere infectus. Nam illarum ritibus & abominationibus polluti sunt. Quemadmodum autem isdem panis, inter cineres nõ reuersatur, sed sicut primum positus est, dimittitur, ita posteaq̃ Israël didicit gentiũ for nicationes & ĩmundicias, resipiscere, & ad Deũ reuerti à seipso nõ potuit. Nemo enim potest cõuerti, et uenire ad domnũ, nisi à Deo tractus sit, et suo spiritu ad id eruditus. Ioã. 6. Nimirũ, posteaquàm spiritus & sensus fornicatio nũ aliquem adligauit, & uinxit, sub eo captiuus sic fit et te netur, ut nõ poßit non semp à Domino fornicari, ut uidi mus suprà, Tra. de Arbi. hom. uere captiuo. Profecto nõ sine causa Paul. 1. Cor. 5 multũ inculcat, ne hypocritis, & his q sunt scãdalo Ecclesiæ cõmisceatur. Tum nanq; firmã tur in impietatib. suis, dũ non deseruntur à cæteris, et sibi cõniuentium mores corrũpunt, ac quemadmodũ in textu habes, robur eius deuorãt. Comederũt, inquit, alieni. i. gen tes, robur eius. Quod robur? Tã internũ, q̃ externum. Nã fecerũt eos alienos à sermõib. ueritatis, et necessario cultu dei. Iudicio quoq; domini æquiß. ab ipsis gentibus cõtriti, et absumpti fuerũt. Et ipse nesciuit. Quid nesciuit? Quòd robur suũ à gentib. qbus mixti erãt, & quorũ ĩmundicias imitabantur, absumptum esset. Arbitrabantur enim in erroris spiritu, q nihil minus haberent, quàm antea maxi

me,

me in his quæ ad animum spectant. Cæterum, mala, quæ à gentium crudelitate patiebantur, non intelligebant, quod in punitionem suarum abominationum, deo iuste sic eos iudicante, paterentur. Sic excæcantur à fornicationum sensu, impij omnes, ut nec minimum quidem iudiciorum domini, adprehendere ualeant. Sequitur.

Et cani, hoc est debilitas ad bene operandum, & imminutio gloriæ ac potentiæ temporalis, effusi sunt in eo. Vndequaq; enim corruebant, quod effusis canis designatur. Siquidem tropica est locutio. Ignorauit autem, quod ipsi cani effusi essent in eo, id est, quod & animi dotes, & quidquid etiam à Deo externe adceperat imminuta essent. Huius quoque terrendæ caniciei causas nō intellexit, quod cæcus esset ob incredulitatem.

Obserua, quod qui deum, ueritatemq; illius nescit, maxime nescius est, etiam si in compluribus, pauca ignorare uideatur. Ille autem multa scit, & uere doctus est, qui nouit CHRISTVM & ueritatem eius, etiam si complura alioqui nesciat.

PARS SECVNDA.

Et humiliabitur superbia Israel, in facie eius: Nec reuersi sunt, ad dominū deum suum, & non quęsierunt eum in omnibus his. Et factus est Effraim, quasi columba seducta, non habens cor.

Sensus

SEnsus prioris uersus est, quòd patenter humiliabitur, idest, adfligetur, & euertetur, quemadmodum quæ in facie sunt, cunctis patent. In facie quoq; humiliari dicitur, cum ipsa dei flagella, sentit, uidet, & experitur. Israelis ergo euersio, hic prænunciatur.

Quia autem carnalibus nihil prosunt, quæcunq; flagella, nisi spiritus interne erudiat, subnectit. Nec reuersi sunt &c. Qu. di. Tametsi alieni robur eius comederint, & cani modo præscripto in eo sint effusi, ac in proximo sit deijciendus & humiliandus, non resipuit tamen à fornicationibus suis, nec ad me reuersus est, & me non quæsiuit, aut inuocauit corde syncero. Tum Effraim, id est, Israël factus est, quasi columba seducta, ab aucupe. Nam deceptus fuit, & factus absq; sensu, ac non habens cor, hoc est, intelligentiam & bonam uoluntatem. Siquidem impij omnes seducti sunt, & sicut absq; sensu ac corde fiunt. Quantumlibet enim sapiens uideatur, qui est absq; dei spiritu, uere stultus est.

Aegyptum inuocabant, ad Assyrios abierunt. Et cum profecti fuerint, expandam super eos rete meum. Quasi uolucrem cæli, detraham eos. Cędam eos, secundum auditionem cœtus eorũ. Veh eis quoniam recesserunt à me. Vastabuntur, quia pręuaricati sunt in me.

Summe

Summe abominatur Deus, eos qui confidunt in homi ne, & ponunt carnem, hoc est, aliena à Deo, brachium, robur, & fiduciam suam. Proinde, qui eiusmodi sunt maledicti esse dicuntur. Hieremiæ. 17. Porro hi tantum fi duciam habent in dominum, & eum ex fide inuocant, omneq; robur habent in eo, qui spiritum eius habent, reliqui uero, solis conditis fidunt, & ea pro suo robore ponunt, quod deum ignorent, ideoq; illi fidere non poßint. Nimirum fieri nunquam potest, ut caro, id est, qui dei caret spiritu, deum noscat, & uere inuocet, ac in eum fiduciam ponat. Carnales ideo Israelitæ, nescientes dominum, cæterarum nationum præsidium non raro inuocarunt, plus illis, quàm diuinæ prouidentiæ tribuentes. Sic inuocauit Aegyptios Oseæ Rex Israël. 4. Reg. 17. & Manaheben Aßyrios. 4. Reg. 15. Et hoc est quod hic dicitur Aegyptum &c.

Quia autem inutile, imò pernitiosum est, quodcunq; humanum præsidium, contra dei iußionem quæsitum, ait: Et cum profecti fuerint, &c. hoc est, Quia non me, sed carnem inuocant, & in eam fiduciam ponunt, posteaquam ab alienis à me præsidia quæsierint, mittam cõtra eos exercitum Aßyriorum, qui quemadmodum aucupes retibus aues trahunt, ita ducet populum Israël captiuum, trahetq; illum ad se in Aßyrios, quod factum fuisse legimus. 4. Reg. 17.

Porro Dei flagellũ, retis uocabulo recte capitur, quod in nihil tale sperantes superueniat, & haud secus atque

aues

aues reti, ita illi dei flagello subito irruente capiuntur.

Inculcat autem futurum illis excidiũ. Cædam, inquit, eos, secundum auditionem cœtus eorum, id est, secundum multitudinem. Sensus est. Omnem eorum multitudinem cædam. Quæ sequuntur, uęh eis &c. &, uastabũtur &c. ad idem spectant. Hæc autem inculcatio, & similes, certitudinem Dei eloquiorum indicãt. Neq; enim superfluæ sunt, ut quidam putant. Nam id commune fuit Prophetis Dei, futuram eius manum inculcare. Solis autem carnalibus in fastidium id uertitur.

Ego redemi eos, & ipsi locuti sunt contra me mendacia. Et nõ clamauerunt ad me, in toto corde suo, sed ululabant in cubilibus suis.

Vnde redemit eos? Ab Aegypto. Quæ autem mendacia locuti sunt contra dominum? Quòd dixerunt de uitulis aureis à Hieroboam fabricatis, hi sunt dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Aegypti. 3. Reg. 12. Ecce quòd ueritatem abnegarunt. Enimuero non ab aureis uitulis, sed à deo uiuo & uero, ab Aegypti captiuitate & dura seruitute, redempti fuere. At quispiam dicet. Non attribuebant illis uitulis ex auro, ipsam eorum redemptionẽ, sed eos fabricarunt, ut essent illis signum & memoriale eius, qui eos redemit. Talia sunt fallacia, execrabilis sensus ac spiritus fornicationum commenta, & id genus glossis, Antichristi factio plena est. Nam ab eo fonte prodijt, quod adseuerant, posse coli idola, adoratione (ut per

peram

peram loquuntur) latriæ, hyperduliæ, duliæ maioris aut minoris, modo respectum habeamus, ad eos, quorum effigiem præ se ferũt. Quid minus faciũt isti Israelitis, idola fabricantibus & colentibus? Indubie enim Israelitæ sciebant quòd non à uitulis, sed à Deo uiuo & sempiterno, redempti erant. Et quidquid agebant, aut orabant, uel sacrificabant, coram præscriptis uitulis, intendebant facere deo. Sed putabant satis esse, quòd declinabant os suum, ad excusationes in peccatis, dicentes. Satis est, piam habere intentionem. Deus tantum respicit cor. Quod et pseudochristiani ac hypocritæ dicunt. Impurum est id cor, et eiusmodi intentio abominabilis, coram domino, qui interdixit ne idola, ad colendum fabricarentur. Quomodo enim illi gratum esse potest, quod odit, & prohibuit? Nõ damno, si quis habeat picturas nonnullas in decorem, aut in memoriale infirmis, sed absit, ut illas Dei uice colamus. Vere idololatria est, ante illos quidquam offerre aut thura incendere, aut sacrificare, siue candelas, siue panem, siue fructus terræ, siue aliud quodcunq; fuerit, aut lampades ponere, ut coram ardeant, atque uel tantillum quiddam reuerẽtiæ eis exhibere, ut est inclinare corpus, genu curuare, detegere uerticem, & id genus reliqua. Proinde auferendæ sunt imagines, à platearum angulis, tabernaculis siue Ecclesijs (ut loquuntur) fidelium, & domorum introitibus, maxime ubi conspiciunt simplicibus, ansam ad idololatriam preberi. Auferenda enim sunt, à Dei populo offẽdicula uniuersa: Et si quis etiã in

propria

in propria domo, imagines siue idola habet, uidetq́; se tam propensum ad eorum cultum, ut non poßit non ea reuereri, ac nonnihil eis tribuere, tum necesse est, ut illà se abdicet & reijciat, ne sibi in interitum fiant.

Ego puto, imò adsero, unum è summis & primis capitibus Antichristianismi eße, idolorum cultum, quemadmodum & è primis Christianismi capitibus est, adorare deum spiritu & ueritate. Iohan. 4, Sed durus est hic sermo carnalibus, quos non ueritas, non Dei sermo, sed hominum sapientia, & sæculorum consensus uincit. Hi dicunt. Et quis est tam tenui sensu ac consilio, ut putet has imagines aliquid in se diuinitatis habere? Quibus & nos dicimus. Quis olim à principio, aut uitulos aureos aut alia idola, sic ueneratus est, ut putarit ipsa idola siue imagines (quod idem est) eße deos? Sciebant enim quòd non erant dij, sed tantum ipsa idola pro deorum suorum, ut Iouis, Martis, Veneris, & reliquorum, quos cæci & miseri homines pro dijs habebant, memoria uenerabantur, Sic ante statuas uitulorum colebant deum, sic & coram sculptili Michæ. Iudi. 17. & . 18. Et coram statua Nabuchodonosor, adorabant eum. Dan. 3. Nam quis eorum putabat, aurum, argentum, lapidem, et lignum deos esse? Sed quemadmodum nunc Antichristus & sui, ita & illi, arbitrabantur se Deo præstare obsequium, colentes hæc idola pro ipsius Dei ac cæterorum quæ uenerabâtur memoria. Veruntamen nihil tale gratum deus habere potuit, quod districtißime interdixit. Quomodo ergo cōtra

Dei

DEI iußionem, adbuc nostrum plurimi Idola fabricant & uenerantur?

Veh nobis, quia peccauimus, & transtulimus gloriam immortalis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis. Conterat DOMINVS gentium, id est, incredulororum, Deos, opera mannuum hominum. AMEN.

Filij ergo Israël mendacium loquebantur contra Dominum, cum de uitulis, quos ut ipsius imagines uenerabantur, & in eis colebant illum, dixerunt: Hi sunt Dij tui, q te redemerunt à terra Aegypti. Et uere ita mendacium loquuntur, qui imagini crucifixi, respectũ habendo ad Christum, dicũt: Deus meus es tu, & saluator meus, qui p me sanguinem tuũ fudisti. Nimirum Deus nõ uult adorari, in aut corã imaginib. sed ubiq; in spiritu & ueritate, q Spiritus sit. Ioã. 4. & cælum terramq; adimpleat. Hie. 23. Num coget illũ quispiam, ut sinat se adorari in Idolis? Voluntati quoq; eius quis obsistere potest? Dices: Clamaui ad eum coram ipsis simulachris in toto corde meo. Et Deus de sic clamantib. respõdet: Non clamauerũt ad me in toto corde suo, sed ululabãt in cubilibus suis, in delubris Idolorũ, quibus fidunt, & in quibus perinde atq; in cubili quiescũt. Ecce q orationẽ siue clamorẽ, qui non est ex corde, cum sit mera hypocrisis, ululatũ, clamorem lupinum uocat, ut scias, q sic clamare, nihil minus est, quàm clamare ad Dominum. Sic profecto non clamãt ad Dominũ Monachi & sacrifices, sed ululant in delubris suis. Quis adhuc locis tam

patentibus contradicet? Veritas Dei erit in sæculum sæculi, figmenta autem hominum corruent.

Super triticum et uinum ruminabant, & recesserunt à me.

Ecce quàm aperte describit mores Idololatrarum. Super uinum, inquit, & triticum ruminabant. Heb. garriebant. Quid? De Idolorum cultu execrabili. Et posteaquàm sic inter epulas & ebrietates garrierũt, semper grauius à Domino apostatarunt, & recesserunt.

Hæc sunt quæ usque hodie uidemus. Nam tum uel multo maxime comessatiõibus & ebrietatibus uacant, & interea garriunt, murmurant, obloquuntur, à Deoq; apostatant, & illius sacrosanctas iußiones floccipendunt, cum Idolorum dedicatio celebratur. Tum est robusta uenatio Nembrotorum, id est, Antichristorum, qui aliquando eodem Idolo, multos in anno dies celebrabunt, ut Idolo uno mitrato utentur, ad dies Nicolai, Amantij. Ambrosij, Augustini, & reliquorum Episcoporum. Et pro qualibet suorum phanorum imagine, diem festum agent, campanis, & tumultibus trahentes ad se populum, et captiuas ducentes mulierculas, ut adferant candelas, nummos, & omnem eorum substantiam, ad alendos Idolorum Sacerdotes, ueritatis hostes adiuratißimos, cum scortis, & spurijs illorum. O miserrimum populum, qui se sinit tam fœde seduci, ab insignibus nebulonibus istis.

Tum quoq;, dum curritur ad hæc uota, ad has dico insanias, omnia implentur adulterijs, scortatiõibus, incestis,

st. ris,

stupris, et omnigena luxurie, itidem aleis, choreis, ludisq; cæteris, ac furtis, uenationibus, fraudibus, & rapinis, maxime ubi ad noctem uigilatur, & isthæc Idola extra urbes seu oppida sunt. Tum spernitur familia propria, pro nihilo habentur Christi pauperes, & à multis tantum nocte una absumitur, quod satis superq; esset, ad mensem unum & alterum. Et quis enumerare sufficeret mala, quæ in similibus perpetrantur. Ego non puto scribenda, quæ ego ipse in eiusmodi noui, saltem hoc libro. Potens est Deus dare ad id oportunum diem.

Et ego erudiui eos, & confortaui brachia eorum, & in me cogitauerunt maliciam.

Mira est Dei erga nos solicitudo. Erudit nos uerbo suo, confortatq; suo Spiritu & auxilio opera nostra, & tamen non raro in eum maliciam cogitamus. Quod et carnalibus Iudæis nũc exprobrat, quos suis impollutis sermonibus erudiuit, præ cunctis nationibus eosdem illis committens, iuuitq; illos toties, & nihilominus Dei eruditione contempta, cogitaueruut in eum maliciam, nempe, ut Idola fabricarent. Viderit, quisquis id genus malicias, aliquando cogitauit, ut resipiscat, ne dispereat in æternum.

Reuersi sunt, ut essent absque iugo. Facti sunt, quasi arcus dolosus.

Quando reuersi, & unde? Quum Idola sibi fabricarunt,

runt, ut ea colerēt, per quod à Domino reuersi sunt, dum ab illo apostatarunt. Sed ad quid? Vt essent absq; iugo, hoc est, ut in carnis libertate uiuerent, nō infrenati uerbo dei. Ad id siqdem est omnium carnaliū studium, ut liberi sint in carne, quod est esse uere captiuum. Nā Dei legibus uelle infrenari, perfacta libertas est.

Tum, cum à Domino se ad Idola conuerterunt, facti sunt, sicut arcus dolosus, qui reflectit sagittam in iacientem. Sic enim ad colendum Dominum, Israël uocatus erat, sicut arcus ad percutiendum aliud à iaciente, sed ubi alienos à Deo coluit, & uerbo illius non adquieuit, quasi arcus dolosus factus est. Sic & arcus dolosus facti sunt, omnes pseudocredentes, quòd his, ad quæ à Deo uocati sunt, opposita faciant.

Cadent in gladio Principes eorum, à furore linguæ suæ, Ista subsannatio eorum in terra Aegypti.

Furor linguæ, hoc loco, pro Dei blasphemia, ac omni sermone, quem Principes Israël contra Dominum locuti erant, capitur. A furore linguæ manant impiæ doctrinæ, Idolorum laudes, inuocationes, & adorationes, quæ in Synagoga Apostatica redundant. Nimirum in ea, is furor linguæ, supra omnem æstimationem reperitur, ut non credam principes Israël unquam tam insaniuisse in Dominum, quàm eiusdem Synagogæ Tyranni.

Porrò ob eiusmodi linguæ furorem, gladio casuri prædicuntur. Qui casus, euersio, mors, & perditio est.

Ne autem

Ne autem putes hunc linguæ furorem, eos solum tum habuisse, cũ uitulos fabricarunt, ait: Ista subsannatio &c. Ergo in Aegypto, ceperunt ex Israëlitis carnales insanire in Dominum, & floccipendere illum, ab eóque post Idola fornicari, ut patet Eze. 16. & 23.

Cap. 8. Primum aduersum Iudam prophetat, nem pe euersionem eius, q. pactum Dei non seruarit. Secundo, aduersum Israël, id est, Regnum duarum tribuum, pro reiecto cultu Dei uero, pro malicia Regum, & Principum, ac pro fabricatione uitulorum, reliquorúmue Idolorum, & excelsorum, Tertio, iterum aduersum IVDA.

PARS PRIMA.

CAPVT VIII.

IN gutture tuo sit tuba: Quasi Aquila, super domum Domini, pro eo quòd transgressi sunt fœdus meum, & legem meam præuaricati sunt.

PRæcepit DEVS Prophetæ, ut illi sit in gutture tuba, hoc est, ut alte clamet, & sicut tuba exaltet uocem, sicut & Esaiæ Dominus imperauit. Esaiæ quinquagesimo octauo. Adiecit autem, quid sit clamaturus,

 turus,

turus, nempe hoc. Quasi Aquila, id est, unus potens, sicut Aquila rapax, scilicet Nabuchodonosor, qui etiam Ezech. 17. per Aquilam designatur, super domum Domini, supple, ueniet, omnia euertens, & absumens, quod & factum legimus, quarto Regum ultimo, & secundo Paralip. ultimo, ac Hieremiæ ultimo.

Quare autem uoluerit Hierosolymam ipsi Aquilæ grandi uorandam tradere, mox ostendit, dicens: Pro eo, quòd transgreßi sunt fœdus meũ, id est, præcepta. Quod & secundum indicat. Et legem, inquit, meam præuaricati sunt. Ergo fœdus & lex Domini idem sunt. Quidam putant hic per fœdus intelligi iusiurandum, quod Sedechias habuit cum Nabuchodonosor. Sed non stat eiusmodi enarratio, maxime, quòd dicat ipse Deus: Fœdus meum. Igitur non de Nabuchodonosor, sed de Domini fœdere capitur.

PARS SECVNDA.

Me inuocabunt, Deus meus. Cognouimus te Israel.

INuocabant Dominum, sed non puro corde, q. caro essent. Mendacium enim loquebantur. Cognouimus inquiunt, te, nos Israël. Indubie nonnulli ex Israël Deum agnouerunt, sed non hi carnales, quos tangebat sermo domini. Et nihilominus in illius cognitione gloriãtes, aliquid

tale

tale, ut audax, & superbum est carnaliũ ingenium, cogitantes. Cur nos repellis? Cur hanc rapacem Aquilam ad nos absumendos mittis? Quia te cognouimus, oportuit certe, ut non tam seuerus esses in nos. Arguit mẽdax caro deum seuiciæ & crudelitatis. Sic insanis, maledicta, tibi iram thesaurizãs. Sic et Antichristi cum suis prostibulis aiunt: Theologi sumus, Cognouimus Dominum. Quorum superba & ampullosa cognitio, nihil minus quàm Dei cognitio est. Nunquid Deum uere quisquam agnouit per humanam Philosophiam, ac fornicarium sensum? Nam caro nouit quæ carnis sunt, et Spiritus Dei, quæ ad eũ spectant. Nimirum solus ipse eiusmodi uniuersa scrutatur, etiã profunda quæcunq; 1. Cor. 2. Subsannat ideo Spiritus sanctus hos uaniloquos iactatores, dicens: Inuocantes dicunt: Cognouimus te. Quomodo si Talpa, aut Noctua dicat: Video lucem Solis,: & cæcus, hic color est illo perfectior. Vęh tibi impia caro, quæ etiam cum Deo mentiri non expauescis. Non agnoscis Dominum omnino, quin potius, si rem ipsam profiteris, dicis cum Pharaone. Exodi. 5. Quis est Dominus, ut audiam uocem eius? Nescio Dominum. Et in corde tuo submurmuras illud Psal. 13. Non est Deus. Audi autem, quid Dominus ipse respondeat.

Proiecit Israel bonum, inimicus persequetur eum.

Quasi diceret: Vos carnales non cognoscitis Dominum, quem Abraham, & ueri filij eius, qui illius fidem imitati sunt, meo Spiritu, quo pleni erant, agnoue-

runt, & in me solo omne bonum situm esse sciebant. Ego ostendi Mosi omne bonum, Exodi. 33. id est, meipsum omnis boni fontem. Sed hoc bonum, tu miser Israël proiecisti à te, dum Idola contra præceptum meum fabricasti, & coluisti, eis dicens, quòd te à dura Aegypti seruitute redemerunt, cum ego solus ductor tuus fuerim, & nõ fuerit mecum Deus alienus.

In exemplum autem nostrum, in tertia persona dixit: Proiecit &c. ut sit sensus: Quia proiecit me bonum suum, inimicus persequetur eum, nempe Assyriorum Rex. 4. Regum. 17. Dilexit maledictionem, & ueniet ei, noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. Psal. 108. Audiant, audiant hæc, qui amant partes filij perditi. Nam in eorum caput sunt hæc uerba, quòd non minus omnibus Israëlitis, proiecerint, proijciantq; indies omne bonum, nempe Deum, damnantes, calcantes, & persequentes, ut possunt, ueritatem Dei, & omnes amatores eius. Nolunt Dominum, & ueritatem odiunt, propterea traditi sunt in reprobam mentem, ut adhæreant mendacio, & faciant, quæ non conueniunt, amando spiritus impostores. In proximo quoq; est ruina eorum. Nam persequetur eos uerbo suo potentissimo, inimicus eorum, quem odiunt, quicquid se illum diligere mentiantur. Is est DOMINVS DEVS exercituum, in quem illi obstinatis animis surgere non expauescunt.

Ipsi regnauerunt, & non ex me, Principes extiterunt, & non cognoui.

Dei Opt. Max. id proprium est, ut Regna & Imperia quibus uult, tribuat. Deponit enim potentes è sedibus, & erigit humiles. Lu. 1. Etenim dedit Monarchiam Nabuchodonosor, ut ex multis Scripturæ locis palàm est cernere. Tribuit quoq; illi Aegyptum. Ezech. 29. Vide Eze. à capite. 24. & infrà, & multa ad id exempla reperies. Proinde. 1. Reg. 2. dicitur: Dominus pauperē facit, et ditat: humiliat, et subleuat. Suscitat de puluere egenum, et de stercore eleuat pauperem, ut sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat. Idem ferè habes Psalmo. 112. Et uere ipse est, qui sicut uult, & quibus, tribuit & partitur omnem terram. Hinc Danielis quarto: Cognoscant uiuentes, quoniam dominatur Excelsus in Regno hominum, & cuicunque uoluerit, dabit illud, & humillimum constituit super eum.

Quæ cum ita se habeant, quid est quod hic dicitur: Ipsi regnauerunt &c. Lege tertium, & quartum Regum, & uidebis, quanta ambitione, Reges Israël sceptra tenuerint. Quorum nonnulli, ut Sellum, Mananehen, Phacee, 4. Reg. 15. tametsi in Regnum, alijs occisis, se intruserint, Dei tamen consilio & prouidētia omnia facta sunt, quod nulli historias diligenter meditanti non est notum. Nam omnia ex ipso, per ipsum, & in ipso facta sunt. Rom. 11. Ergo hic locus, nō significat, q. absq; Dei consilio facti fuerint Reges & principes. Nam etiam propter crimina populi, hypocritā regnare facit Deus. Iob. 34. Et pauloante, eodē ca. Qui dicit Regi, Apostata, q uocat Duces, impios.

Ad id obſerua, quòd non omnes Reges à Domino poſiti, ex Domino regnant, ſed tantum qui ex Dei Spiritu ac ſapientia, & ſecundum legem Domini populos regunt. Proinde uera Sapientia dicit Prouer. 8. Per me, Reges (iuſti & fideles) regnant, & legum conditores, iuſta decernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiam. Quaſi di. Sine me nullus iuſte regnat, & imperat, aut iuſtum quicquam decernit.

Dicit ergo Dominus: Ipſi Reges Iſraël, regnauerũt, non ex me, id eſt, non ſecundum Spiritum & uerbum meum. Principes extiterunt, & non cognoui, id eſt, non adprobaui eorum maliciam & ambitionem, qua ſe in regnũ intruſerunt, tametſi non eſt factum abſque meo conſilio. Neque placuit id, quòd non eloquijs meis, ſed proprijs figmentis rexerunt populum meum.

Paulo antè memini huius dicti Iob. 34. Qui dicit Regi &c. quòd paucis enarrabimus, ne de eo cuipiam ſcrupulus ſit, cum præſcripta legerit. Diximus ſæpe, q. dum quiſpiam à Domino induratus eſt, non poteſt non apoſtatare, & errare à uijs Domini, quòd ſibi ipſi relictus ſit. Quando ergo ſic Dei iudicio relictus, apoſtatat, & Deus ipſe non eum retinet Spiritu ſuo, nõ aliud capit ſenſu proprio, quàm quòd Deo uolente apoſtatet. Eſt ergo præſcripta locutio humano more: Qui dicit Regi, Apoſtata. Senſus eſt: Deus eſt, cuius æquiſsimo iudicio Reges indurãtur, & tum apoſtatant. Igitur apoſtaſia reproborum à iudicio eſt, & eodem iuſtiſsimo, indurantis Dei.

Aurum

Aurum suum, & argentum suum, fecerunt sibi idola, ut interirent. Proiectus est uitulus tuus Samaria, iratus est furor meus in eis. Vsquequo, non poterunt emundari? Quia ex Israel, & ipse est. Artifex fecit illum, & non est deus, quoniam in araneatum telas erit uitulus Samariæ.

Ecce quàm non regnarint ex spiritu, & uerbo domini. Aurum, inquit, suum &c. Quid minus factũ fuit multis saeculis, ab his qui Antichristo fauerunt? O utinam saperent, & intelligerent, quàm hæc abominetur Deus. Vere nihil tam districte interdicit, & pro nullo crimine populum, tam sæpe ac tam dure increpat. Neq; totus hic textus alió spectat, quàm ut damnet idololatriam. A primo enim uersu, subsannat studia reproborum, dicens: Aurũ suum &c. Q. d. O stultitiam non ferendam, fabricare sibi deos ex proprio metallo. Nam tametsi dicunt, quod non faciunt ipsa idola, nisi in mei memoriam, utq; in eis me colant, execrabile tamen est, quod id faciant, me districtissime probibente, & deos uocant opera manuum suarum. Sed hoc fecerunt, ut interirent. Nam erit illis in interitum.

Sequitur. Proiectus est &c. Sensus est. O Samaria, O Israël, cuius Regia urbs erat Samaria, in proximo, tuus Vitulus, id est, uituli (duo namque erant) proiecti sunt. Nam apud me definitum est, quod

abijcientur, & calcabuntur. Etenim furor meus iratus est in eos, hoc est, illos uehementer abominor, & omnes cultores eorum. Furor & ira domini, eius flagella significant, sicut alijs locis non raro probauimus.

Demum more hominis, flagitium quod multo fuit tempore increpantis, ait. Vsquequo non poterunt emundari? Ac si di. In proprij cordis duritia, diutius manent. Prouocari autem magis debuerant, ad emundationem, per id quod me isthæc abominari conspiciunt. Denique, nonne uterq; uitulus est ex Israël? Nam ex auro & argento eius, fabricati sunt ab artifice. Deum autem nemo fecit. Non sunt ergo dij. Quoniam in aranearum fila, erit uterq; uitulus. Varij hunc locum, ex Hebræo uarie transtulerunt, ego Hieronymum sequar, hic aranearum telas uel fila ponentem, quod magis omnino mihi congruere uideatur. Sensus est, quod ipsi uituli, erant pro nihilo habendi, & dirumpendi, ita ut non ultra reperirentur, sicut aranearum telæ uel fila cito pereunt. Quod neutiquam factum fuißet, si quid numinis habuissent.

Quia uentum seminabunt, & turbinem metent.

Ventum seminat, qui mendacium operatur, aut docet, cuiusmodi sunt quæcunq; dei uerbo aduersantur. Eiusmodi erant in Israël. Seminabant enim, id est, docebant & operabantur, inania, uento simillima, ideo messis illorum turbo fuit, id est, punitio dei grauissima, congruens eorum semini reprobo. Nam qui parce seminat, parce et

metet,

metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. 2. Corin. 9. Qui autem ſeminat maledictionem & uentum, quid niſi maledictionem & uentum metere poteſt? Seminant impij incredulitatem, cum fructibus ſuis, nempe, carnis operibus, pij uero opera uere bona, nempe, quæ ſunt ex fide.

Bonum ergo ſemen, eſt opus ex fide, etenim quidquid non eſt ex fide, malum ſemen & peccatum eſt. Rom. 14. Bonum ſemen, ut uides, à nobis exigit deus, hoc eſt, ueros fidei fructus. Quid ergo eſt, quod nonnulli pſeudoeuangelici, ſic fidem iactitant, ut fructuum eius non memorentur? Dicunt, fides, fides, & quidquid ad eam neceſſario ſequitur, inconſulte imò pernitioſe ſubticent. Et nobis proinde illos increpantibus, de nobis obloquuntur, dicentes: En legis adſertores, qui neq; Euãgelij, neq; fidei gloriam quærunt. Quibus optamus ſanam mentem ſpiritusq́; iudicium. Nonne per legem cognitio peccati? Rom. 3. Nonne etiam ſpiritualis eſt? Rom. 7. hoc eſt ſpiritu ſeruanda.

Vbi autem peccatum agnoſcitur, quæritur Euangelium, id eſt, remiſſio peccatorum, quod ſola fide in Chriſtum adſequimur. Demum lex, ſpiritum, ut ſeruetur, exigit, quem non tribuit, & illum non niſi ipſa fide recipimus. Nunc dico. Si ſpirituales ſumus, qui fiet, ut non inculcetur lex ſpiritualis, quod nobis tum non placere nequeat, quinpotius plurimum amabilis ſit. Demum ſi docet nonnullos ſpiritus dei, ut ſine lege peccatum noſcant, non eſt id omnibus datum. Proinde inculcanda eſt lex po

pulis,

pulis, per quàm sua errata agnoscant. Quid etiam tibi, qui spiritu sine lege delicta noscis, obest Lex, quæ uoluntatis ipsius spiritus, certissimum testimonium est?

Desinant obsecro sic insanire, hi & Euangelij simul atq; legis euersores, et discant nunciandam legem, sed nõ absq; Euangelio, quod illud exigat Lex. Itidem Euangelium nunciandum, sed non interim subticenda Lex, quæ post Euangelium sponte sequitur.

Culmus stans, non est in eis germen. Non faciat farinam. Quod & si fecerit, alieni comedent eam.

Culmus tritici calamus est. Erant ergo Israelitæ, ut culmus stans, quia ob nonnullam terrenorũ abundantiã, uidebantur posse aliquid prosperum efficere. Sed quid ait dominus? Non erit in eis germen, id est, non crescent, aut prosperabuntur. Non faciat farinam, hoc est, non ad augeantur, & multiplicentur. Quod & si fecerit, id est, multiplicati fuerint, alieni, id est, Assyrij & reliquæ gentes, comedent eam. Nam ab eis euertentur, & deuorabuntur. Quæ ita fore intelligenda, palam fit ex his quæ subiunguntur.

Deuoratus est Israel. Nunc factus est in nationibus, quasi uas immundum, quia ipsi ascenderunt ad Assur.

Ob cælestis decreti certitudinem & immutabilitatem, quæ futura erant, in præterito scripsit. Quod nõ est

rarum

rarum apud Prophetas. Deuoratus est, inquit, Israël, ab Assyrijs. Sensus est. Est definitum quod Israël deuorabitur, & in proximo quidem, eritq; in nationibus, captiuus, quasi uas immundum, id est, conculcabitur, & spernetur. Enimuero non sponte, sed inuiti, ascendent ad Assur. Nam ad Aßyrios translatus est Israël 4. Reg. 17.

Onager solitarius sibi Effraim. Munera dederunt amatoribus suis, sed & cum mercede conduxerunt nationes.

Effraim, id est, Israël, Onagris recte adsimilatur. Siquidem ubi quod comedat non habet, atq; etiam ex propria natura cum sit leuis, & inconstans, discurrit uagus. Frenum quoq; non sustinet. Sic Israël, legis diuinæ frenũ abiecerat, & inconstans ac uagus, post uaria idola currebat. Summa est, quod Israël, nolebat dei legibus infrenari. Effrenati ergo, munera largiebantur idolis, ab eis dilectis. Sed & cum mercede conducebant nationes, ut Mananehen. Phul. 4. Reg. 15. & Oseæ, ad Sua Regem Aegypti. 4. Reg. 17.

Obserua, quod Deus ab omnibus summe exigit fiduciam in eum solum, maxime autem, ab his qui fidelium populis uolunt adnumerari. Proinde summe illos odit, qui alienis ab eo fidunt, sperantq; in diuitijs, ac exercitus, & curruum multitudine. Quod si terrenorum præsidijs nonnunquam fideles utuntur, sic eis utantur, ut nihil illis, sed deo uniuersorũ moderatori toto corde fidãt.

Nun

Nunc congrebo eos, & quiescent paulisper ab onere Regis & Principum. Quia multiplicauit Effraim altaria ad peccandum, factę sunt ei aræ in delictum.

Ad modicum congregauit illos Deus, in terris suis, in proximo captiuandos· Tum quieuerunt paulisper, ab onere Regis Aßyriorum & Principum eius, sub quibus multo tempore fuerunt tributarij, ut patet·4·Reg·15·Arbitror autem, quod ab ipsis tributis reddendis quieuerint post mortem Mananeben, usq; ad tempora Phaceæ, filij Romeliæ, id est, duob· aut trib· annis quib· regnauit Phaceia filius Mananeben, qui non legitur ei tributa reddidiße, & forsan neq; Phacee filius Romeliæ, tametsi Rex Assyriorum Teglatphalassar, multas urbes, & totam terram Neptalim, ab eo cepit, ut loco præadlegato habes. Redijt autem cito ad onus, primo sub dicto Phacee, pro parte ductus captiuus in Assyrios· Secundo, sub Oseæ tributa denuo soluens, & totus omnino in Assyrios translatus·4·Reg·17·

Quare autem non diu à dicto onere quieuerint, subiungit, dicens: Quia multiplicauit &c· Effraim, id est, Israël, in omnibus platearum angulis, et in syluis, ac montibus & collibus (quemadmodum & nosipsi seducti fecimus) ædificauit altaria & excelsa, ad idolatriam suam implendam, quorum multiplicatio est compluribus facta in offen-

in offensionem, & peccandi causam. Mille etenim modis uana superstitione lusêre, & insaniêre, quòd cæci essent. Pari insania torquentur Antichristi, & pseudofideles, quod oculorum suorum lumen ab eis absconditum sit.

Scribam eis multiplices leges meas, quę uelut alienæ computatæ sunt.

Quidam hunc uersum legunt indicatiue, sic: Quantumlibet illi aberrent, & à me præuaricētur, scribam eis per Prophetas multiplices leges meas, quas odiunt, & alienas putant, ut sit credentibus salus, non credentibus uero iusta perditio.

Alij eum legunt interrogatiue, ut sit sensus: Ad quid eis scribam, & per Prophetas inculcabo leges meas, quæ nihil fructus in eis adferunt? Nam sunt ab eis habitæ pro alienis & iniustis. Quasi diceret: Sinam uos seduci à pseudoprophetis & impostoribus, nec mittam uobis ueros Prophetas. Vtraque enarratio sana est, uerum ego eligerem posteriorem, ut sit prophetia famis uerbi Dei, quam indubie plurimi ex Israële in captiuitate habuerunt. Quod apertius apud Amos capite octauo prædicitur: Emittam (ait Dominus) famem in terram, non famem panis, neq; sitim aquæ, sed audiendi uerbum domini. Heu nobis miseris, qui in hac longe perniciosissima fame tot sæculis fuimus, & nunc Domino aperiente nobis misericorditer horrea annonæ suæ, Antichristus, & qui agunt partes eius, eadem nobis occludere,

omni crudelitate uolunt. Dißipet DOMINVS consilia Achitofel. AMEN.

Hostias offerent, immolabunt carnes, & comedent, & Dominus non suscipiet eas. Nunc recordabitur iniquitatis eorum, & uisitabit peccata eorum. Ipsi in Aegyptum conuertentur, & oblitus est Israel factoris sui, & ædificauit delubra.

Hoc uult prior uersus, quòd sacrificia carnalia Deus odit, & coram illo abominatio sunt. Frustra enim ad multa nituntur, quòd nihil ex fide, & Dei Spiritu fiat ab eis. Dominus fidem respicit, ideo incredulorum ex Isräel sacrificia & opera non suscepit, quin potius illa subsannat & abominatur.

Demum recordari dicitur iniquitatum, dum eas puniti, non recordari, dum non punit. Ergo iniquitatis Isräel tum recordatus est, cum illos puniuit. Porrò ipsa Dei punitio, amabili uocabulo uisitatio dicitur, quod nostris criminibus semper minora sint flagella Dei.

Ipsam autem eorum punitionem, specialiter hic scribit, dicens: In Aegyptum &c. Sensus est: Quia Isräel factoris sui oblitus est, & idolis delubra construxit, iterum, sicut in Aegypto, dura captiuitate, & seruitute prementur. Quia enim Dei filiorum sacrosanctam libertatem, pro nihilo habuit, & suauißimo legis

gis

gis diuinæ iugo noluit adstringi, recte sub graui Tyrannorum iugo, dura fuit captiuitate adflictus.

PARS TERTIA.

Et Iudas multiplicauit urbes munitas. Et mittam ignem in ciuitates eius, & deuorabit ædes illius.

QVia Regnum Iuda, sicut Israël, Idolorum nephario cultu insanierat, debuit quoque Dei flagella experiri. Quis nanque enumerare sufficeret abominationes, quas in suum interitum perpetrarunt, ut in Regum, ac Paralipomenon libris, nullus non uidet? Ob id dicitur: Et Iudas urbes munitas multiplicauit, non credens, quòd iuxta Prophetarum uaticinia rueret. Sed frustra omnia faciunt. Nam mittam in eorum ciuitates ignem, qui ædes illius deuorabit. Quid fidunt structuris suis? Omnia breui euertentur, & demolientur. Non est sapientia, neque consilium contra DOMINVM. Quid & tu Fili perdite, credidisti Principatibus, diuitijs, & copijs multis, firmare Regnum tuum? Finis eius uenit, & occidêris gladio oris DOMINI. Corruet enim mox per eius potentiam omnis altitudo tua.

FIAT, FIAT.

Ca. 9. Quia Israël à Deo fornicatus est, prædicitur. Primo, quòd non sint habituri necessariorum copiam, quòd illis, Deo contempto, nimio ardore inhæserint. Secundo, quòd sint pellendi à terra sua, & ducẽdi in captiuitatem, nouisq; Aegyptiorum abominationibus denuo polluendi, sintq; in ea morituri, qui ad eam à uastitate cõfugerint. Tertio, describit carnalem Israëlẽ, et Prophetas eius. Quarto, eos uarie flagellãdos prænunciat, multáque mysteria permiscet.

PARS PRIMA.

CAPVT IX.

NOli lætari Israel, noli exultare, sicut populi, quia fornicatus es à deo tuo. Dilexisti mercedẽ, super omnes areas tritici. Area et torcular non pascet eos, & uinum mentietur eis.

*Q*Visquis à Deo apostatat & fornicatur, minus habet lætitiæ & exultationis causam, quàm qui ad fidem nunq̃ admissus est. Nam iste, quantulibet nõ credat Domino, ab eo apostatasse non dicitur, cui nunquã adhæsit,

adhæsit, q. in misericordiam ab eo susceptus non fuerit, à quo alius semel admissus in gratiam, apostatare non expauescit. Propter quod dictum fuit Israël: Noli lætari, interno pectoris gaudio, nec exultare, patentib. læticiæ signis, sicut reliquæ gentes à me neutiq. electæ, quia fornicatus es à Deo tuo, à quo fueras electus in populum. Subiungit aût in quo fuerint fornicati: Dilexisti, inquit, mercedem &c. Tam enim fœde à pietate defecerat, ut fracto, reproboq; iudicio, triticum, uinum, & alia, se putaret copiosius habiturum, Idola colendo, quàm purißime Dei sermonibus adherendo. Hinc est, q. Hier. 44. Hieremiæ increpanti Iudæos, qui in Aegyptum fugerant, ob Idololatriam, illi responderunt: Sacrificabimus Reginæ cæli (quam putabant eße Fortunam, ut quibusdam placet) et libauimus ei libamina, sicut fecimus nos, & patres nostri, Reges nostri, & Principes nostri, in urbibus Iuda, & in plateis Hierusalem, & saturati sumus panibus, & bene nobis erat, malumq; non uidimus. Ex eo autem tempore, quo cessauimus sacrificare Reginæ cæli, & libare ei libamina, indiguimus omnib. & gladio, & fame consumpti sumus. Et uere idem uidemus in multis rep. bis, q. abundât, sicut scriptum est: Abundât tabernacula prædonum. Iob. 12. Psalmo quoq; 143. de impijs dicitur: Filij corû sicut nouellæ plantationes in iuuentute sua. Filiæ eorum côpositæ, circumornatæ, ut similitudo templi. Promptuaria corû plena &c. Ob id Psal. 72. dicit iustus: Mei aût penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei. Quia zelaui super iniquos, pacem peccatorû

 uidens,

uidens. Quia non est respectus morti eorum, neq; firmamentum in plaga eorum &c. Iusti autem nunquam à Domino relinquūtur. Nam illis, quantum opus est, prouidet, ut nihil eis desit, tametsi multoties, non tā supflua illis tribuat, sicut impijs, quorū abundantia execrabilis est, quòd non sit cū fauore aut gratia Domini. Etenim uera abundātia, est Deo plenum esse. Alioqui ipsa abundantia est, quē admodum si quis fimo ac stercorib. abundaret. Omnia etenim condita, haud secus atq; stercora sunt, si cū Deo conferantur. Proinde melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas. Psal. 36. Fit nanq; prouidēte Deo, ut electi sic terrena habeant, ut non inde poßint luxuriari, tametsi nonnullis multa rerum copia, simul cum Spiritu recte illis utēdi, à Domino tribuitur, ut Abrahamo, Dauidi, Iosiæ, Zachæo, & similibus. Cæterum necesse est, ut fideles crucem habeant. Quòd si non habent, crucem angustiæ rei familiaris, aliunde eam perferant, oportet. Nihil tale cogitant impij, sed tantum abundantiam uolunt, undecūq; sit. Esse autem simul in gratia Domini, illis est pre minima. Mercenarij quippe sunt huius sæculi, proinde ab eo, non à Domino mercedem expectant. Quam mercedem? Frumentum, uinum, & oleum &c. Sed quid ait Dominus? Area & torcular non pascet eos, & uinum mentietur eis. Famem enim grauiß. habuerunt Heliæ tempore, dum non pluit annis tribus, & mensibus sex, tertio Reg. 17. Et indubie horum etiam habuere penuriam in captiuitate, apud Aßyrios. Hæc est miserrima incredulorū

merces,

merces, fructus frumenti, uini, & olei: fidelium autem merces Deus est, in quo solo est pax, & uera saturitas, illis uero nemo satiatur. Psalmo decimo sexto: Satiabor, cum adparuerit gloria tua.

PARS SECVNDA.

Non habitabunt in terra Domini. Reuersus est Effraim in Aegyptum.

Quod hic quidam adiungunt: Et in Aßyrijs pollutum comedit, non est in Hebræo. Et si res ita habet, ut in sequentibus palàm est.

IN Domini terra non habitabunt, quia ab ea expellentur, ducenturq; captiui in Aßyriorum terras, quæ hic, ut ca. præce. Aegypti nomine capiutur. Reuersus est, inquit, id est, definitum est, q. Israël reuertetur, in Aegyptum, id est, captiuitatem, ei, quæ fuit in Aegypto, non dissimilem. Sensus est, q. Israël erat denuo, & captiuitate, & dura seruitute premendus. Obserua, q. in terra Domini i. Ecclesia, diu habitare nō possunt, q à Deo fornicati sunt, ut sunt omnes, q ad Antichristi Synagogam spectāt, qui ut Israëlitæ, tempore à Deo præfinito abijcientur, & calcabuntur. Et hoc tempus in ianuis est, & adest.

Non libabunt Domino uinum, & non placebunt eis. Sacrificia eorum quasi panis lugēntium. Omnes qui comedent eum, contami

nabuntur, quia panis eorum animæ ipsorũ, non intrabunt in domum domini. Quid facietis in die soléni, in die festiuitatis domini?

Ex his ostenditur, q. posteaquàm ducti fuerunt in captiuitatem, non potuerunt offerre externa sacrificia, quæ tantũ in domini templo, quod erat apud Hierosolymã, offerenda erant. Alioqui ipsa sacrificia Deo forent abominabilia, q. non Dei, sed proprio eorum instituto fierent. Nimirum, nihil à nobis suscipit, & gratum habet, nisi ab eo fuerit constitutum. Sacrificia, inquit, eorum, quasi panis lugentium, id est, polluta, quemadmodum omnia, quæ in mortui tentorio, seu domo erant, immunda, & polluta erant. Numer. 19. Et omnes qui ex eo comedunt, polluuntur, quia neq; oblatio eorum, neq; animæ ipsorum, id est, neq; ipsi, intrabunt in domum Domini, quia non erunt Hierosolymis, nec ad eam uenire poterunt. Quid ergo facietis in die solenni &c. in quo secundum legem oportet uenire Hierosolymam, & in Dei templo uestra sacrificia offerre? Quasi di. Non poteritis à uestra captiuitate liberi fieri, ut ueniatis Hierosolymam &c.

Nonnulli hunc locum enarrant aliter, per diem solennem, diem punitionis capientes, sic: Quid facietis in die solenni, quo scilicet Dominus, solennem & patentiß. punitionem faciet? Qua. di. Non poteritis à quopiã eripi. Quẽ locum etiam ego ipse in libris nõnullis sic enarraui. Verũ rem ipsam diligentius pensitans, uideo, textum istum eiusmodi expositione torqueri. Proinde syncerior est prior

inter-

interpretatio, à præcedentibus quasi ex filo pendēs. Nam ubi dixit, quòd non essent introituri in Dei domum, in quam diebus solennibus erat conueniendum, congrue sub iunxit: Quid facietis &c.

Ecce enim profecti sunt, à uastitate. Aegyptus congregabit eos: Memphis sepelict eos. Desyderabile argentum eorum urtica hæręditabit, lappa in tabernaculis eorum. Venerunt dies uisitationis, uenerunt dies retributionis.

Complures hunc locum, de Iudæis, post euersam Hierosolymam, in Aegyptum, timore Chaldæorum fugientibus, contra uerbum Domini, interpretantur. Hier. 43. Ego nimis alienam puto hanc declarationem, propterea, q. totum hoc caput est aduersus decem tribuum Regnum. Sic ergo aliter enarretur: Ecce (ex Israëlitis) profecti sunt (in Aegyptum) à uastitate, id est, euersione regni sui, fugientes Aßyriorum manus. Siquidem omnibus duarum tribuum hoc fuit ingenium, ut fugientes mala, descenderent in terras Aegyptiorum. Vnde ex hoc textu, neceße est dicere, quòd dum Israël translatus fuit in Aßyrios, aliqui eorum fugerunt in Aegyptum, de quibus subiungitur: Aegyptus congregabit eos &c.

Adhuc post hanc secundam expositionem scrupulus manet, q. totus hic textus, de captiuitate decem tribuum

capitur, & terræ eorum uastatio prænunciatur. Idcirco non uidetur, quòd de aliqua parte populi in Aegyptum fugientis, poßit intelligi, maxime quòd hic dicatur: Congregabit eos, non dubium quin filios Israël. Deinde, nulla est hic increpatio fugientium. Si autem uellet increpare fugientes, indubie aliquid expreßisset, ut Hieremiæ. 42. & . 43. Filij quoque decem tribuum, non leguntur ad Aegyptios rediisse.

Ad huius ergo loci plenam intelligentiam, suscipe hanc similitudinem. Sit aliquis Dominus habens discolum puerum, & suis monitis nullatenus adquiescentem. Hunc clausit ideo Parrisijs, in carcere uocato Gallice Chastellet. Hunc tandem à carcere liberum faciens, uenit Auenionem. Vbi dum cernit puerum iterum lasciuientem, illi comminatur, dicens: Ego iterum te conijciam in Castelletum, & illic seruaberis, ut olim. Verum non intelligit de loco Parrisiorum sic uocato, sed aliquo forti carcere, ut est turris altißima & fortißima, cui nomen Troulhas. Quod & idem puer intelligit. Scit enim quòd non mittet eum in Parrisiorum carceres, quòd multa sit terrarum intercapedo, ab urbe Auenionis. Sic est in proposito.

Presserat Deus Israëlẽ apud Aegyptios, longa captiuitate, duráque seruitute. Quem ad se suscepit, ab ea seruitute liberans, et in terram eis promissam transferens. Demum eundem à se turpißime apostatantem, & fornicantem, nullatenusq; resipiscere uolentem, durius increpat,

comminaturq;

comminaturq; illi, dicens. Iterum te Aegypti dura captiuitate premam. Iterum Aegyptijs seruies, & sub illis humiliaberis. Quia autem non nisi apud Aßyrios, legitur postmodũ fuiße captiuus, nõ poteſt de alia captiuitate adcipi, quam de ea, qua Aſſyrijs seruierunt.

Proinde, arbitror ſanius hunc locum expoſitum, ſi dicamus. Ecce enim Iſraelitæ, profecti ſunt à uaſtitate & euerſione terræ eorum. Quo profecti? Ad Aßyrios, uel nolẽtes & coacti. Aegyptus hæc noua, id eſt, terræ Aſſyriorum, in quibus ſicut in Aegypto olim erant adfligendi, congregabit eos, id eſt, omnes in eã congregabuntur. Memphis ſepeliet eos. Per Memphim Aegypti ciuitatẽ, olim Metropolim, nunc Damiatam nomine, urbes Aßyriorum capimus. Huius ergo loci eſt ſenſus, quod apud Aegyptios morientur, & nõ redibunt in terram eorum.

Porro argentum eorũ, deſiderabile eiſdem, hoc eſt, cui tantopere adficiuntur urtica hæreditabit, id eſt, erit ſepultum & abſconditũ in locis, ubi urticæ exorientur. Et in eorũ tabernaculis, lappæ adcreſcent. Nam uenerunt, id eſt, in proximo ſunt, dies uiſitationis & retributionis eius. Replicat autem uenerunt ob certitudinem.

PARS TERTIA.

Scitote, Iſrael ſtultũ, prophetam inſanum, uirum ſpiritualem. Propter multitudinem iniquitatis tuæ, & multitudinem amentię.

Qui-

Quidam diuidũt hanc dictionem scitote, sic. Scito te Israël &c. Verũ in Hebræo, nõ nisi una dictio est, modi imperatiui, & pluralis numeri.

Præcipit igitur Deus, ut uideamus, quis sit Israël, ac Prophetæ, quos ille abominatur. Absit enim, ut dicamus, quod totum Israël reprobarit. Dicit ergo. Scitote, discite, & erudimini, ad cognoscendum Israël à me reprobatum, stultum esse, quod uera spiritus sapientia, in eo minime sit. Prudentes quidem secundũ carnem, nonnulli eorum esse uidentur, sed prudentia huius mundi ipsißima apud deum stultitia est. Discite, quod non sit, apud dominum personarum adceptio. Ephe. 6. & Acto. 10. sed sola fidei puritas illi grata est. Ideo non ei placent Israelitæ, nisi fideles sint. Adcepta quoq; illi est omnis natio, si credit. Sic ex terra Hus, Iob illi fuit gratus, et Naaman ex Syria. Scitote ergo ait dominus, quod Israël animalis, stultus, & carnalis, est sup. ille quem odio. Discite itidem quis sit Propheta, mihi abominabilis, populum seducens, & à me auertens. Is est qui non habet sanam mentem, Propheta scilicet insanus, suis figmentis populum stultũ efficiens. Is est spiritualis ille, scilicet qui spiritum meum se habere promittit. Is uir spiritualis, qui pro tali haberi uult, cum nihil minus sit, est amens, ac sine sensu & iudicio uero. Ideo nihil omnino aptus ad propheticum munus, quod se habere iactitat.

O expauescendum altißimi iudicium, habere Prophetam insanum, & pseudospiritualem, id est, hypocritam. Impossi-

Impossibile enim est, eum populum non fieri stultum & animalem, quem ille docuerit. Hæc fuit multis sæculis perditio nostra, quod egregij illi, Regni Antichristi spirituales, sua mendacia potenter inculcarunt, pro spiritualissimis, ac summe necessarijs institutis. Proinde amentes & absq; spiritus dei sensu ac iudicio, facti sunt populi fidelium, adquiescentes insanis spiritualibus istis.

Insignis profecto est hic locus, quo eorum conficta et execrabilis spiritualitas, à sancto spiritu subsannatur. Scitote, inquit, Prophetam insanum, uirum spiritualem. Q. d. Ecce has bestias, has feras, hos asinos, has talpas excæcatissimas, hæc uenenata reptilia terræ, quàm non sint, quod se esse dicunt. Volunt enim haberi pro sanctissimis, quibus nullus prophanior: pro iustissimis, quibus nullus iniquior: pro spiritualissimis, quibus nullus carnalior: pro sapientissimis, quibus nullus insanior: pro Reuerendissimis, quibus nullus uituperabilior: pro gratiosissimis, quibus nullus crudelior: pro ueritatis prophetis, quibus nullus mendosior: pro amicis Dei, quibus illi est odio magis nemo. Eiusmodi est tota misera illa, ac pseudospiritualis synagoga filij perditi, se pro Regno Dei spirituali cunctis uenditans. Dispereat domine IESV hoc mendaciorum & hypocriseos Regnũ, Amen.

Sed ad priora regrediendo, cur dedit Deus in reprobam mentem & spiritum mendacij, Prophetas Israel? cur etiã non impleuit sapientia Israelem ne stultus esset? Propter multitudinem, inquit, amentiæ & iniquitatis

tuæ,

tuæ, supple hæc feci. Itidē propter hæc te punituru⁊ sum, & à terra, quam inhabitas depulsurus. Hæc sunt capienda simpliciter, ut textus habet, sic tamen, ut semper non nihil maneat insolutum. Nam causas excæcationis impiorum, nullus agnouit. Secretum Dei est, sibi totum committendum, cui soli in omnibus gloria semper.

Speculator Effraim, cum deo meo Propheta, laqueus ruinę factus est, super omnes uias eius.

Vigilat super nos indefessus ille, ac ineffabilis clemētiæ, domini oculus, cui de nobis summa est cura. 1. Pet. 5. Non dormit neq; dormitat, qui nos perinde atq; pupillā oculi delicatam custodit Psal. 10. Et id quidē neceße est, quod non dormiat, neq; dormitet, qui nos impugnat. Est ergo summus speculator. Nimirum, nisi dominus custodierit ciuitatem, frustra uigilat, qui custodit eam Psal. 120. Cæterum deus summa bonitate sua, non quod nobis indigeat, sed in nostrum bonum, sumit è nobis cooperatores, qui cum eo super populo aduigilent, & speculatores sint. Hinc Paulus ait. 1. Corin. 3. Christi adiutores sumus. Hinc quoq; hic dicitur, Propheta, cuius scilicet mysteriū est, ut sit speculator Effraim, id est, Israël. Speculator & Episcopus idem sunt. Nam alterum latinum, alterum græcum est, idemq; significāt. Quod cū ita sit, profecto omnis Propheta Episcopus est. Et esse Episcopum, est eße ministrum, non Principem aut dominum. Ad eum namq; spectat, ut super Dei populo aduigilet, & in hoc ministe-

ministerio adiutor Christi sit. Hinc uides quod supercilios æ illæ laruæ, & uentres pigri, qui se pro Episcopis uenditant, nihil minus sunt, quàm Episcopi, quod non uigilēt super populo, nisi ad eum exhauriendum omni eorum substantia, nec sint Christi adiutores, sed euersores quantum possunt, omniū operum eius, sermonumq; illius corruptores & obfuscatores.

Hi sunt, qui non minus quàm falsi Prophetæ Israelis, fiunt Dei populo, laqueus ruinæ, id est, ad ruinam, super omnes uias eius. Viæ eius sunt cogitationes, adfectus, sermones, & opera. Super has uias illi sunt laqueus, dū eos suis inuentis ac mendacijs seducunt, impediuntq; ne ipse eorum uiæ recte sint. De eo quod laqueus sunt supra cap. 5. in principio tractauimus.

Insania, in domo domini. Profunde peccauerunt, sicut in diebus Galaa. Recordabitur iniquitatū eorū, & uisitabit peccata eorum.

Lege sacras historias, & inuenies, quod nemo effrenatius, se ad omne scelus dederit, his quos ex uocatione deo oportuit esse coniunctiores. Nam posteaquam iugū domini abiecerunt, nemo plus illis insanuit, ad omne malum. Quod etiam nostro sæculo uides in pseudoepiscopis Pharisæis, & sacrificis, ac omni eorum cohorte. Proinde hic de Israelis pseudoprophetis, ac falsis sacerdotibus dicitur. Insania, id est, ardor nimius ad omne malum, in domo domini, sup. est, nempe, in ministris eius. Profunde enim, id est, effrenate, uehemēter & grauissime peccauerunt,

rũt, ſicut in dieb. Gabaa, quib. incredibili ardore libidinis, occiſa eſt leuitæ coniunx Iudi. 19. Porro iniquitatum eorũdem tum recordabitur, eaſq; uiſitabit, dum eoſdem pro illis flagellabit & puniet.

Quaſi uuas in deſerto inueni Iſrael. Quaſi prima poma ficulneæ, in cacumine eius uidi patres eorum. Ipſi autem intrauerunt ad Beelphegor, & abalieanati ſunt in confuſione, & facti ſunt abominabiles, ſicut ea quę dilexerunt. Effraim quaſi auis auolauit.

Oſtendit quàm pauci ſint electi, et quàm multi reprobi. Inueni, inquit, Iſraël quaſi uuas in deſerto, in quo paucæ & rariſsimæ ſunt. Senſus eſt, quod paucos bonos et fideles repererit, lege hiſtorias & uidebis quàm uerum ſit. Nimirum uniuerſi erant tam propenſi ad idololatriam, & ad omnes gentium abominationes imitandas, ut nullũ putares inter multa milia pium fuiſse.

Primi eorum patres, nempe Abraam, Iſaac, Iacob, &c. fuerunt in cacumine, id eſt, in principio, ut prima ficulneæ poma, quæ cæteris ſunt meliora. A quibus cæci filij, in ſuum interitum degenerarunt. Nam intrauerunt ad Beelphegor, ſequentes idololatriam, filiorum Amon & Moab. Nu. 25. Et in ſua confuſione, eo ſcilicet, idolatrandi facto, quo confuſi fuerunt, facti ſunt mihi abominabiles, ſicut idola, quæ dilexerunt. Hinc habes argumentum,

tum, quòd quisque talis efficitur, qualia sunt ea quibus adficitur. Nam si sanctum est quod amas, sanctus effeceris: si prophanum, prophanus: si abominabile, abominabilis, & sic de idgenus cæteris.

Beelphegor, quem nos Priapum possumus adpellare, Idolum fuit Moabitarum, DOMINO abominabile, quem & alia Idola Israëlitæ diligentes, abominabiles facti sunt.

Adaucta quoque semper fuit abominatio eorum. Nam à Deo semper grauius apostatarunt, illo contempto, reliquis adhærentes. Quam ob causam à Deo tandem reiecti sunt, & à terris eorum translati. Proinde, subiunxit: Effraim, id est, Israël, auolauit, quasi auis, à nido scilicet. Nidus Israël, erat terra eorum, quam Patribus eorum promissam, à Deo adceperant, in qua eos fouebat & protegebat DOMINVS, sicut auis pullos in nido. Auolarunt autem ab ea, dum uel nolentes in Assyrios fuere translati, quarto Regum. 17.

Obserua, quòd Dei refugium & protectio, est omnibus credentibus, quasi nidus auiculis, immo absque similitudine securius. Nemo enim potest quenquam rapere, à manu Dei protegentis, in nido autem aues capiuntur. Deum esse fidelibus nidum tutissimum, habet toto Psalmo nonagesimo: Qui habitat in adiutorio altissimi &c. Et Psal. 124. Qui confidunt in DOMINO, sicut mons Sion, non commouebitur in æternum, qui habitat in Hierusalem. Montes in circuitu eius, & DOminus

MINVS in circuitu populi sui, ex hoc nunc, & usque in sæculum.

PARS QVARTA.

Gloria eorum à partu, & ab utero, & à conceptu. Quòd & si enutrierint filios suos, absque liberis eos faciam in hominibus. Sed ueh eis, cũ recessero ab eis.

PLurimum adauctus fuit Israëlis populus, uuluæ benedictionem, id est, facilem partum & conceptum, præ cunctis nationibus habens. Voluit nanque Deus, ut multiplicarentur. In quo nonnulli carnales plurimum gloriabantur, ad Dominum cuncta, sicut oportuit, minime referentes. Deniq; ipsam eorum prolem non docebãt amare & timere Dominum, quin potius suo exemplo, ad omnigenam impietatem prouocabant. Propter quod Dominus ait, quòd sit eos facturus absq; liberis, scilicet eos per Aßyrios interfecturus, & in captiuitate, ac seruitute durißima positurus.

Sequitur: Sed ueh eis &c. Sensus est, quòd postea quàm illos reprobarit, nec pro suo populo ultrà habuerit, maledicti, ac compluribus flagellis & malis obnoxij erunt. Obserua tamen, quòd nonnulli adserunt, hunc locum, unum eße de præcipuis, quos impij Iudæi corrupe

runt,

runt, ut CHRISTI gloriam obfuscarent. Adfirmant enim, q. à Principio Hebræi codices ita habuerint. Quia etiam ueh eis, incarnatio mea ex eis: uel, caro mea ex eis. Qui textus multum consonat præcedentibus. Et ego puto omnino ita fuisse. Nimirum non tam conuenire uidetur, quod hic ponitur: Sed ueh eis, cum recessero ab eis. Nam ante & post hunc locum, futura eis mala specialiter prædixit. Ergo alius textus uerus est, qui sic iungitur prioribus. Certum est, ob id maxime Iudæos tam multiplicatos, & Deum noluisse, ut à filijs procreandis desisterent, ac steriles pro maledictis fuiss. habitas, q. Filius Dei carnem ex eis sumpturus erat. Voluit enim, ut etiam hac generandi frequentia, & seminum suscitatione multiplici, ostenderent, quòd cuperent semen illud, in quo uniuersæ gentes benedictionem suscepturæ erant. Propterea ante CHRISTVM natum, illis minime licuit, ut incõiugati manerent. Alia quoq; ratione id uoluit Deus, ut eius populi, qui typum Ecclesiæ gerebat, multiplicatiõe, ipsius Ecclesiæ multiplicatio designaretur. Porrò nihil tale, qui ex eis carnales erant, meditabantur, quinpotius inde superbiebant, & eleuabantur in cordibus suis, non glorificantes Deum, qua ratione oportebat, apostatabantq; semper à Domino, donec ab illo abijcerentur.

Dicit ergo nunc: Gloria eorum à partu &c. Quasi di. En quòd feci hos ingratos, præ cunctis nationibus fœcundos, ob idq; gloriosos coram reliquis, & ipsi apostata-

runt à me. Propterea faciam eos inter homines absq; liberis. Nam omnes occidentur, aut captiuabuntur. Quia etiam ueh eis, supple, datur, per id, quòd incarnatio mea ex eis est futura. Nam quemadmodum ipsa incarnatio mea, erit pijs Israëlitis in gloriam, ob fidem, ita carnalib. erit in contumeliam, iudicium, & condemnationem, ob ingratitudinem, & incredulitatem.

Effraim, ut uidi, Tyrus erat, fundata in pulchritudine. Et Effraim addu cet ad interfectorem filios suos.

En quod pauloantè diximus, nempe quòd una regio, per aliam capitur. Sic per Aegyptum, Assur: & per Tyrum, Israël designatur. Dicit ergo: Effraim &c. Sensus est: Israël, ut Tyrus, ex abundantia & pulchritudine superbiuit, & contra me se erexit, non agnoscens, quòd omnia à me habuerit. Proinde filios suos, in quibus uel multo maxime gloriatur, uel coactus adducet ad interfectorem, Regem & exercitum Aßyriorum.

Quid est autem, quòd toties uocat Effraim Israëlitas? Profectò non aliud in causa magis fuisse puto, quàm ut ex nomine tribus, cuius abominationibus, id est, uitulis ab ea fabricatis, consenserant, magis pro sua Idololatria confunderentur.

Da eis Domine. Quid dabis eis? Da eis uuluam sine liberis, & ubera arentia.

Orat Propheta contra apostatas ex Israël, dicens primum: Da eis Domine. Quod uerbum fuit adirati, contra apostasiam eorum, & pro contemptu Dei, illisque Dei flagella exoptantis, uel in generali, demum adiecit: Quid dabis eis? Ac si diceret: Grauissima sunt crimina eorum. Tandem obseruans, quòd omnes eorum filios à Deo auertebant, zelo Dei, & ne multi reprobi nascerentur, optauit, & nullum amplius ex carnalibus nasci, & iam natos paruulos, antequàm ab eis seducerentur, interire, & ait: Da eis Domine uuluam sine liberis, id est, fac, ut illorum uxores steriles sint, & ubera arentia, hoc est, ut non habeant lac, quo paruulos enutriant. Vtinam sic fieret, de his, qui nostro sæculo contradicunt ueritati, & resipiscere nolunt. AMEN.

Omnes nequitiæ eorum in Galgal, quia ibi exosos habui eos.

Galgal ciuitas erat, in qua Iosue circunciderat filios Israël, Iudicum quinto, & archa primum quieuit. In qua Idolorum abominatio, maiorem in modum creuit, propter quod & in eos Dei ira desæuit. Hæc est urbs, de qua suprà, capite quarto: Nolite ingredi in Galgala. In ea fuere omnes eorum nequitiæ, quia ab ea maxime totius Israëlis infectio est profecta. Siquidem homines superstitiosi, uidentes, quòd illic primum populus fuerat circuncisus, & archa Dei primum quieuerat, ducti his factis in errorem, putabant locum Hierosolyma sancti

orem, ideóque non minus illic quàm Hierosolymis sacrificandum. Ob id fabricarunt Idola & excelsa Domino, colentes eum proprio instituto. Qua re infectus Israël, per pseudoprophetas, facile admisit uitulos aureos, & omne Idololatrandi genus, quod licitum esse putabant. Sic eos deceperat & adligauerat fornicationum spiritus, ut nihil aliud possent, quemadmodum suprà, in fine capitis quarti uisum est. Proinde subiungitur: Ibi exosos habui eos. Ibi, intellige, propter abominationes, quas ibi perpetrarunt. Non negat, quin propter multa alibi facta, eosdem exosos habuerit.

Propter maliciam abominationum eorum, de domo mea eijciam eos. Non addam, ut diligam eos. Omnes Principes eorũ recedentes.

Loquitur more patrisfamiliâs, in familiares aliquot adirati & comminantis, quòd illos sit e domo sua fugaturus. Sensus est, quòd propter eorum abominationes, non sit amplius eos pro suo populo habiturus, quin potius à se repulsurus, ut suprà capite primo dictum est. Dicit item, quòd non addet, ut eos diligat, id est, ut ostendat signa dilectionis, quæ usque in eum diem ostendit. Hoc est, quod suprà, capite primo dixit: Non addam ultrà misereri domui Israël. Et eadem omnino est huius enarratio loci, sicut illius. Non exhibebit ergo illis denuo hanc dilectionem, ut posteaquàm Regnum eorum euerterit, illud iterum erigat. Quare? Quia omnes Principes ac maiores

iores eorum recedentes & apostatæ, ac populum à Domino auertentes. Quasi diceret: Ad quid ultrà erigam apostatantium Regnum? Peribit memoria eius, & non ultrà suscitabo illud.

Percussus est Effraim. Radix eorum exiccata est, fructum nequaquam facient. Quòd & si genuerint, interficiam amantissima uteri eorum. Abijciet eos Dominus Deus meus, quia non audierunt eum, & erunt uagi in nationibus.

Ob diuini decreti certitudinem & immutabilitatem, Effraim, id est, Israël, dicitur in præterito percussus, flagellatus, & humiliatus. Radix quoque eorum exiccata, ut non tam fœcundi, ut antè, sint. Fructum, inquit, nequaquam facient, supple, ut antè. Amantißimos quoque ex his quos genuerint, adserit se interfecturum, ut in eis minime glorientur, sciántque ab eo fuisse, quòd antè fœcundi erant, & prosperabantur eorum conceptus & partus, cum, Deo iudicante, cessarit illorum fœcunditas, & pauci quos genuerint non uiuent. Non est intelligendum, quòd nullum omnino ex Israëlitarum filijs uiuentem dimiserit. Nam & Thobiæ, & multorum aliorum filij diu uixerunt, etiam inter Aßyrios. Si dicis, Thobias & similes non fuerunt hi, contra quos hic fuit prophetatum. Non enim fuit ex incredulis, sed fuit & spiritu & carne uerus Israëlita, de quibus Scripturæ dicunt,

cunt, quòd semen eorum in benedictione erit. Hic autem locus est maxime contra incredulos. Respondemus, quòd tametsi hæc ita se habent, tamen non etiam omnes carnalium filios interfecit, nisi eum dicas, omnium qui moriuntur, interfectorem, quòd nemo, nisi eo uolente, moriatur. Non prædixit se omnes interfecturum, sed quos maxime dilexerint, ut scias Dei uoluntatem aduersus carnalium desyderia ex diametro pugnare. Ipse nouit, & solus quidem, in quos specialiter ferebatur sententia eius.

Concludit autem Propheta, quòd illos abijciet Dominus Deus, indubie exhilaratus in uindicta contemptorum Dei, iuxta illud Psalmi quinquagesimi septimi: Lætabitur iustus, cum uiderit uindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris. Proijciet, inquit, eos Dominus Deus meus. Quare? Quia non audierunt eum, & contempserunt ueritatem eius, Prophetásque illius spreuerunt, ac persecuti sunt. Ob id captiuabuntur, & uagi erunt in reliquis nationibus, qui pro nihilo habuerunt soliditatem terræ, quam illis misericordiarum Pater tradiderat. Iustus es DOMINE, & rectum iudicium tuum. Psalmo. 118.

Cap. 8. Primum ostendit, quàm Israël fuerit abusus bonis à Deo adceptis, ac omnium copia & fœcunditate, per id grauius à Deo fornicando. Secundo, iusta ingratorum punitio subiungitur. Tertio, quàm nihil meliores fiant impij, ob Dei flagella, quin potius propter illa desperent & deteriores fiant. Quarto, de translato

titulo,

uitulo, quod erat apud Bethel in Aßyrios. Quinto, de Regno Iuda prophetat, & docet quid seminabit. Sexto, reuertitur ad decem tribus, eorum euersionē prænūcians.

PARS PRIMA.

CAPVT X.

VItis frondosa Israel, fructus adæquatus est ei. Secundum multitudinem fructus sui multiplicauit altaria. Iuxta ubertatem terræ suæ exuberauit simulachris.

ESaiæ quinto domus Israël, uinea Domini exercituum adpellatur: hic autem uitis, quæ ob multiplicationem frondosa dicitur. Huic fructus adæquatus extitit, quia secundum quòd populus Israël adcreuit, necessariorum copia illi tradita fuit, & abundarunt frumento, uino, & oleo &c. Porrò hæc abundantia ei fuit ruinæ grauioris occasio, q. adceptis à Domino rerū copijs, plus quàm ipsi Domino adfecti sunt, ac pro illis à Domino fornicati sunt, & apostatarunt. Hinc est, q. Moses Deut. 32. ait: Incraßatus est dilectus, & recalcitrauit: incraßatus, impinguatus, dilatatus. Dereliquit deum factorem suum, & oblitus est Domini creatoris sui.

Aliunde quoq; fructus uitis huius frondosæ dicitur illi

adæquatus, uidelicet q, à principio pulchras frōdes, id est, optimos Patres habuit, quorum fructus, id est, opera uere bona, multus erat. Quia enim fideles erant, preciosis operum ex fide fructibus abundabant, & secundum multitudinem fructuum fidei, qui in ipsis reperti sunt, in eorum filijs, acerbi infidelitatis fructus adcreuere. Multiplicarunt nanq; Idola, & altaria ædificarunt, spreto Deo uiuo & uero. Itidem secundum eiusdem populi multiplicationem, & terræ eorum ubertatem, exuberauit aris, atq; simulachris. Nimirum multoties quilibet locus, id est, aut ciuitas, aut oppidum, aut pagus, & in eis quælibet familia, altaria & Idola sibi fabricabant, sicq; eiusmodi abominationibus insaniebant, ut colerēt aliud Idolum pro hoc fructu, aliud pro alio, gentium impietatem in hoc imitati. Quod etiam ab his, qui se nunc Christi esse dicunt, heu, hodie fit, qui diuorum superstitione execrabili, eorum cuiq; proprium ministerium partiti sunt, & seducti per impostores spiritus, æstimant, quòd unus hoc, alius aliud posit, non obseruantes, quòd unus tantum est Deus, & unus apud eum aduocatus & mediator noster, DOMINVS IESVS CHRISTVS. Aedificant paßim illis altaria, Idolaq; multiplicant, qđ soli Deo, & CHRISTO eius offerre, & tribuere oportuit, illis sacrificantes & attribuentes. Tum autem Deo, ac CHRISTO sacrificātur, cum secundum uerbum eius illis utimur, & quantum opus est, egenis proximis ea largimur.

PARS SECVNDA.

Diuisum

Diuisum est cor eorum, nunc interibunt. Ipse confringet simulachra eorum, depopulabitur aras eorum.

Quia Israelitarum corda, diuisa erant, hoc est, apostatarant à domino, cui eorum patres uera fide iuncti erant, nunc, id est, cito, interituri prædicuntur. Nam quia Deus uita est, quisquis ab illo diuiditur, in interitu manet. Siquidem animo interijt, & mortuus est, & quod ad externa spectat, in proximo non deficere ac interire non potuit. A Deo autem idolorũ caussa se illi diuiserant, proinde subiungitur. Ipse confringet simulachra eorum, & depopulabitur aras eorum.

Quod per Iosiam Regem Iuda factum est. 4. Reg. 23. & 2. Para. 34. Mitte domine IESV, festina, & ne tardaueris. Mitte Iosiam alium, qui in omnibus terræ finibus, destruat quidquid est altarium, phanorum, lucorum, simulachrorum, & omnes id genus abominationes, ut tibi puro corde seruiamus, adoremusq́; te in spiritu & ueritate. Aufer abomirationem, quæ tot sæculis sedit in loco sancto, quàm tui uerbi luce & potentia admirabili, retegere & deijcere cepisti: AMEN.

PARS TERTIA.

Quia

Quia (uel ideo) nunc dicent. Non est Rex nobis. Non enim timemus dominum. Et rex quid faciet nobis? Loquimini uerba uisionis inutilis, & ferietis fœdus, & germinabit, quasi amaritudo iudicium, super sulcos agri.

Nonnulli putant hunc locum intelligendum sic, ut sit electorum sermo. Qui ob id dicebant se rege priuatos, aut priuandos, quod populus non timeret dominum. Sed tum, omnes partes, non conuenirent. Nam qua ratione à Propheta mox carperentur, qui illis dixit. Loquimini uerba &c. Etenim si à timore domini uerba hæc profecta fuißent, non fuißent sermones uisionis inutilis. Proinde uidetur aliter dicendum, uidelicet quod intelligatur de præscriptis apostatis, etiam post dei flagella deterioratis, & fere in desperationem ductis. Nam quemadmodum flagella electis proficiunt, ita reprobis adferunt perditionem & desperationem.

Igitur, sic enarretur hic textus. Posteaquam Israelitæ à deo apostatarunt, & propterea euersum fuerit regnum eorum, ac simulachra et altaria demolita, ob id uersi fere in insaniam & desperationem, tum dicent: Non *est nobis rex, aut deus aut quispiam ex nobis. Nam Deus reiecit nos, &* Rex Oseæ *ab* Aßyrijs *depositus est, ne in nobis regnet. 4. Reg. 17. Quid liberi erimus ad omnem uoluntatem nostram, & colenda idola sicut uoluerimus.*

Nec

Nec sicut hactenus male erit nobis. Legi quoq; Mosi non subijciemur. Non enim timemus dominum hunc aut illũ: non Oseæ, quia ablatus est à nobis: non deum, quia reprobauit nos, ne simus populus eius: non Regem Assyriorum, quia nihil magis uult, quàm quod idola colamus, ut cæteræ nationes. Et Rex, aut Deus, aut Aßyrius, aut alius quicunq; si hoc aut illud fecerimus, quid faciet nobis? Qu. d. Si uoluerit nobis interdicere, ne faciamus quæ uolumus, non adquiescemus ei. Nam omnino uolumus liberi esse, nec cuiuspiam arbitrio duci uolumus, sed nostro. Et Assyriorum rex nihil faciet nobis, cum secuti fuerimus desyderia cordium nostrorum, ut secundum populi sui ritus uiuamus.

Ergo isthæc uerba non sunt timentium dominum, aut resipiscentium, sed grauius ob flagella à Deo apostatantium, et de eo male sentientiũ. Propter quod mox à domino subiungitur. Loquimini uerba uisionis &c. Qu. d. Miseri & cæci, cupitis adhuc cordis uestri desyderia sequi? nec flagella uos meliores faciunt, quinpotius grauius in me insanitis, & à me fornicamini? En proponitis uos facturos ingentia, & decernitis, quòd neq; meo neq; alterius freno uos sinetis infrenari, hoc est, uoluntate ac legibus constringi. Sed ecce loquimini uerba uisionis, id est, cogitationis inutilis, id est, quæ ad nihil utilis, quinpotius perniciosa est. Et ferietis simul fœdus, hoc est definietis, ac pmittetis, uos impleturos hanc inutilẽ uisionem. Et tũ iudicium, id est, punitio, ex hoc sup. quod proponetis & facietis,

cietis, germinabit, id est, crescet, quasi amaritudo, id est, grauissime & horrendissime, super sulcos agri, id est, super carnales, quos dominus hic per eosdem sulcos intelligit. Sulcus est terræ incisio, quæ aratro fit. In quibus sicut germinat triticum, ita super carnales & impios, prædicit iudicium germinaturum. Quidam libri habent, ferietis fœdus, cum mēdacio. Verum hæc additio, cum mendacio, non est in Hebræo, tametsi subintelligitur, modo per mendacium, præscripta uisio inutilis capiatur, quàm se impleturos definiebant.

PARS QVARTA.

Vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ. Quia luxit super eum populus eius, & ęditui eius, super eum exultauerunt, in gloria eius, quia migrauit ab eo. Siquidem, & ipse in Assur, delatus est, munus regi ultori.

VT hunc locum, capere ualeamus, obseruandū primo, quod in Hebræo non est, Vaccas Bethauen coluerunt &c. sed sic. Ad uaccas Bethauen, timuerunt habitatores Samariæ. Secundo, fictitium esse quod nonnulli hic commentantur, de furto sacerdotum, dicentes, quod uitulos aureos pro seipsis furto sustulerint, &

deaura-

deauratos eorum loco posuerint, & quod eos deauratos aut unum eorum, Rex Mananehen miserit pro munere Phul Regi Aßyriorum &c. Tertio, quod Rex Mananehen misit munera, ipsi Phul Assyrio, mille talenta argenti. 4. Reg. 15. An autem uitulum ille miserit, nescimus. Arbitror autem, quod nullatenus id fecerit. Nam uitulos aureos ipse adorauit, sicut dicto loco habetur. Ambulauit enim in peccatis Hieroboam, qui uitulorũ abominatione fecit Israël peccare, & fornicari à domino. Ego uerius puto, quod id fecerit ultimus Rex Israël Osee. de quo. 4. Reg. 17. dicitur, quod non fecit malũ coram domino, sicut Reges, qui ante eũ fuerũt, nec legitur ambulaße in peccatis Hieroboam, sicut prædeceßores eius. In quibus si ambulasset, non est uerisimile, quod non fuisset expreßum, sicut de cæteris Regibus Israël. Is soluebat tributa Regi Aßyriorũ, qui Rex ultor idcirco recte dicitur, quod per eum Deus faciebat ultionẽ, cõtra impios ex Israël. Quia autem is Osee Rex Israël, minus impie uixit, antecessoribus suis, nec legitur uitulos adorasse, uerisimilius est, quod uitulum, qui erat in Bethauen, præ cunctis Regibus Israël, Regi Assyriorum miserit, pro munere seu tributo. Nequaquã enim uidetur, quod Reges qui uitulos coluere, eos Regi Assur dono miserint. Verũ quidquid sit de rege mittente, certũ est ex hoc loco, unũ è dictis aureis uitulis, mißum fuiße Regi Aßur, pro munere.

Dicit ergo. Habitatores Samariæ, quæ erat metropolis Regni, timuerunt ad uaccas Bethauen. Vitulum qui erat in Be-

in Bethauen, uaccas subsannatorie uocat. Cum enim uitulus ipse fuit missus dono Aßyriorum Regi, timuerunt populi, ne inde malum eis accideret. Nam indubie qui eos colebant, prosperitatem Regni uitulorum præsentiæ tribuebant. Propter quod ablata uacca, id est, uitulo, ad illum, id est, propter illum, timuerunt, ne scilicet propterea, quidquam mali eis contingeret. Nimirum ut sæpe diximus, dicebant se uere colere dominum, in aureis illis uitulis. Pari omnino superstitione, apud nos, in erroris spiritu, cum idolis, multis sæculis factum est. In crucifixi namq; ac puerili matrisq; eius idolis, credidimus nos colere, dominum pro nobis factum paruulum, ac paßum, & matrem eius. Itidem coram idolis diuorũ. Tantaq; superstitione, multi in his tenti fuere, ut ipsa idola oscularentur, eisq; diuinum honorem impenderent, coramq; eis, gemerent, orarent, genua curuarent. Nec uidimus miseri & cæci, quod damnantes idolorum cultores, in id quod damnabamus decidimus. Profecto nihil minus eis fecimus. Neq; nobis per id adulemur, quod diximus. Non idola seu imagines propter se, sed propter eos quos repræsentant colimus. Eiusmodi enim cultum obominatur Deus. Interdixit enim Deus, ne sibi idolum quisquam fabricaret. Exo. 20. & multis alijs locis. Nonne ipse nouit quo cultu debet coli, & quis sit cultus nominis eius? Ipse cultum à nobis excogitatũ, pro blasphemia habet, & adhuc adserimus, quod cultus Dei sit. Atq; eo usq; processit impius error, ut etiam quæq; gẽs, quælibet

urbs,

urbs, immo quilibet pagus, atq; parochia, itidem quælibet hominum conditio, ꝓprios Deos sibi adfinxerint, quos supra Deum colerent, quos & suos Patronos uocāt. Sunt autem hi Dij, sanctorum dormientium Idola, quibus plus honoris impendunt, quàm Domino nostro IESV Christo. Scio ego Idola, in quæ sic, & tam multum homines fidunt, ut etiam dicant, ꝙ malint offendere Christum quàm ea. Et semel apud insulam Venayßmei comitatus, ego ipse uidi auferri unum crucifixi Idolum, ut aliud pulchrius suo loco poneretur. Aliud enim præ uetustate, maxime autem ob frequentia muliercularum oscula, & incensos coram illo cæreos, immundum, subfumigatum, & corrosum erat. Insaniebat autem ob id fex Idololatrantium, dicens: En abstulerunt nostrum Deum antiquum. Is placebat nobis, & illi adficiebamur, nouum autem pro nihilo habemus.

Veh nobis, quia peccauimus, & seducti nimium fuimus, plus quàm omnes gentes, & non coluimus Dominum, nisi in hypocrisi & mendacio, quod nihil minus est, quàm colere eum. Ipse uult coli spiritu & ueritate, Ioannis quarto, & nos illi fabricauimus excelsa, altaria, sculptilia, lucos, &c. Insuper & Dijs nostris, id est, his quibus plus quàm Deo fidimus, idem fecimus. Proinde, cum ipsa Idola auferuntur, quid minus fit, quàm olim in populo uitulos adorante? Qui posteaquàm audiuit uitulum ad Assyrios missū, timuerunt sibi, ne ob id mali quicquam perferrent. Qui si uere Deum agnouissent, nec sculptilia ei fabricaßent. Sciuissent utiq;, q, Deus ubiq; est. &

auferri à nemine potest. Nimirum cælum & terram implet. Hierem. 23. Porrò, quia timuerunt, ubi non oportuit, factum est, ut inciderent in id quod timebant. Nam anno sexto dicti Oseæ Regis Israël, obsessa fuit Samaria, & anno nono eius, totus Israël, eorum terra capta, translatus fuit in Assyrios, quarto Regum decimo septimo. Quod & diebus nostris, æquißimo Dei iudicio fit. Siquidem his qui aliquid Idolis seu imaginibus tribuunt, mala quæ ab eis timent, superueniunt, ut indies profundius in errorum abyssum mergantur.

Igitur habitatores Samariæ, translato uitulo, timuerunt, maxime autem eis timorem adauxit, quòd populum totius Regni, & ædituos, id est, custodes ædis, quæ uitulo erat consecrata, qui antè præ cæteris in uituli gloria & cultu, ob proprium commodum exultauerant, lugentes, & tristitia plenos conspiciebant, quæ non aliunde proficiscebatur, quàm ab eo, quòd dictus uitulus ab Israël migrauerat. Siquidem ipse uitulus in Assur delatus est, munus Regi ultori, scilicet Regi Assyriorum, per quē scilicet Deus ultionē fecit aduersum impios ex Israël.

Confusio Effraim capiet, & confundetur Israel in uoluntate sua.

Vnde confundimur, nisi à proprio consilio ac uoluntate? Quandoquidem fallax est omne iudicium nostrum, & uoluntas sic à se impia, ut non nisi impia poßit. Propēsi enim sumus ad malum, nec bonū in nobis reperimus, nisi

nisi ipsam propensionem in nobis temperet & sanet Spiritus sanctus. Proinde hic dicitur: Confusio capiet Effraim, tribum, à qua uitulorum abominatio initium sumpsit, & totus Israël ab Effraim infectus, in sua uoluntate confundetur. Qui si in Dei uoluntate perstitisset, confundi neutiquam potuißet. Signat autem hæc confusio, omnia flagella, quæ ob dictum uitulorum cultum, & alias abominationes, illis Deus immisit.

Transire fecit Samaria Regem suum, quasi spumam super faciem aquæ. Et disperdentur excelsa Idoli, peccatum Israel. Lappa, & tribulus, ascendent super aras eorum. Et dicent montibus, operite nos, & colltbus, cadite super nos.

Dum Samaria, per quam totum Israël Regnum, cuius erat metropolis, suis abominationibus prouocauit, aduersum se iudicium Dei, quo recte iudicante, parum stetit idem Regnum, quasi fecit transire à se Regem suum, sicut spumam super aquã, quæ mox soluitur, & non adparet. Translato autem Rege cum populo in Aßyrios, euersa, et demolita fuerunt excelsa Idoli, id est, Idolorum, singulare pro plurali, quod maxime factum fuit per Iosiam Regem Iudæ. 4. Reg. 23. & 2. Paral. 34. Quibus destructis, sic desolabitur terra, & in solitudinem redigetur, ut lappæ, tribuli, & id genus herbæ, etiam super aras, in quibus uitulis, & alijs Idolis sacrificauerant, aut saltem in locis, in

quibus ipsæ aræ prius erant (quas dictus Iosias demolitus est) sponte oriantur. Summa: Et Effraim, & toti Israëli, ob terræ desolationem, Regni euersionem, & alia flagella, tanta fuit undequaq; confusio, ut dixerint montibus, operite nos: & collibus, cadite super nos: id est, concupierint se abscondere, & coram nullo, præ confusione adparere. Obserua, quòd Idola Israël, peccatum eius dicuntur, quia radix & initium superbiæ hominis, apostatare à deo, Ecclesiastici. 10. Ab eo autem apostatare, est alijs ab eo fidere, quod est uere Idololatram esse. Nam qui fiduciam in alia ab illo habet, quasi nouos Deos sibi in corde adfingit.

Ex diebus Gabaa peccauit Israel. Ibi steterũt. Non comprehendet eos in Gabaa prælium, super filios iniquitatis. Iuxta desyderium meum corripiam eos. Congregabuntur super eos populi, cum corripientur propter duas iniquitates suas.

Quæ sit hæc dies Gabaa, liquet Iudicum. 19. usque in finem libri. Per id tempus, Idola erant in Israël, maxime idolum Michæ. Iudicum decimo octauo. Ex diebus igitur Gabaa, peccauit Israël, idola colendo. Ibi steterunt, scilicet in idololatria, ab ea neutiquam resipiscentes, donec euersi fuerunt. Quasi di. Cæci & miseri populi fuerunt tum soliciti, ad uindicandam Leuitæ iniuriam, contra Gabaonitas Iudicum. 19. & 20. Iniuriam autem grauissimam, à tribu Dan contra me factam, quando in Dan Mi-

chæ idolum posuerunt, neutiquam uindicarunt. Nec obser uarunt, quàm turpiter totus Israël, in ipsis diebus, fuerit bis uictus & prostratus, à sola tribu Beniamin, & ex eis quadragintamillia, & triginta uiri fuerint occisi, quod indubie ob id maxime fuit, q̃ non prius idolum prædictum & reliquas abominationes ex Israël ab[illegible]erint, itidem q̃ in numero & fortitudine, non in solo Deo habebant fiduciam. Iudi. 20. Demum adfectus, quo ipsi surrexerunt, ad puniendos Gabaonitas, non potuit esse à Spiritu Dei. Nam tum primũ purgaßet Israël ab idolis omnibus. Solo enim adfectu humano, præliũ adgreßi sunt. Proinde nunc contrarium facturus Deus, & grauius totum Israël, quã per solam tribum Beniamin puniturus, ait: Non comprehendet &c. Qu. di. Non erit similis causa prælij, ut tum. Nam tum uindictam fecistis iniuriæ fratris, nunc aũt uindicta fiet, p eo q̃ me contẽpsistis, & apostatastis à me. Cõprehẽdemini in prælio indubie. Sic enim decreui. Verum alia ratione, quàm præliãdo aduersum similes filios iniquitatis, sicut erãt Gabaonitæ, & omnes filij Beniamin. Demũ non cõprehẽdet uos prælium aliud, simile illi, quod fecistis aduersum Beniamin, in quo occisi fuerũt ex uobis, tãtum. 40. millia, sed tale erit, ut omnes aut occidamini, aut transferamini in captiuitatẽ. Etenim iuxta uoluntatẽ meã corripiã, & flagellabo uos, & fieri nõ potest, ut ipsa mea uolũtas nõ impleatur. Congregabũtur enim populi multi, nẽpe Aßyriorũ exercitus, cũ corripiemini ꝑpter duas iniquitates uestras. Quæ sunt hæ duæ iniqtates? Quidam pu

tan propter duos uitulos, quos adorarūt. Ego nihil minus quàm id, puto hoc loco dicendū. Nimirum si iuxta numerum Idolorū supputandæ sunt iniquitates, solus Deus nouit, quot Idola fuerint in Israël. Ideo est aliter dicendum, nempe q; multitudo iniquitatū, p duas iniquitates, uel per iniquitatem duplicem capiatur. Ergo est modus loquendi, quo graue quiddam designatur, quemadmodum si quis uolens Cainū ualde malū prædicare, diceret: Cainus fuit bis malus. i. ualde malus. Volēs aūt ostēdere eminentē alicuius doctrinam, ipsum bis doctū adsereret. Videat lector, ne ex præscriptis iudicet me damnare præliū factū cōtra Gabaonitas, et totū Beniamī. Sic enī uoluit et iußit Dominus, cū eū cōsuluerunt. Attamē, ob id dico, Israëlitas peccasse, q; nō ex zelo secundū scientiā, ac syncera in solū Deum fiducia, præliū fuerint adgreßi, sed sine fide, ideoq; peccauerunt. Nam quicquid non fit ex fide peccatum est.

Effraim, uitula docta diligere trituram. Et ego trāsiui super pulchritudinem colli eius. Ascendā super Effraim.

Effraim, id est, Israël, cōparatur uitulæ in tritura expte, quæ puncta & stimulata, non libenter exit à loco trituræ. Libere enim comedit ex meßibus, quas terit, & ad eādem triturā, nisi multa ui cohibeatur, cito reuertitur. Sic Israël, expertus semel Idololatrantium abominationes, lasciuias, comessationes, & ebrietates, quantumlibet flagellis à Deo punctus, resipiscere noluit, sed semper ad uomitū reuersus est, quod apertius ex Hebræo palàm fit, ubi sic habetur:

habetur: Effraim uitula stimulata, diligit trituram, id est, abundantiam, & carnis lasciuias. Subiungitur autem punitio: Ego transiui &c. Hoc est: Decreui, ut collum submittat, & subijciatur Regi Assyrio, ut non possit quiduis pro arbitrio facere. Ascendam super Effraim, id est, Israël, eum per Regem Aßyriorum euertendo, humiliando, & calcando.

Antichristi factio eiusmodi est. Quantumlibet enim stimulata à Domino, ac ueritatis sermonibus, amat triturā, carnalia, & quae mundi sunt adpetit, reliqua omnia odit, & id quidem tam obstinato animo, ut resipiscere omnino nolit. Sed ecce dies ueniunt, quibus Dominus calcabit eam, & prosternet in terram omnem gloriam eius, ut quantum se glorificauit, & in delitijs fuit, tantum habeat tormentum & luctum.

PARS QVINTA.

Arabit Iudas, confringet sibi sulcos Iacob.

Israël in Assyrios translato, territi fuere, qui erant è regno Iuda. Ex quibus nonnulli puro corde ad Dominum reuertebātur, carnales autem, quos nō erudiebat Spiritus Dei, tametsi clamabant ad Dominum, sua egenis partiebantur, ieiunabant, & uere conuerti uidebantur, nihil tamen faciebāt, quod puocaret misericordiā, quin potius iram, & flagella Dei. Omnia enim peccata, & impietates erant, quòd nō ex fide, & Spiritu sancto. Primi ararunt, frangentes per Spiritum Dei sui pectoris duriciem, pscin

dentes sibi, scilicet in suam utilitatem, sulcos, in quibus semina mitterent, in salutis æternæ fructum, id est, uere resipiscentes, & ex fide operantes. Reliqui ararunt quidem, sed sine fructu, quod non ex fide, sed in hypocrisi & mendacio. Nitebantur, ut pacarent Dominũ, sed nihil minus potuerũt, quod caro essent. Vniuersa enim carnaliũ opera, abominationes coram Domino sunt, quantumlibet in faciem bona uideantur. Hic ponitur Iudas pro Regno duarum tribuum, Iacob uero pro omnibus qui è decem tribubus, aut in ueritate, aut in hypocrisi resipuerunt. Qui ut Iudas arare dicuntur. Nam idem est, proscindere sulcos, & arare. Aratro enim, in sulcos terra proscinditur.

Qui statuunt liberum arbitrium, hinc uolunt conatus hominis confirmare, adserentes, quod se poßit ad gratiam disponere, per opa, quæ ut loquuntur, sunt ex genere bona. Ad nos, inquiunt, spectat arare, id est nos præparare. Primum dicimus, quod omnia opa, quæ illi uocant ex genere bona, sine fide, & peccata sunt. Sed peccatis nemo se disponit ad gratiam. Secundo, quod electi cor suum præparant, & ad bonũ conantur, sed nõ nisi per Dei spiritum. Nam à se ipsis nequeunt. At de his suprà, de Arbitrio hominis uere captiuo. Quia aũt nullus hominũ est sufficiens cogitare aliquid à seipso, quod omnis nostra sufficientia ex Deo sit, docet Spiritus sanctus, quid seminandum, quid deniq; ex uero semine metamus, dicens:

Seminate uobis in iustitia, & metite in ore misericordiæ.

seminat

Seminat in iustitia, qui opera uere bona & iusta facit, quæ scilicet sunt ex fide. Metit autem in ore aut uerbo misericordiæ, qui ex fide uiuens & operās, semper Deo gratior efficitur. & illius misericordiam plenius cōsequitur. Vbi nos habemus, ore, Hebræi habēt, Pi, quæ est dictio æquiuoca ad os, aut uerbum. Igitur hic præcipit Deus, ne quis ꝓpriam iustitiam constituat, aut illi fidat, q, inutilis sit ad metendam misericordiam, sed in odio & detestatione nostræ fallacis et hypocriticæ iustitiæ, seminemus in iustitia eius, per quam solum misericordiam illius consequimur. Dicit ergo: Seminate uobis, id est, ad uestram utilitatem, in iustitia, nō uestra, sed mea, quā uobis impartior, ex fide, & cum ita seminaueritis, tum metite, gratiam & misericordiam meam.

Innouate uobis nouale.

Similem locum habes Hier. cap. 4. Nouale est terra de nouo culta, quæ prius fuit spinis & sentibus plena. Sēsus est: Efficimini è carnalibus spirituales, & abijcite, ac crucifigite ueterem hominem, spinososq; illius adfectus. Deponite carnis iustitiam, et induite illam quæ est ex fide, nouam carni & sanguini, uerum in se æternam. Efficimini nouæ creaturæ, per fidem, & Spiritum meum.

Dices: Hæc nostris sæculis, & post Christum natum conueniunt, sed non his, qui tum Hierosolymis, et in Iudæa erant. Respondemus, q, omniū electorum qui fuere ab initio, fuit unica iustitia uera, quæ sola fide in Christū haberi potest, sicut omniū qui Dei Spiritu carent, una est falsa iu-

ſtitia, ob incredulitatem. Dum ergo præcepit Iſraëlitis ut ſeminarent iuſtitiam, abſit, ut dicamus quod de falſa intellexerit. Nimirum illam ſumme odit. Igitur de iuſtitia ſua intellexit, per quam nouæ creaturæ efficimur, & Dei miſericordiam metere, & adſequi ualemus.

Tempus autem requirendi dominum, cum uenerit, qui docebit uos iuſtitiam.

Tum Deus requiritur, cũ præſcripta iuſtitia ſeminatur: quẽ tum repimus, dum poſt iuſtitiæ ueræ ſemina, miſericordiam pleniorem conſequimur. Porrò id ſumme electi cupiunt, ut noſcant, quando ſit ſeminanda iuſtitia, an ſcilicet ad id ſubijciamur externis, ſcilicet locis & temporibus. Propterea hic reſpondet Spiritus ſanctus, tum tempus eſſe, cum adeſt iuſtitiæ Doctor, interne maxime erudiens. Nam externe docere, quid iuuat, niſi Deus, interne doceat? Nemo enim credit, niſi eruditus, & tractus à Patre. Ioã. 6. Nihil ad quærendũ & orandum Dominum, ſeminandámue iuſtitiam faciunt, hora hæc aut illa, dies iſte aut ille. Siquidem ubiq; et ſemper utiliter quæritur Deus, & homo ſeminat iuſtitiá. i. ex fide opatur, cum uenerit in cor, qui efficaciter docet ipſam uerã iuſtitiam, in quo ſcilicet iuſtificeris, et iuſta operis, facitq;, ut credas, & adquieſcas ei. Proſpice ergo, ſi docet te Chriſti ſpiritus, quod tum noſces, dum uim fidei experiris, & nihil dubitans, credis in omne uerbum Domini. Tum eſt tempus ſemınandi & quærendi Dominum. Veh Prophetis Antichriſti, qui ſolam carnis iuſtitiam inculcant, & docent.

Araſtis impietatem, iniquitatem meſſuiſtis, comediſtis frugem mendacij.

Increpat eos, qui non niſi ad impietatẽ ararũt, id eſt, operati ſunt, dicens. Araſtis, id eſt, operati fuiſtis impietatem, aut per apertam dei præceptorum transgreßionem, aut per hypocriſim. Iniquitatẽ meßuiſtis. Fructus increduli pectoris, augmentum iniquitatis eſt, ac theſaurizationis iræ dei, ſicut fructus creduli, eſt fidei augmentum, & per hanc copioſior indies gratia ac miſericordia dei. Comediſtis frugem mendacij, dum pro inuẽtionibus & mendacijs ueſtris, uos puniui. Hanc etiam frugem comederunt, dum in ipſis iniquitatibus delectati ſunt. Quaſi enim comedit, qui delectatur. Nimirum qui caro ſunt, ſic fiunt abſque ſenſu & conſilio, ut non niſi impietatibus & ſpurcitijs delectentur.

Aliter quoq; hic textus, poteſt enarrari, ab eo maxime loco: Arabit Iudas &c. Iudicet autem pius lector, quæ expoſitio textui germanior ſit. Cum regnum decem tribuum fuit euerſum, Iudas adhuc manſit in terra ſua, & quaſi nihil paßurus arauit, plantauit, ſeminauit, & nihilominus nõ toto corde reſipuit. Quæ præuidens Propheta dicit. Poſt euerſum Iſraël arabit terram Iudas, qui & per Iacob hoc loco non incongrue capitur, & cõfringet ſibi ſulcos, quaſi nihil paſſurus. Sumpta aũt occaſione à terræ cultura, addit. Seminate &c. Qu. d.

Multum

Multum soliciti eritis pro terrenis cõgregandis, quæ nõ diu possidebitis. Enimuero nõ multo post captiuabimini, sed necesse est, ut plus sitis soliciti, pro fructibus ueræ iustitiæ adcumulandis, quibus in æternum gaudeatis, & exultetis. Reliqua expone ut supra, usq; ad eum locum. Arastis impietatem &c. Qui sic præcedentibus iungitur, quod Iudæis Propheta ait. Bene erit uobis, si amodo seminaueritis in iustitia, & messueritis in misericordia &c. Nam usq; in hunc diem, Arastis impietatem &c. Priorem enarrationem, puto huic præferendam, quod omnes partes aptius sibi inuicem iungantur. Textua quoque germanior mihi esse uidetur.

PARS SEXTA.

Quia confisus es in uijs tuis, & in multitudine fortium tuorum, consurget tumultus in populo tuo, & omnes munitiones tuæ, uastabuntur, sicut uastatus est Salmana, à domo eius qui uindicauit Baal, in die prelij, matre super filios allisa. Sic fecit uobis Bethel à facie maliciæ iniquitatum uestrarum.

Nihil tam odit dominus, quàm dum uijs proprijs, id est, cogitationibus, factis, solicitudini, ac carnis prudentiæ fidimus. Nimirum id à nobis summe exigit,

exigit, ut in illum fiduciam habeamus, alienis ab eo nihil fidentes. Proinde rediens Propheta, ad prænunciandam Israelis euersionem, ait. Quia in uijs tuis, scilicet pruden tiæ, operibus, iustitijs, idolis & reliquis inuentis, ac in multitudine fortium tuorum, non in me à quo est omne bonum, robur, & uictoria, fiduciam habes, consurget tu multus, belli grauißimi ab Assyrijs, in populo tuo, ò Isra ël, & omnes munitiones tuæ uastabuntur ab eis, sicut ua status est Salmana, Madianitarũ Princeps, à domo Hye robaal, id est, à Gedeone & his qui cum eo erant. Iudi. 8. Quia Gedeon subfodit aram Baal, & Baal cultoribus ipsum Gedeonem ob id ad mortem quærẽtibus: Pater ei us Ioas respondit. Si deus est Baal, uindicet se de eo, qui suffodit aram eius, ipse Gedeon Hyerobaal adpellatus fuit. Iudi. 6. Proinde Hieronymus pro eo, quod in He bræo habetur Hyerobaal, uel breuius Arbial, transtulit, qui uindicauit Baal, de Gedeone intelligens. De quo & septuaginta hunc locum intellexerunt.

Quidam hunc textum ab Hebræo sic uerterunt. Sicut uastata est pacifica &c. eo quod Salmon, interpretetur pacifica, & uolunt eam dictionem, non proprie sed ad pellatiue adcipi. Ego malo Hieronymi translationem, quod eam magis congruere non dubitem, tametsi lauda rem, ut pro eo quod posuit. A domo eius qui uindicauit Baal, posuißet simpliciter, à domo Hyerobaal.

Sicut ergo Salmana cum suis omnibus, in die prælij à domo Hyerobaal, id est, Gedeonis uastatus fuit, matre su

per

per filijs allisa, ut uix in bellis nunquam non fit, & indu bie ita fecit Gedeon, maxime in euersione Phanuel. Iudi. 8. ita uastabuntur, inquit, munitiones tuæ, cum filijs etiam matribus adlisis, ac interfectis. Tandem concludit, dicens: Sic fecit uobis &c. Abominationes quas fecistis in Bethel, & aliæ similes, sunt causa mali grauissimi quod uobis imminet.

Cap. S. Primum, Israelis impietatem & ingratitudinem, simul atq; iustissimam punitionem ostendit. Secundo, palam facit, quàm sit immutabile consilium domini, immensaq; bonitas ac misericordia eius. Tertio, nõnulla Christi & Ecclesiæ mysteria tractat. Et hæc quidem, quod spectat ad priorem huius capitis enarrationem. Enimuero bis illud interpretabimur. Secundam autem enarrationem, arbitror magis conuenire, si omnes partes huius prophetiæ diligentius scrutamur.

PRIORIS ENARRATIONIS, PARS PRIMA.

CAPVT XI.

SIcut mane transit, pertransijt Rex Israel, quia puer Israel, & dilexi eum, & ex Aegypto uocaui filium meum. Vocauerunt eos, sic abierunt à facie eorũ.

Sicut

SIcut mane cito transit, ita pertransijt Rex Israël. Nam Regnum Israël parum durauit, quod incipiens à Hyeroboam filio Nabath 3. Reg. 12. Finem habuit in Oseæ filio Hela 4. Reg. 17. Causa autem fuit dei cõtemptus & ingratitudo. Propter quod subdit. Puer, id est, seruus meus Israël, & dilexi eum. In scripturis hoc est commune, ut per puerum seruus capiatur. Sic seruus Centurionis, puer eius dicitur. Matth. 8. et Lu. 7. Et psal. 112. dicitur. Laudate pueri, id est, serui, dominum. Item Lu. 1. Suscepit Israël puerum, id est, seruum suum.

Porro, in quo dilexerit, aut dilectionis signa, erga Israelem ostenderit, indicat dum subdit. Ex Aegypto, uocaui filium meum, scilicet Israelem, quem ut filium habui. Sic dicitur Nu. 24. Deus ab Aegypto uocauit eum. Est autem hæc uocatio, redemptio eius ab Aegypto. Vocauerũt autem eos, Moses, & Aaron, ac alij Prophetæ. Mox aũt sic abierunt à facie eorum. Quomodo?

Baalim imolabant, & simulachris sacrificabant.

Tam enim abalienati sunt, ut contemptis, ueris Prophetis, idolis contra fas sacrificarint, & in deserto etiam Mose præsente initiati sunt Beelphegor. Nu. 25. & Baal ac reliqua simulachra coluerunt. Baalim tantum exprimit, quod est plurale huius nominis Baal, omne genus idolorum designans, ut supra cap. 2. probauimus. Quia uero à domino apostatarunt, beneficia illis collata inculcat.

Et

Et ego quasi nutricius Effraim, portabam eos in brachijs meis, & nescierunt, quod curarem eos.

Fuit Deus Effraim, id est, Israeli, quasi nutritius. Nã portabat eos in brachijs suis, hoc est, iuuabat, fouebat et protegebat eos, ac in omnibus illis prouidebat. Nec unquam tam diligẽtem curam egit, nutritius quispiam, pueri quem enutriuit, aut mater pueri sui, sicut Deus, populi Israël. Proinde ait dominus. Esa. 49. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Ceterũ caro nõ intelligit mysteria dei, ideo carnales, non agnoscebant, quam fidelem nutriciũ haberent, nempe, deum, qui pro eis summe solicitus erat. Is est nutritius fidelissimus, qui eos pauit in deserto, & tametsi impij erant, portauit atque sustinuit, & tamen ignorarunt, quod curaret eos.

In funiculis Adam traham eos, in uinculis charitatis. Et ero eis, quasi exaltans iugum super maxillas eorum.

Nonnihil difficilis est huius textus concordia, ob temporis mutationem. Nam in futuro dicit, traham, & ero. Præteritum enim pro futuro ob certitudinem ponitur, sed contra uix reperies. Verum scopus est prospiciendus,

dus, quo Dei immutabile decretum hic ostenditur. Præsup ponendum ideo mihi uidetur uerbum decreti eiusdem, ut recte iungatur prioribus. Dixit antè: Portabam eos &c. nunc supplendum est tale quiddam: Dixeram enim. Quid dixerat? In funiculis Adam &c. Funiculi Adam, sunt ea quibus homo efficacißime trahitur, quæ etiam charitatis seu dilectionis uincula, hoc loco dicuntur:

Quidam sic enarrant: In uinculis Adam, id est, humanis. Nam Adam hominem significat: Quod si intelligũt de his quæ humana prudẽtia fiũt, impia est interpretatio. Sin uero dicunt diuini amoris signa, et uim sancti spiritus esse hos funiculos, bona est. In uinculis ergo Adam traxit Israël, electos ex eis scilicet, dum suo Spiritu palàm fecit illis bonitatem suam, mouitq; efficaciter, ut uoluntatem eius sequerentur. Porrò reprobi, tametsi Dei bonitatem beneficijs quotidianis experiebantur, non tamen secuti sunt Dominum, eò q, non efficaciter ab eius spiritu traherentur, sic æquißime iudicante Deo, quamuis huius iudicij æquitatem nemo adprehendat. Creditur enim, sed non adprehenditur. Ergo & isti uiderunt & senserunt hos funiculos, sed non sunt tracti per eos. Nam quantulibet homo cognoscat bonitatem dei, illiusq; dilectionẽ expiatur, nõ trahitur ad eũ, q, non adceptis rebus, sed solo Dei spiritu, impij ad uerã pietatem efficaciß. pertrahãtur. Omnis etenĩ attractio sine S. Spiritu est inefficax, et hypocritã facit. Ergo neq; beneficijs, neq; flagellis, neq; solicitudine, siue uerbo dei prædicato, quisquã uere post Deũ trahitur,

nisi adsit Spiritus sanctus. Demum, ubi quis uere tractus est, exaltat et subleuat Deus iugũ & onus super maxillas eius Facit enim, ut omne Dei iugũ leue sit, quod alioqui esse nequit. Vide, q̃ efficax est tractio Dei. Nam sine illa, iugũ importabile, et omnino impoßibile est, omne præceptũ eius. Funiculi ergo et uincula diuinæ charitatis, fecerũt, ut omnis labor, omnisq; Dei iußio leuißima eßet.

Putabit forsan qspiam, Dei legem, hic per funiculos ac charitatis uincula capi debere, q̧ nõ nisi summa dilectiõe eius, populũ Israël eadem adligarit. Quod nõ ĩpbamus, modo hæc de electis, credentibus, et actis à Dei Spiritu, capiant. Nam hi soli eiusmodi charitatis uinculis trahuntur efficaciter, reliqui uero ipsi legi Dei semp animo cõtradicũt, & aduersantur. Impoßibile etenim est, ut qui non habet Spiritũ Dei, nõ odiat legem eius. Nimirũ ipsa lex est illi iugum onerosißimum, tantum abest, ut sit exaltatum super maxillas, id est, alleuiatum. Hanc iugi alleuiationem operatus est Dominus, in fidelibus cunctis, qui fuere à principio, ergo & in electis Israël, quales fuerunt Abraham, Isaac, Iacob, & Prophetæ

Et declinaui ad eum, ut uesceretur.

Declinauit Dominus ad Israël, dũ à principio illius curam egit, pauit in deserto manna de cælo misso. Exodi. 16. adfuitq; illi, & prouidit in omnibus.

Non reuertetur in terram Aegypti. Et Assur ipse Rex eius, quoniam noluerunt conuerti.

Suprà

Suprà cap. 8. & 9. dicitur, q, in Aegyptũ cõuertentur, nũc contrariũ uidetur, ex hoc loco. Sed diligenter rẽ pſpicientib. nihil eſt, quod dißonet. Nam in Aegyptũ reuerſus eſt, dũ ad Aſſyrios uenit, apud eos dura ſeruitute, ut in Aegypto, preſſus, ut præſcriptis locis uidimus. Ad Aegyptũ aũt nõ eſt reuerſus, ſed in Aſſyrios, quorũ terræ aliæ ſunt, à terris Aegyptiorũ. Et hoc uult hic locus. Nõ enim redierunt in Aegyptũ, quod plurimi carnales maluißẽt, ſed ad Aſſyrios. Ergo punitionẽ Iſraëlis prænũciat, dicẽs: Quia noluerunt ad me cõuerti, ſed corde indurato ſemper mihi obſtiterunt, adfligam eos, faciamq; duci in captiuitatem, non in eam forſan, quam leuius ferrent, nempe Aegyptiacam, ſed in aliam duriorem. Nam transferentur in Aſſyrios, & illorum Regi ſubijcientur.

Cœpit gladius in ciuitatibus eius, et cõſumet electos eius, & comedet capita eorum. Et populus meus pendebit ad reditum meum. Iugum autem imponetur eis ſimul, quod non auferetur.

Cœperat tum gladius maxime Aßyriorũ, multa euertere in urbibus Iſraël, qui progreſſurus erat, & conſumpturus omnes electos eius: Cuius eius? Iſraëlis carnalis, ut erant potentes, & uiri bellicoſi ac fortes. Hos eligit caro, & cæteris præfert. At contrà iudicat Deus, & alios eligit, eos ſcilicet, quibus in æternitate decreuit dare Spiritũ ſuum, quo faciente credant, & toto corde adquieſcant, uniuerſis ſermonibus eius. Et hi electi, dum gladio aliquan

do absumuntur, tum sunt uere felices. Nam eorum mors est preciosa, Psal. 115. aliorum uero peßima. Psal. 33. Dictus quoq; Aßyriorum gladius comedet, uorabit, occidet, eorum capita, id est, Maiores, & Primores ex eis.

Demum, cum ipse populus peruenit in Assyriorum terras, pependit ad reditum Dei. Recessus eius fuerat, subtractio auxilij, & abiectio eius, ne eßet populus Domini, cuius reditus est, dum auxiliatur. Expectauit ergo auxilium Domini, & ut per eum, iterum ab ea captiuitate liber fieret, sicut prius eum ab Aegypto redemerat. Sed quid ait Dominus? Iugum imponetur &c. Nimirum, nullibi legitur, quod liberi facti sint, nec eorum Regnum denuo erigetur, ut suprà, capite primo habuimus. Hæc tamen ita sunt capienda, ut non dubitemus, electos perire non potuisse. Siquidem & Thobias, & alij multi, in ea captiuitate salui facti sunt.

PARS SECVNDA.

Quomodo dabo te Effraim, protegam te Israel? Quomodo dabo te? Sicut Adama ponam te, ut Seboim. Cõuersum est in me cor meum pariter, conturbata est pœnitudo mea. Nõ faciam furorem iræ meæ.

Ostendit, non prorsus delendum Israël, ut stet uerbum ueritatis suæ, tametsi eos adfligere uult, & corri-

& corripere sub Assyrijs. Dicit autem: O Effraim, id est, Israël, qui sequeris Idola Effraim, quomodo dabo te? Quasi dic. Faciam ego de te, sicut de alijs nationibus, quas deleui ante faciem tuam? Dabo ne ego te, ut Oreb, & Zeb, & Zebee &c. O Israël, quomodo protegam te? Qu. a. di. Non facis taliter, ut prouoces me ad protectionem, sed ut magis tibi aduerser. Quomodo dabo te? ut suprà. Sicut Adama &c. Sensus est: Promerentur tuæ impietates, ut delereris funditus, sicut hæ duæ ciuitates, quæ cum Sodoma & Gomorra euersæ sunt. Conuersum est &c. Non mutatur Deus, sicut ipse ait Mala. 3. Ego Deus, & non mutor. Quid ergo loquitur, ut quispiam cõuersus, ac pœnitudine ductus? Deus loquitur more hominũ, non tamen est in eo mutatio, sicut in hominibus. Ergo tantum Scripturæ scopus est inspiciendus. Dicit cor suum cõuersum, nõ q nolit, quæ antè uolebat, semper enim idem uult, sed ut sciamus, q nõ eos percußit secundũ scelera eorum, & neq; id qdem facere uelit. Et si mutabilis eßet, & prius decreuisset eos omnino exterminare, mutaret sẽtentiam: quod sequenti uersu notius fit. Non faciã, inquit, furorẽ iræ meæ, id est, non eos puniam, secundũ quod mererentur ex rigore iustitiæ, sed ipsum rigorẽ cõmiseratione temperabo. Castigabo eos captiuitate, & duris in ea pressuris, uerum misericordiã meam nõ subtraham, ab his qui in ipsa captiuitate resipuerint. Tametsi eam misericordiã illis neutiquam præstabo, ut eorum sceptrum denuo erigatur, ut suprà, cap. 1. habitum est. Is locus insignißimus est,

ad probandum misericordiam Dei erga populum eius, id est, electos, quorū Israëlitæ typum gerebant. Ipsi enim electi, ueri Israëlitæ, & filij promißionis sunt. Roma. nono. Nam uniuersa flagella, quæ illis immittit, signa sunt patris diligentis, & quos diligit, corripientis. Etenim quē diligit, corripit, & quasi pater in filio complacet sibi.

Non conuertar, ut disperdam Effraim, quoniam Deus ego, & non homo.

Ecce quàm aperte dixit, quòd Effraim, id est, Israëlem, non eßet deleturus. Nolui conuerti à decreto, quod in æternitate firmauit, quo Israël uerum, id est, electos ex ea gente, saluos facere præfinierat. Nam ut habes Rom. 11. Electio ex Israël promißionem est consecuta, reliqui uero excæcati sunt, quemadmodum scriptum est (Esa. 6.) Dedit eis Deus spiritum cōpunctionis, oculos, ut non uideāt: & aures, ut non audiant, usq; ad hodiernum diem. Et Dauid dicit Psal. 68. Vertatur mensa eorum in laqueum, & in captionem, & in offendiculum, & in retributionem ipsis. Obtenebrentur oculi eorum, ut non uideant, & dorsum eorum semper incurua.

Præfiniuit ergo Deus ante sæcula, ut ex toto Israël; reliquiæ, id est, electi, promißiones adsequerētur. Nō potuit ergo perire totus Israël, sed puniti sunt, et cæcitas ex parte cōtigit illis, donec plenitudo gentiū aduenerit, & sic totus Israël saluus fiet. Ro. 11. Nunquā enī fieri potuit, ut ob nōnullorum incredulitatem, Dei fides irrita fieret. Ro. 3. Proinde ait: Non conuertar, supple, ab immutabili decreto meo,

to meo, ut disperdam Effraim, id est, Israëlem, ex quo electos seruare proposui, & ipsum propositum meum manere necesse est. Quasi diceret: Tametsi illos sim correpturus, & longa ac dura captiuitate adflicturus, illosq; in tempus reiecturus, diminuturus, & excæcaturus. Venient tamen dies, quibus eorum plenitudo & adsumptio, erit mundo perinde atque diuitiæ, ac uita ex mortuis. Roma undecimo. Sic enim prædestinati sunt, ab eo qui non est homo, sed Deus: hoc est, non mutatur, ut homines, sed immutabilis, & prorsus inuariabilis est.

PARS TERTIA.

In medio tui Sanctus.

Quod reliquum est ex hoc capite, omnes de Christo enarrant, quamuis inter se non conueniant. Ego puto, quòd purior & germanior interpretatio hæc sit: O Israël, Sanctus, id est Christus, cuius fide et spiritu omnes electi sancti fiunt, est in medio tui .i. unus ex Israël est. Medius dicitur, quia unus mediator .1. Timo. 2. & aduocatus, ac propiciatio pro peccatis nostris .1. Ioan. 2. Ipse est in medio Israël, unus ex eis, etiam secundũ carnem. Qua. di. In eius gratiam non omnino disperderis. Et ego, qui unus cum Christo unigenito meo Deus sum, et unus cũ eo Sanctus, sum in medio tui, uocatus Deus tuus, & pro tali habitus ab omnibus electis, qui in te sunt. Non es ut aliæ gentes, quæ in medio sui habent Deos, quos fabricant, quos & uenerantur.

Quos etiam quamuis nonnulli ex Israêl coluerint, à spiritu erroris seducti, resipuerũt tamen, qui ex electis sunt, & complures ex eis genua sua coram illis nunquam curuauerunt. Quia ergo in medio tui sum, & semper quidem, absit, ut te omnino disperdam, & obliuiscar misereri &c.

Et non ingrediar ciuitatem. Post Dominum ambulabunt.

Ne quisquam ex his qui ducti erant in captiuitatem, animo tenerentur, cum uellent inuocare Dominum in Assyriorum terris, q. non exaudirentur, eò quòd nõ possent uenire Hierosolymam, Dominus ait, q. nõ sit ingressurus ciuitatem. Qu. di. Ego qui cælũ & terrã impleo, Hier. 23. nolo uos adstringere ad ueniendum Hierosolymam, ciuitatem quã elegi, ut in ea me inuocetis. Vbiq; enim poteritis me inuocare, tametsi nõ sacrificia, ut Hierosolymis, offerre. Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendã illis salutare meum. Psal. 49. Ad id facit illud Psalmo. 50. Quoniam si uoluisses sacrificiũ dedissem, utiq; holocaustis nõ delectaberis. Sacrificiũ Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum, Deus non despicies.

Quidam putant dictum locũ, de his tantum intelligi, q Christi successere aduẽtui, ppter illud Iohã. 4. Venit hora, in qua neq; in monte hoc, neq; Hierosolymis adorabitis patrem. Et paucis interiectis: Venit hora, & nunc est, quãdo ueri adoratores adorabunt Patrem in spiritu ac ueritate. Nam & pater tales quærit, qui adorẽt ipsum. Spiritus est

Deus,

Deus, & eos qui adorant eum, spiritu & ueritate oportet adorare. Ecce, inquiunt, Christus dicit: Venit hora, & nunc est, ut ostendat, quòd antè ad id hora non fuerit. Argumentum hoc est aberrantis, & legem ac Prophetas nescientis. Si Deus quærit eos, qui adorent eum spiritu & ueritate, certum est, quòd nunquam aliud uoluit, quòd immutabilis sit.

Quæsiuit ergo semper ueros adoratores eiusmodi, & alios abominatus est, quòd non nisi hypocritæ & increduli sint. Veritatem enim diligit Psal. 50. Et oculi eius respiciunt fidem Hier. 5. Ergo cum dixit: Venit hora, nõ negat aliam horam ad id præcessisse. Verũ quippe est, q̃ ad Dominum spiritu & ueritate colendum, hora semp̃ fuerit, sit nunc, & futura sit. Nam omnium electorum, qui fuere ab initio, unus est spiritus, docẽs eos uniformiter colere Deũ.

Quid est ergo, q̃ Christus ait, Nũc est hora? Profectò quia Iudæi per spiritus impostores, & doctrinas dæmoniorum, ac traditiones hominum, multis sæculis fuerant seducti, ut ex multis locis Euangeliorũ clarum est cernere. Adficiebantur, & fidebant locis, horis, adnumeratis preculis, & id genus insanijs, quibus & nos in hunc usq; diem seducti fuimus. Docuerant populos, ut Deum secundũ carnem uenerarentur, idcirco Dominus ait, Venit hora, qua non, ut docuerunt falsi prophetæ et pharisæi, in hypocrisi & mendacio, sed sicut pater quærit, adorabunt eum spiritu & ueritate. Ita & nos dicimus. Fuit heu multis sæculis grauiß cæcitas, & inualuere spiritus mẽdaces, & p

phetæ falsi in hypocrisi docentes impietatē, qui auerterunt totum Christianum orbem à uero cultu Dei, & aduexerunt in Ecclesiam adorationem fallacem, quā Deus abominatur & odit. Sed uenit hora, & nunc est, qua notam fecit Deus ueritatem suam, multis sæculis Dei expauescendo iudicio, figmentis hominum adumbratam & absconditā, in qua noscimus, quod uera adoratio non limitatur locis, temporibus, numeris precularum, aut quibusuis externis, sed in Spiritu & ueritate est sita.

Cæterum, qui Deum sic colūt, uere eum colunt, alij uero mendaci cultu hypocritæ fiunt. Primi ambulant post Dominum, reliqui semper magis apostatant ab eo. Ambulauerunt post Dominum electi ex Israël, etiam inter Aßyrios, sine templo, & sacrificijs externis, ubi alij multi, qui erant Hierosolymis, et offerebant sacrificia in tēplo Dei, ab illo deficiebant, & auertebantur. Beati omnes qui ambulant post Dominum: maledicti, qui apostatant ab eo.

Quasi Leo rugiet, quia ipse rugiet, & formidabunt filij maris. Et auolabunt, quasi auis ex Aegypto, & quasi columba de terra Assyriorum. Et collocabo eos in domibus suis, dicit Dominus.

Sanctus, qui, sicut prædiximus, est in medio Israël, nempe Dominus IESVS Christus, post quem ambularunt ueri Israëlitæ, credentes in eum, etiam uenturum in carnem. quod ex eo, spirituali petra eos consequente, uniuersi biberent.

berẽt. 1. Corin. 10. Sanctus inquam iste, rugiet quasi Leo, id est, uehementer, & constanter instabit, ad reddendum testimonium ueritati. Proinde Leo uocatur Apoc. 5. Vicit Leo de tribu Iuda. Rugiet ergo & formidabunt filij maris. Rugijt ergo Christus circa mare, nempe Tyberiadis, siue stagnum Genezara, sicut dicitur Matth. 4. Habitauit in ciuitate Capernaum maritima in finibus Zabulon & Nephtalim, ut adimpleretur, quod dictum est per Esaiam prophetam (cap. 9.) Terra Zabulon & terra Nephtalim, uia maris (non dubium quin magni seu mediterranei. Nam in Galilea in finibus prædictis, est uia ad mare mediterraneum) trans Iordanem Galileæ gentium. Populus qui ambulabat in tenebris, uidit lucem magnam. Et sedentibus in regione umbræ mortis lux orta est eis. Indubie enim, hic per mare ipsum stagnum Genesara capitur, more Iudæorum, qui omnes aquarum congregationes maria uocant. Nam quod nonnulli per mare hunc mundum capiunt, non uidetur esse huius loci sensus.

Rugiente ergo Christo, formidabunt, id est, terrebuntur, & lucis Christi gloria admirabuntur filij maris, id est, habitatores Capernaũ, & aliarum ciuitatũ maritimarum. Et ex Aegypto auolabunt, id est, multa diligẽtia uenient ad fidem, electi. Et quasi columba, id est, syncerissimo corde, & sine incredulitatis felle, de terra Aßyriorũ supple uenient, qui ex electis sunt.

Obserua, quod per filios maris intelligũtur, omnes positi, in insulis, ac partib. maritimis, & p Aegyptios atq;

Aßyrios,

Aßyrios, omnes nationes secundum carnem ab Israël, alienæ, qui omnes aut audierunt, aut sunt audituri rugitum, hoc est, uerbũ leonis. Nam in omnes fines orbis terræ, exiuit sonus & uerbum Christi per Apostolos et alios à deo electos. Psal. 18. Exiuit in præterito est, certitudinem indicans. Aut dicitur, ob id in omnem terram exiuiße, quia propterea semel est hic rugitus aut sonus in mundum missus, ut non cesset, donec in omnes fines orbis terræ perueniat. Certum est enim, quod regiones non nullæ, à quadringentis, aut etiam à mille annis conuersæ, nunquam audierunt uerbum dei purißime tractari, quod à plusquam mille annis. Platonica atq; Aristotelica Philosophia, doctrinam Christi conspurcarit.

Porro, quotquot ex omnibus, ad rugitum huius leonis inuicti & fortissimi, columbino oculo et iudicio, ad Ecclesiam aduolarint, collocabuntur in domibus suis, id est, ue requiescent, sicut in proprijs domibus, habitantes in adiutorio Altissimi, & in protectione eius commorantes, dicentesq; domino. Susceptor noster es tu, & refugium nostrum, deus noster, & sperabimus in eum. Psal. 90.

SECVNDA ET VT ARBItror purior huius capitis interpretatio.

Sicut mane transit, pertransit Rex Israel.

Nemo in scripturis expertus, nescit uerum Israël esse Ecclesiam dei, id est, prædestinatorum uniuersitatem. Nã soli

soli electi sunt uerum Abrahæ semen, & filij promissionis, ut patet Ro. 9. Horum Rex Christus est. Nam omnes qui eius præceßere aduentum, ac etiam, qui illi successere, eundem caput suum esse profitentur, & per solam fidem in eum, salui facti sunt. Omnes enim eandem escam spiritualem manducauerunt, & eundem potum spiritualem biberunt. Bibebant autem de spirituali consequente eos petra. Petra uero erat Christus. 1. Corin. 10. Proinde omnium electorum caput et rex Christus semper fuit, etiam eorum qui non fuerunt secundum carnem Israelitæ, qualis erat Iob. Etenim de eo ipse dixit. Scio quod redemptor meus uiuit, & in nouißimo die, de terra surrecturus sum, & in carne mea uidebo deum saluatorem meum. Iob. 19. Ecce quàm aperte uocat Christum deum seruatorem & redemptorem suum. Quod & pueri Hebræorum profitebãtur, illo ingrediente Hierosolymam, di. Benedictum quod uenit regnum in nomine patris nostri Dauid. Mar. 11. Benedictus qui uenit Rex in nomine domini. Lu. 19. Benedictus qui uenit in nomine domini, Rex Israël. Io. 12. Quod etiam apertissime Zacha. 9. habetur. Exulta satis filia Syon, iubila filia Hierusalẽ. Ecce Rex tuus ueniet tibi iustus & saluator. De cuius Regno abunde apud Lucam cap. 1. tractauimus.

Igitur Rex Israël Christus, pertransit sicut mane. Quomodo transit mane? per crementum lucis. Transit enim in perfectam diem. Sic Christus transijt in carne mortali uiuens, proficiens sapientia & ætate & gratia,

donec

donec plenitudo gratiæ et ueritatis, quæ in eo fuit, cogni ta extitit. Qui tametsi carne occubuerit, eius tamen glo ria fuit semper adaucta. Transijt semper non deficiens, perficiendo opus ad quod missus fuerat.

Quia puer Israel, & dilexi eum.

Israël, id est, Ecclesia fidelium, puer, id est, seruus domini dicitur, quia soli qui sunt ex Dei Ecclesia, domino uere seruiunt. Hunc ergo puerum Israël, id est, omnes electos cuiuscunq; gentis, qui fuere ab initio, & in finem usque erunt, & qui sunt uerum Abrahæ semen, ac ueri serui dei, dilexi, ait dominus Deus. Dilexit quidem inuariabiliter. Verus est hic sensus, uerum non uidetur hoc loco intentus. Sed magis per Israël Christum intelligimus, ut apud Esa cap. 49. Seruus meus es tu Israël, quia in te glorificabor. Quem locum de Christo capere, cogunt, quæ illic mox habentur. Parum est &c. Et illud dedi te in lucem &c. Seruus igitur domini Christus est, ut homo. Nã tum illo maior est pater. Ioan. 14. Recte autem Israël dicitur, quod per excellẽtiam semen Israël adpelletur. Imò Israelis est, caro, flos, caput, Propheta, Rex & Dux. Is seruiuit Deo, ad suscitandas tribus Iacob, & ad fæces Israël conuertendas, & ut esset lux gentium. Esa. 49. & iustitiæ doctor. Iohe. 2. Hic est de quo pater summus testificatus est. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacitũ est, ipsum audite. Matth. 3. Lu. 3. Mar. 1. & 1. Pet. 2. Proinde recte ex persona eius hic subiungitur.

Ex Aegypto uocaui filium meum,

Si eum

Si eum consideras tantum hominem, seruus Dei est, si uero deũ tantum, aut deum simul & hominem, filius Dei. Hunc uocauit ex Aegypto pater summus, ut patet Matth. 2 & de hac Christi uocatione, puto hunc locũ magis intelligendum, quàm de uocatione Israëlis, ex ipsa Aegypto, uidelicet cũ ab ipsa captiuitate redemptus fuit. Cogitq; me ad id adserendum, quod ubi supra Matthæus ait. Vt adimpleretur quod dictũ est à domino per Prophetam, dicentem. Ex Aegypto uocaui filiũ meum. Nullibi aũt legitur, præterquam hic. Nam quod habetur Nu. 24. non congruit, quod non posuerit filium, nec in Dei persona, sed in tertia. Deus ab Aegypto uocauit eum. Nec obstat quod nonnulli dicunt scripta non haberi, in quibus id ponitur. Nam dum ille Prophetam in generali posuit, indubie de aliquo noto, intellexit. Vocatus ergo fuit Israël, ab Aegypto, sed non est is filius dei, neq; iste Israël, de quo hic agitur. Nam tametsi in priori expositione, aliter dixerimus, uideo tamen plurima obsistere, ut non sic capiatur.

Vocauerunt eos. Sic abierunt à facie eorum. Baalim imolabant, & simulachris sacrificabant.

Qui uocati? Israëlitæ, maxime autem Iudæi. Qui uocauerunt eos? Christus & discipuli eius. Per quid uocati sunt? per uerbum fidei, & æternæ ueritatis. Sed impij cõtradixerũt ueritati, & odio habuerũt propter eam, tam Christũ quã omnes discipulos eius. Lux quippe ueritatis cæcis

cæcis reproborũ mentibus, est odiosa. Proinde sic abierũt et alieni facti sunt, à se uocãtibus, ut eos in mortem persequerentur, & Deo contempto, imolarent suis Baalim, id est, idolis, ac simulachris. Porro hæc simulachra, cordium suorum figmenta, traditiones & mandata sunt, pro quibus deum ac ueritatem eius spreuerunt. Quæcunq; enim res, cui adficeris, non in domino, idolum ac simulachrum tibi est. Nam maxime in animo, simulachrorum abominatio est sita. Quod Baalim sacrificarint, & circa hoc plura habes supra cap. 2.

Et ego quasi nutricius Effraim, portabã eos in brachijs meis.

Verbum Christi est, dicentis, quod semper Effraim, id est, Israelitis, auxilio fuerit, & haud secus atq; nutritius pro eo quem nutrit, ita ipse pro illis solicitus fuerit. Pauit namq; eos in deserto, & dedit illis terram fluentẽ mel & lac, terram feracißimam. Voluit quoq; uenire in carnem, ut eos per semetipsum salutari uerbi dei pabulo refoueret. Ecce quàm pius & uigilans nutritius fuit.

Portabat quoq; eos Christus in brachijs. Brachijs operamur & laboramus. Laborauit autem Christus uarijs modis, sudores, uigilias, conuicia, terrores, uincula, pressuras uarias, famem, flagella, spinas, clauos, crucẽ, mortemq; pro eis & nobis omnibus perpessus. Quid ergo quæ non rapuit tamen exoluebat (psal. 68.) & disciplina pacis nostræ super eum, ac pro nostris iniquitatibus, ipse iustus et innoxius uulneratus est, quasi nos ipsos

suis

suis brachijs portauit. Et uere languores nostros ipse tu-lit, & dolores ipse portauit. Esai. 53.

Et nescierunt quòd curarem eos.

Curauit nos Christus. Nam, ut diximus, eius liuoribus sanati sumus. Esai. 53. Deniq; non potest aliunde esse nostra curatio, quàm ab eo, & per nomen eius. Non enim est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo nos oporteat saluos fieri. Acto. 4. Sed hoc omnino nesciunt, qui non habent spiritum Christi. Nam sermo crucis, Iudæis quidem scandalum est, gẽtibus uero stultitia. 1. Corinth. 1. Proinde nunc de excæcatis Israëlitis, odientibus ueritatẽ suam, ait Dominus: Nescierunt, quòd ego curarem eos. Cæci enim sunt, quos non illustrauit lux ueritatis, ac spiritus eius. Propter quod illi excæcati, non potuerunt intelligere aduentus Christi mysteria. O quàm paucorũ est nosse Dominum IESVM Christum, & hunc crucifixum. Quàm etiam uere paucorum est fides, & scire, quòd solo CHRISTI labore curemur.

In funiculis Adam traham eos, in uinculis charitatis.

Adam homo interpretatur. Funiculi ergo Adam siue hominis sunt ea quibus solis homo ad Deum trahi potest. De funiculis trahentib. loquor. Nã alij sunt, qui à Deo omnino retrahunt, ut sunt traditiões & mandata hominũ. Ad Deum hominem trahunt, ueritas, & spiritus Christi. Trahunt quoq; nimia Dei charitas, dum à nobis agnoscitur, beneficia, ac flagella eius, itidem prædicatio doctrinæ

Christi, & omnis fidelis admonitio. Sed inefficaces funiculi hæc omnia sunt, nisi adsit spiritus sanctus, q in nostris cordib. ea scribat, faciatq; ut sint efficacia. His funiculis ac charitatis uículis, ad homines trahendos efficacißimis traham, inquit Dominus, eos. Quos? electos. Quod & Ioã. 12. se facturum dixit: Cum exaltatus fuero, ait, à terra, omnia traham ad meipsum. Porrò electi sunt omnia, quæ ab eo trahuntur. Nam hi soli post eum currunt, quos Pater docuit, & traxit. Ioan. 6. Omnis qui audiuit à patre et didicit, uenit ad me. Et rursum: Nemo potest post me uenire, nisi pater qui misit me, traxerit eum. Quòd si soli electi trahuntur, & ueniunt post Christum, profecto & sunt illa omnia, quæ ad se trahit.

Obseruandum autem, quòd in futuro dixit: traham: nẽpe posteaquàm nos portauit in brachijs suis exaltatus pro nobis cruce. Nemo enim uere trahitur, nec tractus fuit ab initio, præter eũ qui in eum credit. Nimirum tum solum nobis moritur Christus, nosq; portat, ac pro nobis in cruce exaltatur, cum illi credimus. Ergo etiam ante eius aduentum, quotquot in eum uere crediderunt, q nos portaturus eßet, ut suprà diximus, & Prophetæ sancti prædixerant, mox ab eo tracti fuerunt. Quo roborati sunt ad perseuerantiam in gratia & ueritate, sicq; illi perfectißimis charitatis uinculis adnexi, ut perire, & ab ullo rapi de eius manu potentißima nullatenus poßint. Sic enim ait Ioannis decimo: Non rapiet eos quisquam de manu mea, & non peribunt in æternum. Hi sunt illud omne,

quod

quod in æternitate illi dedit Pater Ioã. sexto: Omne, quod dat mihi Pater, ad me ueniet, & eum qui uenit ad me, non eijciam foras.

Et ero eis, quasi exaltans iugum, super maxillas eorum.

Quos ad se trahit Christus, uere liberos facit. Ioan. 8. Si filius uos liberauerit, uere liberi eritis. Hanc libertatem inculcat Paulus ubiq;, maxime autem ad Romanos, et Galatas. Sed unde liberi fiunt? Ab omnibus, etiam ab ipsa lege Dei, non ut illam non seruemus, sed ut nos minime premat. Lex Dei, id est, omne præceptum eius, est iugum impoßibile, ei qui non habet spiritum Christi. Nam exigit, quod homo præstare non potest. Ab hoc iugo nos liberos facit Dominus, non ut illud spernamus, sed ipsum iugum exaltat, & subleuat super maxillas, id est, ab eo nos alleuiat, ut quod antè erat importabile, onerosum, & grauißimum, fiat poßibile, amabile, & suaue. Hoc est iugum exactoris, quod superare dicitur. Esai. 9. Lex quidem sancta est, ac spiritualis Ro. septimo, hoc est, spiritu Dei seruanda. Alioqui omnis eius in faciem obseruatio, nihil minus quàm obseruatio est, quòd peccatum & hypocrisis sit: At spiritum, quo seruari possit, non tribuit, quem ueruntamen exigit. Rom. octauo. Mittit enim ad Christum, qui est finis legis, Rom. decimo, ut per eius spiritum, ipsam legem obseruemus. Vbi autem Christi spiritus adest, fit lex amabilis, & liberrime ac uoluntarie eam seruamus. Hæc est libertas filiorum Dei,

qua liberi efficimur ab omnibus, ut perfectißima libertate CHRISTI sermones impleamus. Liberi sumus, non ut quiduis faciamus, sed ut liberius Deo, & proximis propter Deum seruiamus. Hinc uides, quàm aberrent, qui hanc sanctißimam libertatem, non nisi in suum interitum capiunt, contra quos dicitur prima Petri secundo: Quasi liberi, non quasi uelamen maliciæ habentes, libertatem, sed sicut serui Dei.

Obserua, quòd aliter liberi efficimur à lege Dei, aliter, ab omnibus decretis, traditionibus, ac inuentis hominum. Ab illa enim liberi tantum in hoc efficimur, quòd nos ultrà non premit & grauat, sed alleuiatum est onus eius. Onus quidem eius ferendum est, Domino præcipiente Matth. 19. Si uis ad uitam ingredi, serua mandata. Verum non iam est graue, sed leue, faciente spiritu sancto. Proinde Christus ait: Iugum meum suaue est, & onus meum leue. Matth. 11. Nonnulla ueruntamen sunt, à quibus omnino sic liberi efficimur, ut ea seruare nō liceat, alia quæ seruare, aut nō seruare potes, alia quæ omnino seruāda sunt. At de his alibi plura, Domino concedente.

A legibus autem ac decretis hominū, sic omnino liberi efficimur, ut ad ea fidelium nemo adstringi poßit. Id ueruntamen est adnotandum, q; si decreta hominum, Dei lege firmentur, non tam pro hominum, quàm pro Dei legibus habenda sunt, ut dum Princeps aliquid iubet, quod facit ad reipublicæ bonum, in spiritu sancto. Si uero talia sunt, ut non contradicant uerbo Dei, etiam si ab eo

neutiquam

neutiquam firmentur, ut dum Princeps indicit ieiunia, festa, &c. Eiusmodi decreta libera sunt, ut serues aut non serues ea, sicut à DEI uerbo & spiritu eruditeris. Quòd si impollutis DEI eloquijs aduersentur, prosternendis coribus habenda sunt.

Et declinaui ad eum, ut uesceretur.

Christus uita est Ioã. 14. & panis ille de cælo descendens, qui dat uitam mundo, i. his, qui in eũ è mundo crediderint. Ioan. 6. Qui ad hoc uenit ad nos, ut eo uiueremus, & reficeremur, útque cælestis tritici necessarium semen, nempe uerbum Dei, nobis partiretur ac dispensaret. Proinde hic dicit: Et declinaui, ego Christus, ad eum, id est, Israëlem, ut uesceretur, me ipso scilicet, ac spiritu & doctrina mea, liberarémque eum à fame longe perniciosissima, hoc est, defectu ac carentia uerborum Domini, de qua Amos octauo prophetatum est. Ecce dies ueniunt, dicit Dominus, & mittam famem in terram non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi uerbum Domini. Veh his qui carnalem Israël imitantur, nolentes suscipere Christum, cum ad nos declinat, ut eo uescamur. Hoc facit tota filij perditi Synagoga.

Non reuertetur in terram Aegypti.

Refectus homo Dei uerbo, & CHRISTO pane cælesti, hoc est, ex eius fide uiuens & operans, in Aegyptum regredi nequit. Nimirum fides non operatur malum. Quia enim recidiuantes Israëlitæ, cupierunt regredi in Aegyptum, apostatantium conuersatio Ae-

gypto recte designatur. Demum quid Aegyptus, nisi tenebræ? In Aegyptum ergo proficiscitur & descendit, qui abijcit opera lucis, & amplectitur opera tenebrarum.

Et Assur Rex eius, quia noluerunt conuerti.

Rex Aßyriorum, ut sæpe diximus, captiuum tenuit Israël, hoc est regnum decem tribuum. Quemadmodum autem ueri Israëlitæ typum gerunt fidelium, ita carnales ex eis pseudocredentiũ. Et captiuãtes ac premẽtes ipsos Israëlitas, typũ gerunt eorum qui nos maxime torquent. Et quemadmodum ipsæ preßuræ electis uertebantur in gloriam, incredulis uero & reprobis ferè in desperationem, ita & nũc. Nam electi omnia uincũt per patientiã, et solum Christum sup se Principẽ habent. Siquidẽ tyrannis ita subijciũtur, ut nõ illis adqescant, nisi quantum præcipit Christus. Norunt enĩ, q nõ nisi in Christo illis parendum sit.

Ceterũ præ cũctis Assyrij Israëlẽ uastarunt, ppterea per Regem Aßur, & Diabolus, & qui secundũ carnem principantur, capiuntur. Diabolus enim est rex, super omnes filios superbiæ. Iob. 41. Et reproba carnalium Principum iussa impij sequuntur. Qui quoniã ad dominũ conuerti, & eius legib. infrenari, ac eũ pro Rege habere noluerũt, recte super eos Satan & alij impij Reges ponuntur. Angelum nanq; abyßi, Deo contẽpto, Regem uoluerunt, & habent Apocal. 9. Noluerunt benedictionem, & elongabitur ab eis, dilexerunt maledictionem, & ueniet eis.

Psalmo

Psalmo. 108. Propter peccata impiorum, præficit illis Deus Regem hypocritam. Iob trigesimo quarto, datq; pueros Principes eorum, & effœminati dominabuntur eis. Esaiæ tertio.

Cæpit gladius in ciuitatibus eius, & consumet electos eius, & comedet capita eorũ.

Gladius significat quodcunq; malum, & flagellũ. His per fidem et patientiam proficiunt fideles. Nam transeũt per ignes, uincula, carceres, & mortem absq; damno. Corpore quidem cruciãtur, sed animo stãt, omnib. se torquẽtibus et adfligẽtibus fortiores. In ueri Israëlis ciuitatib. i. electorum congregationibus, siue Ecclesijs, non officit is gladius, nec quicquam perdit. Cæterum in incredulorum ciuitatibus, id est, Synagogis, & conuenticulis, semper uorat gladius, & absumit electos, & capita eorum, eos uidelicet, qui in eis primi esse uidentur. Enimuero, uniuersa illis in perniciem fiunt. Rideant, saltent, ludant, comedant, bibant, aut quiduis aliud impij faciant, quia omnia illis sunt perniciosa & mortifera, semper in seipsis perdentem gladium habent.

Sic gladium semper habent hostes Christi. In eos quoque peruenit gladius ille omni gladio utrinq; scindente penetrabilior, nempe sermo Dei. Hebr. 4. Cui dum obsistere non expauescunt, ab eo consumentur omnes electi, & uniuersa capita eorũ. Nam illius inuincibili efficacia, omnis

corum altitudo sensim cadit, donec prorsus dispereant.

Et populus meus pendebit ad reditum meum.

Deus toties redire dicitur, quoties auxiliatur. Reditus ergo eius, illius auxilium est. Ad Domini ergo reditum pendet populus eius, dum in eum solum fiduciam & spem habet, sciēs, quòd ab eo omne auxilium sit, quódque non nisi perniciosum sit, alienis ab eo fidere. Proinde ait illud Psal. 123. Adiutorium nostrum in nomine Domini. Et illud Psal. 19. Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini inuocabimus. Ergo pendere ad reditum DOMINI, est in eum solum credere & sperare. Ad quem non pendet, q̃ alienis ab eo fidit & hæret.

Ad hunc reditum non pendet homo peccati, cum suis, nec uniuersi qui diuitijs, prudentiæ, hominibus, aut quibusuis rebus creatis fidunt. Vnus pendet ad fastigium gloriæ, alius ad decreta Antichristi, alius ad amicos, alius ad diuitias, alius ad proprium iudicium aut sensum, alius ad indulgentiarum imposturas, alius ad uota diuorum, alius ad sua opera, alius ad aliud quoddam. At maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à DOMINO recedit cor eius. Erit enim quasi mirica in deserto, & non uidebit, cum uenerit, Dominum, sed habitabit in siccitate, in deserto, in terra salsuginis & inhabitabili. Benedictus autem qui confidit in DOMINO, & erit

Dominus

Dominus fiducia eius. Et erit tanquam lignum, quod trãsplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, & non timebit cum uenerit æstus. Et erit folium eius uiride, & in tempore siccitatis non erit solicitum, nec aliquando desinet facere fructum Hierem. 17.

Si uis cognoscere, quis sit ex Dei populo, Deus hoc loco patenter indicat, dicens: Populus meus pendebit ad meum, non ad alterius reditum. Ergo qui ad aliud pendet, non est populus, aut ex populo Domini, sed populus Aßur, id est, diaboli. Maledictus, qui non pendet ad reditum DEI.

Iugum autem imponetur eis simul, quod non auferetur.

Iugum, quod Dei populo, ad eius reditum pendenti, imponitur, est charitas, uinculum perfectionis. Charitate nanq; Dei trahuntur, & tam uehementer quidẽ, ut cunctis ob Christum bene uelint, & quantũ licet, faciant. Hoc est iugum & uinculum, quod non auferetur. Nam charitas nunquam excidit. Aeterna quippe erit mutua Sanctorum dilectio. Imponitur autem hoc iugum simul omnibus qui ad Dei populum spectant. Nam omnes ad inuicẽ charitatem habent. Nec aufertur hoc iugum, quia nullo tempore charitatis iussa infringere licet. Porrò hoc iugum à Deo solo imponitur. O iugum uere suauißimum. Maledictus, qui collum suum illi neutiquam submittit. Benedictus aũt Domini populus, qui solus hoc iugum libentißime, & cum inæstimabili gaudio sustinet. Veh tibi apostatica &

pharisaica gens, quæ iugum Domini suauiss. simul atq; leuiss. abijcis, & alios ad idem, ut uales, compellis. Adligas autem onera tua importabilia in humeros cæterorū, quæ nec digito quidem tuo mouere dignaris. Sed in proximo est, ut à cunctis abijciantur omnia onera tua. Iugum aūt Domini suscipietur, & permanebit in æternum.

Quomodo dabo te Effraim, protegam te Israel? Qomodo dabo te? Sicut Adama ponam te, ut Seboim.

Ab Effraim uitulorum abominatio initium sumpsit, ut non raro diximus, & ab eo reliquæ Israëlis tribus infectæ fuerūt. Ob id puto per Effraim significari eos, qui seducti uana pietatis facie, alios postmodum seduxerunt, per Israël uero omnes ab eis seductos. Est ergo Effraim qui seducit: Israël, qui seducitur. Et ego peccator olim seductus ab Antichristo & Pharisæis, postmodum Effraim, id est, seductor factus sum. Sed misertus est mei Deus, & reuelauit in me filium suum, quem solum Christum esse nesciui. Sciui quidem eo pacto, quo Antichristi & Pharisæi, sed hæc eorum scientia, nihil minus quàm scientia Christi est. Fingunt enim se scire Christum, quem in ueritate omnino nesciūt. Misertus est, inquam, mei Deus, q. p ignorantiā olim, sicut ouis perdita, aberrarim.

Certissime quoq;, de electis qui toto erroris sæculo fuere, ita fuit. Nam Domino corde adficiebantur, sed per spiritus impostores seducti, aberrarunt à scopo, p ignorātiā. Dicebāt tamē semp domino, cū multa animi puritate;

Paratum

Paratum cor meum deus, paratum cor meum. Psal. 56. & 107. Nimirum parati semper erant, aliud sentire, si docerentur. Sicq; fidei simplicitate, salui facti sunt, eorum errores domino illis minime imputante. Certum est enim, quod fide salui facti sunt, quod alio medio, salus esse non posit. Neq; fieri potuit unquam, ut eorum uel unus raperetur à dei manu, & disperiret. Ioan. 10.

Hi sunt de quibus dicitur. O Effraim, ó cæci, qui meo populo uultis adnumerari, & seducti prius, alios à me seduxistis, & auertistis, quomodo dabo uos? Grauissima sunt scelera uestra, & abominationes, quibus fornicati estis à me, & alios ad idem commonefecistis. Quomodo ob hæc puniam uos? Dabo ne uos, ut gentes quas euerti in furore meo, & conculcaui in ira mea? Esa. 91. Et tu Israël, plebs scilicet mea, ab Effraim, id est, à te perperã docentibus seducta, uis ut te iuuem, & protector tuus sim. Sed quomodo protegã te, cũ me deserueris, & à me post idola & figmenta tua apostataueris, ac fornicatus sis? Quomodo dabo te, tam ingratum, scelerosum, & cæcum. Ponam ne te, ut Adama, & Seboim, quæ cum Sodomis euersæ sunt, ut deleam omnino memoriam tuam, & inæternum dispereas? Etenim si secundum impietatum tuarum multitudinem facerem, adhuc illis multo deterius tibi contingeret. Eiusmodi interrogationes, ostendunt enormissima esse peccata incredulorum, ut demum Altissimi clementia & misericordia, simul

atq;

atq; eius decreti, quo electos ad salutem præfiniuit, immutabilitas notior fieret.

Conuersum est cor meum pariter &c.

Hic uersiculus, & nonnulli sequentes, usq; ad eum locum, in medio tui sanctus ex his quæ in superioribus super eisdem diximus, late placent. Summa est, quod nō potest fieri, ut quisquam electorum pereat, quantumlibet adflicti & contempti uideantur. Item quod dei propositum de nobis non impleri non possit, etiam si in infinitum deteriores eßemus, aut meliores esse uideremur. Nam fieri nequit, ut salui fiant reprobi, neq; ut pereant, quos Deus ad æternam salutem præfiniuit. Ostenditur quoq; ex his locis, summa Dei bonitas & misericordia, itidem immutabilitas eius.

In medio tui sanctus &c.

In Ecclesiæ medio sanctus, id est, Christus, semper est. Qui recte sanctus dicitur, quod per eum solum sanctificari ualeamus. In medio quoq; est, hoc est, cum ea, ut eam iuuet, dirigat, illuminet, protegat, & saluet.

Huius loci, & omnium sequentium, usq; in finem capitis, intelligentia ex priori interpretatione, plana est.

Cap. S. Primum, effrenatam Israelis idololatriam & hypocrisim describit. Secundo, ut conuertantur exemplum fidelißimi Iacob proponit. Tertio, damnat Effraim prostatera dolosa &c. Quarto, promittit dies Christi, quibus fideles sedent, id est, pacem habēt, sicut in taber=

tabernaculis &c. Quinto, incidenter carpitur idololatria, Galaad & Galgal. Sexto, beneficia quæ Iacob et illis contulit inculcat.

PARS PRIMA.

CAPVT XII.

CIrcumdedit me Effraim in negatione, & in dolo domus Israel.

QVI ubiq; præsens est, quia populi sui curam habet uigilãtissimam, in medio eius esse dicitur. Ob id cap. præce. dictum est. In medio tui sanctus. Quia autem protector illius est, in eius circuitu esse scribitur psal. 11. Ipse uero populus, quia in deo gloriatur, et in eum solum fiduciam habet, atq; solis eius sermonibus uult regi, omniq; diligentia post eum currit, quasi in circuitu domini, semper est. Proinde illum circundare dicitur. Demum quia hypocritæ pro dei populo haberi uolunt, adseruntq; uel in mendacio, quòd & ipsi in circuitu domini sint, Deum circundare dicuntur. Porro sancti in ueritate, hypocritæ in mendacio, Deũ circundant. Deum autem in mendacio circundare, ipsius abnegatio est. Propter quod Effraim tribus, à qua prodijt uitulorũ abominatio,

minatio, & Israël, qui eadem abominatione commaculatus fuit, & nihilominus interea pro dei cultoribus & populis haberi uolebant, deum non in ueritate & confessione, sed in negatione & mendacio, ac dolo, id est, malignitate & simulatione circundedisse dicuntur.

Iudas autem testis, descendit cum deo, & cum sanctis fidelibus.

In Hebræo habetur. Et Iudas adhuc fortis cum deo, et cum sanctis fideli. Igitur cum Effraim & Israël, circundarent dominum in negatione et dolo, Iudas tametsi multis offensionibus ac criminibus plenus, ac complures ex eo, apostatarant à domino, post idola sua, tum ueruntamen maxime diebus Ezechiæ, quibus Oseas prophetauit, fortis adhuc erat cum domino, & cū sanctis fideli, id est, cum eo, qui est fidelis sanctis. Enimuero adhuc lex, & cultus Dei, erant Hierosolymis, & multi ex Iudeæ Regno, puro corde colebant dominum. Quidam putant, hic plurale singulari iunctū, ut trinitatis & unitatis diuinæ mysterium exprimeretur, dicentes, quod sanctis trinitatem, & fideli unitatem significent. Ego quidem in deo personarum trinitatem, & essentiæ unitatem confiteor, attamen non arbitror, quod ex hoc textu poßit adseri. Impura quoq; mihi uidetur, ad id torta huius loci enarratio. Pleriq; loci, alij ab isto, in arcanis literis habentur, quibus ipsius altißimæ trinitatis unitatisq; mysteria, quantum nobis opus est, palam fiunt.

Hic duo obserua. Primum, quod nullus est uere fortis, præter

præter eum qui cum deo eſt, qui ſcilicet fide puriſſima illi eſt iunctus. Secundo, quod tametſi deus eſt ſemper & im mutabiliter fidelis, ſanctis ueruntamen, id eſt, credentibus fidelis ſpecialiter dicitur, quod in eis impleat promiſſiones ſuas, & ei ſumma de illis ſemper ſit cura.

Effraim paſcit uentum, & ſequitur æſtum. Tota die mendacium & uaſtitatem multiplicat, & fœdus cum Aſſyrijs inijt, & oleum in Aegyptum ferebat.

Dictio quæ hic in Hebræo habetur, nẽpe, ruach, æqui uoca eſt ad uentum & ſpiritum. Verum ego mallem hic tranſlatum ſpiritum, ſicut ſupra cap. 4. Vt de ſpiritu fornicationum capiatur. Si mauis uentũ, ſic capies. Effraim, id eſt, Iſraël paſcit, id eſt, fouet uentum, hoc eſt, uana & inutilia, ac cito ut uentus prætereuntia. Capiendo autem de ſpiritu, ſic enarrabis. Effraim paſcit ſpiritum, id eſt, adquieſcit ſpiritui, non dubium quin fornicario, uide licet ſenſui & iudicio carnis, quod nunquam à domino non fornicatur. Quaſi enim hunc ſpiritum & ſenſum fornicarium pauit, cum illius reprobis iudicijs ac motibus adquieuit. De hoc ſpiritu, pleraq; habes ſupra cap. 4. Nempe, quod ſeducit, quod ligat in alis ſuis &c.

Demum quia idem ſpiritus effrenatus eſt, eos quos ſeduxit & adligauit, ad omnem impietatem ardentes facit. Proinde ſupra cap. 7. de ſequentibus æſtũ & impetũ eius dicitur. Omnes adulterantes, quaſi clibanus ſuccẽſus à coquen-

à coquente. Et iterum. Omnes calefacti sunt, quasi cliba-nus. Ergo à spiritu fornicario æstuantes, ipsum execrabilem æstum Israelitæ sequuti sunt.

Sed in quo? Quòd tota die mendacium, id est, idololatriam, & alia quæ Dei sermonibus aduersantur, et uastitatem, id est, perditionem, siue causas perditionis, multiplicat, & fœdus cum Assyrijs inijt, ut de Mananehen habes. 4. Reg. 15. & de Osee. 4. Reg. 17. Et oleũ in Aegyptum ferebat. Arbitror aliquando à tributa reddentibus, oleum inter cætera data fuisse Aegyptijs, quibus indubie aliquid misit Osee. 4. Reg. 17. auxiliũ petens contra Assyrios. Aut quod magis puto, ferebant Aegyptijs oleum uenale, sicq; admiscebãtur illis, quod erat eis in ruinæ occasionem, & idololatriæ exemplum.

Ex eo quòd multis locis, increpauit deus filios Israël, ob id quod ab Assyrijs & Aegyptijs petebant auxilium, & illis fœderabantur, erudimur, quàm uehementer deus ipse odiat, eos qui alienis ab eo fidunt, ac Christi hostibus fœderantur, & commiscentur. Nam soli deo fidendum est, & Antichristi omnes, id est, pseudocredentes uitandi sunt.

Iudicium ergo domini cum Iuda, & uisitatio super Iacob.

Tametsi domini iudicium, punitionem aut reprobationem significet, nihilominus tamen etiam retributionẽ designat. Impletio namq; æterni Dei propositi, seu de bonis seruandis, seu de malis puniendis, iudiciũ est. Dicit ergo.

ergo: Iudicium Domini cum Iuda. Sensus est: Dominus iudicabit pro Iuda, ut scilicet bona habeat, utq; in eo suas promissiones adimpleat, & non ita, ut Israël euertatur. Et uisitatio, id est, punitio, super Iacob, id est, Regnum decem tribuum.

Iuxta uias eius, & iuxta adinuenti ones eius reddet ei.

Non raro declarauimus, quae sint uiae nostrae. Verum id nunc accipe. Viae & adinuentiones nostrae, idem sunt, nempe cogitationes, adfectus, & omnia opera, quae non sunt ex fide, & spiritu Dei, quae nihil aliud quàm impietates & peccata sunt. Proinde credentes non ambulant in proprijs, sed in Domini semitis, in quibus is graditur, qui ex fide & spiritu sancto uiuit, iudicat, operatur. Quia ergo Israël ambulauit in uijs proprijs, & suas adinuentiones, non Dei eloquia & spiritum secutus est, iuxta haec dicit se illis redditurum. Non sic intelligas hoc uocabulum, iuxta, q. illos tam grauiter punierit, sicut enormiter peccauerunt, sed ut sit hic sensus: Quia malum operati sunt, malum sustinebunt. Punientur, & flagellabuntur, sicut decet impios, & per Mosen ac Prophetas illis praedixi.

PARS SECVNDA.

In utero supplantauit fratrem suum, & in fortitudine sua directus est cum Angelo, & inualuit ad Angelum, & confortatus est.

Et Fleuit,

Fleuit, & rogauit eum. In Bethel inuenit eum, & ibi locutus est nobiscum: Et Dominus Deus exercituum, dominus memoriale eius. Et tu ad dominū Deum tuum conuerteris. Misericordiā & iudicium custodi, & spera in Deo tuo semper.

APostatis ex Israël proponit exemplum fideliß. Iacob Patriarchæ, enarrās nōnulla beneficia, quæ illi Deus ipenderat. Primū aūt, q in matris utero, dum se mutuo fratres colliderent, fratris primum nascentis plantam tenuit. Quod fuit, ut signaretur, quòd filij Iacob præualerent in filios Esau. Gen. 25. Secundum, q timēte Iacob Esau, Angelus unus adparuit cum eo luctans, quē in sua fortitudine, quā scilicet tum maxime à deo adcepat, uicit, & inualuit in eum, & confortatus est ab eo, dum illi benedixit, & mutato nomine eius, ait: Si cōtra Deum, id est, me à Deo missum, & ea ratiōe Deū, qua electi Dij adpellantur. Si, inquam, contra me fortis fuisti, quāto magis contra homines, nēpe Esau, & suos quos times. Quasi di. Non præualebūt in te, sed tu illo maior eris. Semen quoq; tuū præualebit semini eius. Qui posteaquam abijt, Iacob cōfortatus, ait: Vidi Dominū facie ad faciem, et salua facta est anima mea. Gen. 32. Hic uitāda sunt Hebræorū somnia, dicentiū, q hic Angelus fuerit custos Esau &c. nec adserēdum, q ipsius Iacob custos fuerit. Nā quorsum hæc curiositas? Sufficit credere, q fuerit uerus Angelus, à Deo missus

sus. Nec uolo dicere, ut nõnulli, q Angelus finxerit se nõ posse uincere illũ, sed sentio simpliciter, q ita Deus tempa rit fortitudinẽ Angeli, direxeritq; (ut hic habes) Iacob in sua fortitudine, eã scilicet firmans, ut nõ præualuerit in eũ Angelus. Nec est simile, quod nõnulli adsumunt de Christo, qui se finxit longius ire, et tamẽ non est mentitus, imò omnino nõ conueniũt, si diligẽter inspexeris. Igitur angeli fortitudinem sic tempauit Deus, et Iacob uires adauxit, ut in ipsum Angelũ inualuerit, in exẽplum & signũ ipsi Iacob, q omniũ aduersus eum ac semẽ eius insurgentiũ uires Deus erat tempaturus, ipsius aũt Iacob ac filiorũ eius fortitudinẽ adaucturus, ut in hostes suos præualerent. Fleuit Iacob, & humiliter, imò cum multa instantia, rogauit eum, nempe Angelũ, ut ab eo benediceretur, seruareturq; ab Esau fratre suo quem timebat. Gene. 32. Angelus erat, qui adparebat, sed Deum, cuius uice ad Iacob uenerat, Iacob precabatur. Nam quemadmodum Angeli, Abrahamo, Iacob, Mosi, & reliquis adparentes, Dei uice loquebãtur, etiam in prima persona, quòd illis Deus, haud secus atq; instrumento uteretur, ita etiam non eos, sed Deum in eis adorabant, & precabantur. In Bethel quoq; inuenit eum, nempe Angelum. Gen. 35. et ibi locutus est nobiscum, id est, pro nobis, & de nobis, ut eodem loco habetur. Hic posuit Hieronymus in præterito, inuenit eum, quod historiæ congruit, ut liquet prospicienti.

Nõnulli aliud quiddam putant in Hebræo haberi, sed non sunt audiendi. Nam si etiam in aliquibus libris He-

bræis aliter reperiretur, non iungitur præcedentibus, immo consentire non potest. Proinde eosdem corruptos puto. Nimirum non raro Hebræi corrupta habent, sicut & Latini.

Et Dominus Deus exercituum fuit Iacob memoriale, q. in eum solū fiduciam haberet, suumq; iaceret cogitatū. Cuius exemplo & tu semen eius conuerteris, & cor tuum adpones, ad uere colendum Dominū Deum tuum. Misericordiam, & iudicium custodi. Misericordia Altißimi custodienda est, ne simus ut impij ex Israël, quibus ipsa misericordia erat quasi nubes matutina, et quasi ros mane per transiens, id est, nihil operans, q. illam in suum interitum spernerent. Suprà cap. 6. Hæc tum custoditur, dū amatur, & toto corde ex fide quæritur. Etenim sola fide eius misericordiam consequimur. Est quoq; seruanda misericordia in ꝑximum, ut sicut à Domino adcepimus, uniuersis auxiliemur. Seruus nanq; Dei nō est suijpsius, sed IESV Christi, & ꝑximorum, ideoq; non quæ sua sunt, sed quæ illorū, quærit. Cōmonefiunt igitur hoc loco Israëlitæ, ut nō spernant Dei misericordiā, sed ut exemplo Sancti Iacob, multa solicitudine ac fiducia, eam quærant & seruent, atque etiam, ut in proximos sint benefici & misericordes.

Adhortatur quoq; Propheta filios Iacob, ut iudicium seruent. Iudicium, adprobatio, seu reprobatio est. Quod tum rectum aut iniustum est, cum aut iuste, aut perperam aliquid reprobamus, uel adprobamus. Iniustum est, cum à nostro spiritu mendaci & fornicario, rectum uero, cum à

Dei

Dei spiritu proficiscitur. Ergo non est custodiendum iudicium nostrum, q, impium sit, sed uiuendum & sentiendum est iuxta iudicium Dei, uidelicet, ut amemus, & adprobemus, quod Deus adprobat, odiamus autem, & reprobemus, quod ille damnat.

Dicit igitur: Custodi iudicium, non dubium quin uerũ & sanctum, hoc est, uiue, iudica, & operare, secundũ iudicium æternæ ueritatis. Et spera in Deo tuo. Nã salus est omnibus sperantibus in eum. Cæterum his, qui in alia, quàm in eum sperant, omnia sunt intutißima. Omnia etenim caduca, & nullius momenti sunt, præter te DOMINE DEVS noster.

PARS TERTIA.

Chanaan, in manu eius statera dolosa, calumniam dilexit.

ADsueuit spiritus sanctus, uocare impios nominibus eorum, quorum mores sequuntur. Sic impijs Principibus, & populo Israël dicitur Esa. 1. Audite uerbum Domini Principes Sodomorum, auribus percipite uerba Dei uestri, populus Gomorræ. Ezechiel quoque Hierusalem ait: Pater tuus Amorræus, & mater tua Cethæa. Ezech. 16. Et Dan. 13. falsis iudicibus ait Daniel: Semen Chanaan, & non Iuda. Pari ratione Israëlitæ hic Chanaan uocantur Chananæorum etenim abominationes secuti sunt. Porrò in manu eius statera dolosa, id est, in-

iustitia, falsumq; iudicium, atque etiam ad literam statera dolosa, contra illud Leuitici. 19. Nolite facere iniquum aliquid, in iudicio, in regula, in pondere, in mensura. Statera iusta, & aequa sint pondera, iustus modius, aequusq; sextarius. Calumniam itidem dilexit, contra iussionem Domini: Non facies calumniam proximo tuo, nec ui opprimes eum. Leuitici. 19.

Et dixit Effraim: Veruntamen diues effectus sum, inueni Idolum mihi.

Sic perperam iudicat impia caro, quòd melius habeat, posteaquàm Deum contempsit, tametsi absq; similitudine deterius secum agitur. Idcirco carnalis Effraim, id est, Israël, dixit, cum pro suis impietatibus carperetur: Veruntamen &c. Quasi diceret: Quicquid sit de factis meis, an scilicet illa odiat, uel grata habeat Deus, ego interim diues effectus sum, & inueni mihi Idolum, id est, rem summe dilectam, nempe aurum, argentum, honorem, & substantiam huius saeculi. Quidam ex Hebraeo uerterunt, censum, ubi nos Idolum habemus, & tum planior est textus.

Omnes labores mei non inuenient mihi iniquitatem, quam peccaui.

Variè à multis hic locus exponitur. Difficilis namque est, & admodum quidem. Putat quidam sic iungendum superioribus, quòd Effraim dixit: Veruntamen diues &c. Qui magis debuißet dicere: Omnes labores

&c.

&c. Alius putat aliud quiddam, ego non dubito aliter intelligendum, nempe quòd dependeat à priori uersu, quo Dominus ait Effraim, id est, Israël dixisse: Veruntamen diues &c. Adseruit enim, quòd quicquid eßet de eo quo reprehendebatur, ditatus erat, atque tandem, quia superbia eorum, qui Deum oderunt, ascendit semper. Psalmo. 73. Eo usque progressa fuit eius impietas, ut defenderet scelera sua, diceretque: Omnes labores mei &c. Quasi diceret: Scio, quòd quantumlibet laborauerim, ad idq; nisus fuerim, ipsi mei labores non inuenerunt, neque inuenient mihi, id est, in me, iniquitatem, quam (secundum quod hi Prophetæ dicunt) peccaui. Quare non poßum lucrari, cum his qui mecum negociantur? Cur non licet mihi adquirere multa astutia bona sæculi huius? Ad quid sensum adcepi à Domino? Non uideo eße offensionem, aut iniquitatem, quemadmodum Osee & alij adseuerant, immo nec est. Ego laboraui plurimum, ut uiderem, an in me eßet peccatum, dum sic negocior, & diuitias adcumulo, & non reperio. Sic, heu, multi hodie faciunt, gloriantes in sensu proprio, & contradicentes uerbo Dei, nolentes ut peccata sint, quæ contra illud faciunt. Hi dicunt: Sufficit nobis sensus naturalis, nec intelligunt, quàm nunquam nõ fornicetur à Domino. Putant satis ꝑ undelibet congregare diuitias, & q̃ secũdum proprium iudicium peccatũ non sit. At cæci sunt miseri, nec lumen uident. Veh uobis diuitibus, qui habetis hic consolationes uestras Lucæ sexto.

PARS QVARTA.

Et ego Dominus Deus tuus, ex terra Aegypti, adhuc sedere te faciam in tabernaculis, sicut in diebus festiuitatis. Et locutus sum super Prophetas, & ego uisioně multiplicaui, & in manu Prophetarum adsimilatus sum.

Vide summam bonitatem Dei excelsi, simulq; decreti eius immutabilitatem. Israël eum contempserat, & oblitus omnium misericordiarum eius, ab eo post Idola apostatarat. Spernebat quoq; Domini uerbum ex ore Prophetarum, nec uolebat glorificare Dominum, confitendo impietates suas. Verum non potuit obliuisci miserationum suarum, qui semper bonus est, & proprium quiddam habet, nostri misereri. Deniq; nō potuit fieri, ut ꝑpter carnalium Israëlitarum incredulitatē, totius Israëlis obliuisceretur, ꝙ ex eo missurus esset in carnē unigenitū suum. Proinde ait: Et ego Dominus &c. Quasi. Tametsi æternis & impollutis decretis meis tam aduersaris, ego tamen non delebo te. Nam quamuis ex te multi sint ob incredulitatē perdendi, fiet tamen ꝑpter memetipsum, ut quod in æternitate decreui, impleatur. Nimirum posteaquàm te eduxi de terra Aegypti, nō possum tui non misereri. Ecce enim dies uenient, quibus adhuc te sedere faciam in tabernaculis, sicut in diebus festiuitatis. In Sabbatis

batis Iudæi conueniebant, ad audiendum legem Dei, sic de Israëlitis erit, cum illos ad se Deus conuerterit. Audient enim multa cum animi pace eloquia eius, & quidem animo synceriore, quàm Iudæi in Synagogis eorum.

Obseruandum, quòd is sermo de omnibus electis intelligitur. Ipsi enim sunt ueri Israëlitæ, & quoties uerbum Domini audiunt, sunt ad illud maiori quiete intenti, quàm olim multi ex Israël, in diebus festiuitatis. Porrò notanter dixit, eos sessuros, sicut in diebus festiuitatis, quia fidelibus omnes dies liberi sunt, & propriæ nullæ sunt festiuitates, inter fideles, sed dies aliquot, ut Dominicus & alij pauci, laudabiliter instituti sunt, ut in eisdem, sicut in Iudæorum festiuitatibus, Dei sermo ab uniuersis audiatur, nō autem ut ferientur, torpentes otio, ac ludis, comessationibus, ebrietatibusq; uacātes. Igitur, omnes ad se conuersos facit Dominus sedere in tabernaculis, nō in antiquis Iudæorum festiuitatibus, sed quoties Dei sermo pronunciatur, sit Dies quem uocant Dominicum, aut alius quicunq;. Tum enim sedent, id est, læti, iucundi, & tranquilli sunt in Domino, pasti perinde atq; in conuiuijs, ipsis sermonibus ueritatis.

Adridet quidem satis hæc interpretatio, sed magis adridebit, si paulo generalior sit, nempe, ut hæc seßio in tabernaculis, sit illa, de qua Esaiæ. 32. Sedebit populus meus in plenitudine pacis, & in requie opulenta, et in tabernaculis fiduciæ. Ergo hæc seßio in tabernaculis, est pacis diuinæ plenitudo, & opulentißima tranquillitas, ac inæstimabilis securitas, eorum qui fiduciam habent in dominū.

Quia autem de his felicibus tabernaculis, ac de hoc uerbi amore, quem in electorum cordibus, Dei spiritus fixit, à multis prophetatum extitit, subiunxit: Et locutus sum super Prophetas, illis inspirando, ut de his prophetarent. Et ego uisionem, id est, prophetiam, multiplicaui, & in manu Prophetarum, id est, operibus eorum adsimilatus sum. Etenim eorum plurimi operibus prophetarunt, ut Esaias, maxime autem Ezechiel, & alij nõnulli. Demum ex multis, quæ illis contigerunt, præfigurata fuerunt Christi mysteria, ut in Iona, qui sicut fuit tribus diebus in uentre ceti, Ionæ secundo, ita CHRISTVS fuit in corde terræ. Matthæi duodecimo.

Aliter de credentium pace uisionem multiplicauit, ut liquet in Esaia, Ezechiele, Zacharia. Et in manu Prophetarum (Phrasis est Hebræorum) id est, per ipsos Prophetas, adsimilatus est. Nam complures eorum, & similitudinibus, & factis proprijs prophetarunt, de præscripta fidelium pace, ac de eo, qui est uera pax & securitas perfecte credentium, nempe CHRISTO. Porrò, superuacaneum putarem, hic specialiter referre ipsas prophetias, sed tantum id obseruet studiosus quisque, q. uniuersi Prophetæ, ad dies CHRISTI principaliter locuti sunt, quod neque Rabbi Salomon, neque alij Hebræorum Rabbini negant. Enimuero omnium Prophetarum, atque etiam totius legis scopus, & finis præcipuus, fuit CHRISTVS. Rom. 10.

PARS QVINTA.

Si Galaad

Si Galaad idolum, ergo frustra erant in Galgal bobus imolantes.

Incidēter, ut supra cap. 4. & 6. arguitur idololatria duarum urbium uicinarum, inter quas medius erat Iordanis fluuius, & quarum prior teste Hieronymo, tum subijciebatur Regi decem tribuum, alia uero Regi Iuda. Galaad erat sacerdotalis, & fugitiuorum urbs, in tribu Gad sita, & in ea idola plurima. In Galgal uero uitulos (ut ferunt Hebræi) nonnulli fabricarūt ad similitudinem eius qui erat in Bethel, id faciente auaricia sacerdotum, illic habitantium, ut sic facilius, populi substantiam uenarentur. Et forsan simile erat idolum, in Galaad. Sic autem ardebant ad idololatriam, ut alterius ex istis urbibus habitatores, tametsi idola haberent, ueruntamen ad colenda alterius urbis idola properarēt, pari indubie superstitione, qua & nos præteritis errorum sæculis laborauimus. Vunusquisq; enim locus, etiam pagulus, ac quælibet parrochia, exuberauit idolis, & tamen cæci, & præ furore idololatriæ fere insanientes, cucurrimus post idola, ad reliquas parrochias, urbes, pagos, regiones, ad idq; multoties, mare & aridam circuiuimus. Benedictus Deus, qui luce ueritatis suæ, & potentia uerbi sui, eiusmodi abominationes cepit demoliri.

Dicit ergo. *Si Galaad idolum, sup. habet, ergo frustra Galaaditæ erant in Galgal, bobus, id est, uitulis, imolantes. Q. d. Postquam fornicari à me uoluerunt, debuit*

illis

illis suffecisse, quod in Regno suo, scilicet decem tribuum, ubi erat Galaad, idola habebant, & non tam insanire, in abominationibus istis, ut etiam transirent ad aliud idolum, in duarum tribuum Regno, hoc est, in Galgal positum. Hinc habes argumentum, quod in Regno Iuda, uitulos coluerint, sicut in Israël.

Nam & altaria eorum, quasi aceruí super sulcos agri.

Sensus est. Hi frustra tam insaniunt, in abominationibus suis, ac reprobo idolorum cultu. Nam ecce dies uenient, quibus eorum altaria, erunt quasi aceruí, super sulcos agri, deserti scilicet. Qu. d. Omnia euertentur, & destruentur. Quod à Iosia Rege Iuda factum est. 4. Reg. 23. & 2. Para. 34.

PARS SEXTA.

Fugit Iacob in regionem Syriæ, & seruiuit Israel in uxorem, & in uxorem seruauit. In propheta autem eduxit dominus Israel de Aegypto, & in Propheta saluatus est. Ad iracundiam me prouocauit Effraim, in amaritudinibus suis, & sanguis eius super eum ueniet, & obprobrium eius restituet ei dominus Deus suus.

Ingra-

INgratis & apostatis, resipiscere nolentibus, reuocat in mentem, quàm misericorditer & eorum patrem Iacob, et ipsos à malis eripuerit, atq; proinde eosdem sui oblitos, euertẽdos prædixit. Ait ergo. Iacob pater uester, me prouidente, & ut à crudelitate Esau fratris sui liber fieret, fugit in Regionem Syriæ. Gene. 28. Et Israel, idem qui Iacob, dedit enĩ illi deus nomẽ Israël. Gene. 32. & 35. seruiuit Laban auunculo suo, in uxorem, habendã annis septem. Et in uxorem aliam habendam, seruauit sup. pactum, Laban illud rumpente. Pepigerant enim fœdus qđ seruiret Laban septem annis pro Rachel, et cõpleto tempore seduxit eum Laban, nec pactum seruauit, introducens ad eum clam Lyan pro Rachel. Propter quod fuit coactus illi seruire alijs septem annis, ut haberet Rachel. Gene. 29. Et quãtumuis infideliter secum ageret Laban, & mutarit toties, nempe, decem uicibus mercedem eius, in omnibus tamen sibi adsistente domino, semper prospere egit. Gene. 30. & 31. Hæc ideo impijs Iacob filijs inculcat Deus, quod filijs satis exhibeantur, quæ patrib. fiunt.

Sequitur. In propheta autem non dubium quin Mose, eduxit dominus Israël populum, ab Aegypto. Vide initia libri Exodi. Et dum uellet ipsum populum, pro adoratione uituli aurei perdere, Mősi fide seruati sunt. Exo. 32. Hoc autem est, quod hic subiũgitur. Et in Propheta, nempe, Mose saluatus est.

Porro & horum, & omnium aliorum beneficiorum Dei immemor, deseruit dominum, & post idola ac desyderia

deria cordis sui, plusquam dici possit, insaniuit. Propter quod ipse dominus ait. Effraim, id est, Israël, me prouocauit ad iracundiam, id est, ut flagellem & adfligam eum, in amaritudinibus suis, id est, criminibus, pro quibus amara perferet. Prouocauit inquam me, non quod muter, & fiam ex non irato, iratus, sed quod tales sunt abominationes eius, quod si ut homines mutari possem, me ad iracundiam prouocasset. Ego quidem irascor, sed non ob id mutor. Nam ira mea est immissio flagelli, sicut in æternitate præfiniui. Etenim uniuersa ab æterno sunt præfinita. Et sicut præfiniui, sanguis eius super eum ueniet, & opprobrium eius, restituetur ei. Nam abijciam eum, & restituam illi opprobrium captiuitatis, qua multis annis Aegyptijs seruiuit.

Cap. S. Primum, ostenditur quàm Israël idololatriæ abominatione insanierit, & quod proinde cito abijciendus sit. Secundo, aduersus illorum ingratitudinem prophetat, & tum imminentia illis flagella prænunciat. Tertio, palam facit quàm nihil omnino sint nisi perditiones, quæcunq; à nobis adfinguntur, à Deo autem proficisci, quæcunq; bona sunt. Ibi insignia multa habes, de Principibus. Quarto, quod solis flagellis carnales impelluntur ad cognoscenda errata sua. Quinto, quod peccatum, mortem, & infernum, Christus uicerit.

PARS PRIMA.

Caput

CAPVT XIII.

LOquente Effraim, horror inuasit Israel, & deliquit in Baal, & mortuus est. Et nunc addiderunt ad peccandum, feceruntq; sibi conflatile de argento suo, quasi similitudinem idolorum, factura artificum totum est. His ipsi dicunt. Imolate homines, uitulos adorantes.

IHeroboam Effrateus filius Nabathæ primus Rex decem tribuum, loquutus est blasphemiam contra dominum, dicens, hi sunt dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Aegypti. 3. Reg. 12. Tum horror, id est, cultus horrendus, inuasit Israël. Coluit enim uitulos, ab ipso impio Rege Effrateo excogitatos, & id quidem tanto ardore, ut ad eum cultum calefacti eßent, sicut clibanus succensus à coquente, ut habuimus supra cap. 7. Quo loco apertius de hoc scelere tractatum fuit.

Cæterum ubi semel à Deo apostatarunt, per cultũ uitulorũ, facile ad id ab ipso Rege impio, & Principibus, ac falsis Prophetis deducti sunt, ut omnes quorumuis idolorũ abominationes admitterent. Proinde etiam præter uitulos, Baal coluerunt, & mortui sunt, priuati uita sine qua non est salus. Sic mortua dicitur anima quæ peccauerit. Eze. 18. Et angelo Sardis dicitur. Apoc. 3. Nomen habes, quod uiuas, & mortuus es.

Ergo

Ergo mortui sunt, qui idola colunt. Nimirum priuati sunt, spiritu & gratia illius, qui dicit: Ego sum uia, ueritas & uita Ioan. 14. Heu nobis quoniam hæc mors & pestis nocentissima, fuit multis sæculis in orbe Christiano. Et loquente impio Hyeroboam, id est, Antichristo, cuius typum gessit, ipse Hyeroboam, horror inuasit Israël, nã horrendus idolorum cultus, ab eo et suis, fuit maxime excogitatus. Nimirum adscribunt quos uolunt, sanctorum, ut uocant, cathologo, cogunt ad fabricanda idola, docent properandum ad diuorum sepulchra, adoranda ac colenda simulachra, ferendaq; per urbes, ab eorum sacrificis, & innumeras id genus abominationes & horrores, posuerunt in Ecclesijs Dei, id est, inter fideles.

Vitulos igitur, aureos & Baal coluerunt, feceruntq; sibi conflatile, id est, conflatilia, singulare pro plurali, de argento suo. Multiplicarunt enim in uarijs locis uitulos ad similitudinem aureorum, & alia pleraq; idola, ex argento & alia materia, qui ea non potuerunt ex auro fabricare. Quæ omnia cum nõ nisi facturæ artificũ eßent, dicebant tamen. O homines imolate istis uitulis, & alijs idolis, adorantes ea. Hoc autem uerbum, maxime fuit impiorum Regum, & Principum, ac pseudoprophetarum. Nemo enim p'us auertere potest à Domino populos, quàm impij Principes, Pharisæi, & sacerdotes. Porro ideo hic dicitur, in subsannationem & derisum præscriptæ idololatriæ. Imolate &c. Quid O quã magna & deploranda est istorum cæcitas. Nam cum homines sint, ad inui=

inuicem sese adhortantur, ut adorent muta & surda, etiam brutorum simulachra, illisq; sacrificia offerant, & opera manuum suarum, quibus absque similitudine meliores sunt, uenerantur, & adorant.

Idcirco erunt quasi nubes matutina, & sicut ros matutinus præteriens. Sicut puluis turbine raptus ex area, & sicut fumus de fumario.

Aptißimæ omnino similitudines, quibus tum mox futura Israëlis euersio, & captiuitas præsignata fuit. Qui enim tam effrenate à Deo *apostatarant, & post abominationes suas cucurrerant, etiam à* Deo *uehementius & citius flagellari debuerunt. Insaniant ergo & nostro sæculo hostes* CHRISTI, *in uerbi sancti amatores, occidant gladio, aquis & incendio subfocent, cito euertentur, & in proximo est ruina eorum. Interea autem electorum sanguine ueritas confirmatur.*

PARS SECVNDA.

Ego autem Dominus Deus tuus, ex terra Aegypti, & Deum absque me nescies, & Saluator non est præter me. Ego cognoui te in deserto, in t rra solitudinis. Iuxta pascua sua adimpleti sunt, & saturati sunt. Et eleuauerunt cor suum, & obliti sunt mei.

A Tempore, quo Israël erat in terra Aegypti, elegit eum Dominus sibi in populũ, et praecepit Exo. 20. ut nõ agnosceret, sicut neq; est, alium Deum, neq; alium Seruatorem, praeter eum, hoc est, ne in alium quenquã haberent fiduciam, praeterq̃ in eũ solum, nec salutem alteri cuipiã tribuerent. Id genus praeceptis, plena sunt eloquia Dei. Cognouit in deserto i. iuuit eos, ut sibi notiss. & amiciss. Quis enim sufficeret enumerare, quàm mirifica illis in deserto fecerit? Nam in ea solitudine ita adimpleti, & saturati fuerunt, sicut in pascuis proprijs, & eisdem fertilissimis terrae Israël. At miseri, & caeci non agnoscentes bonitatem & misericordiam summi prouisoris sui, leuauerunt cor suum contra DOMINUM, rebellantes ei, & contradicentes, fornicatique sunt, & apostatarunt ab eo, obliti omnium miserationum eius.

Heu nobis miseris, qui usq; in hunc diem, pro supradictis erratis & abominationibus, persecuti fuimus Israëlitas, quasi aliquid sanctius in nobis plus quàm in illis esset, & nihil tale impie fecissemus, ut illi. Nam ecce aberrauimus plusquàm illi, & omnes caeterae gentes, & nihilominus nos pro fidelibus, cunctis uẽditabamus. Eduxit nos Deus per unigenitum suum, à seruitute durissima, carnis & sanguinis, id est, legum, doctrinarum, & inuentionum hominum, imò etiam legis suae, ut suprà ca. 11. transtulitq; nos in libertatem gloriae filiorum Dei, et nos eam sacrosanctam libertatem calcauimus, fabricauimusq; nobis leges

& decreta

& decreta contra Christum, & ueritatem eius ex diametro pugnantia. Iußit, ut nesciremus alium Deū præter eum, alium Seruatorem & mediatorē præter Christum, et nos idola noua, nouos scilicet deos, seruatores, aduocatos, & mediatores adfinximus, quorū nō est numerus, factiq; sumus apostatæ & fornicarij à Deo patre nostro, et domino nostro IESV Christo. Propterea nihil nobis adulemur, q, nō simus pares Iudæis. Deteriores illis sumus, & seducti à nostro Hieroboam. i. Antichristo, super omne hominum genus, Idololatria, ac inauditis abominationib. polluti fuimus, oblitiq; sumus Domini Dei nostri. Primo autem loco, ac grauius fornicati sunt, à ueritate Dei, quos magis ille ditauit. Incraßati sunt, & recalcitrarūt, incraßati, impinguati, dilatati. Spreuerunt Deum factorem suum, & abierunt post immundicias suas. Attraxerunt post se simplices populi, auxilium ad id prebentibus pseudoprophetis. Veh nobis, quia peccauimus. Deus autem misereatur nostri, & illuminet faciem suam super nos, ut cognoscamus in terra uiam eius, & in omnibus gentibus salutare eius.

Obserua, quòd his qui non habent Christi spiritum, diuitiæ, & saturitas, grauioris fornicationis & apostasiæ semper causa fiunt. Nam qui non habet Spiritum Dei, nō nisi fornicario spiritu, sensu, atq; iudicio regitur. At istiusmodi iudicio & sensu, non poßumus non abuti omnibus, quæ à Deo accepimus.

Obserua itidem, quòd Dei cognitio in archanis literis,

quandoq; capitur pro auxilio, quãdoq; pro flagellis eius. Cognoscit enim eos qui sibi placent, iuuat, & adprobat. Cognoscit item, quos odit, flagellat, & reprobat. Qua autem ratione eiusmodi textus capiendi sint, ex textus cuiuslibet circumstantia & scopo est pe: endum. Apostatarunt igitur Israëlitæ à Domino, nunc eorum punitio subiungitur.

Et ego ero eis quasi Leena, sicut pardus in uia Assyriorum. Occurram eis quasi ursa raptis catulis, & dirũpam interiora iecoris eorum. Et consumam eos ibi quasi Leo. Bestia agri scindet eos.

In uia Assyriorum, cum scilicet ducti fuere in captiuitatem, fuit dominus filijs Israël, quasi Leena, animal sæuiss. & Pardus animal uelocißimum, cum ingenti terrore, & cito à terris proprijs ad Assyrios translati fuere. Et id quidem, secundũ iudicium reprobum, impiorum, & carnalium translatorum. Nam crudelis non est Dominus, sed iustus & sanctus, quantũlibet flagellet, & sic de illo fideles iudicãt, quicqd aliter increduli sentiant. Nimirũ caro non capit ea quæ sunt spiritus dei. 1. Cor 2. Dominus bonus sẽper est, homines aũt sæui & crudeles, quorũ sæuitia q sem per clemẽs est, utitur, ad eos flagellandos, quos uult misericorditer castigare. Itidem eam duriss. captiuationem crudelitate ursæ atq; Leonis exprimit. Dicit aũt: Ero eis, occurrã illis, dirumpã eos, ut eiusmodi iudicia & flagella, ab eo maxime profecta fuisse sciamus. Nam ipse est, qui imprimis

primis captiuat, cædit, rumpit, demolitur. Omnia ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt. Rom. 11. Occurrit igitur illis, ut ursa raptis catulis, dum misit aduersum eos crudelißimos Aßyrios, sanguinem & mortem eorum sitientes. Itẽ cum multa durißima in uia, ipso iudicante pertulerunt, unde dirupta sunt interiora iecoris eorum, id est, mortui, & occisi gladio, fame, & alijs incommodis. Consumpsit quoque eos, non omnes, saltem in mortem, sed consumpti dicũtur, quòd cum grauißimis tormentis, ac immenso dolore, uniuersi, aut interfecti, aut captiui ducti fuere. Bestia quoque agri scidit eos. Quæ bestia? Non satis definire ualemus, qui per eam specialiter designentur. Ego puto Regem Assyriorum cum suo exercitu, hanc bestiam esse. Siquidem uarijs torminibus sciderunt, et dilacerarunt filios Israël. Tametsi arbitror nõ incongrue dictũ, si per agri bestiam, pseudoprophetas, ut suprà ca. 2 capiamus. Etenim dum populum israël in captiuitatẽ ductum, propter abominationes gentium à Domino auerterunt, quasi illum ferarum more sciderunt, & lacerarunt.

PARS TERTIA.

Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum. Vbi est Rex tuus? Maxime nunc saluet te, in omnibus urbibus tuis. Et iudices tui, de quibus dixisti: Da mihi Regem et principes. Dabo tibi Regem in furore meo, & auferam in indignatione.

OStēdit, quàm nihil boni ab homine sit, paucißimisque describit, cuiusmodi sint, quæcunq; à nobis pficiscuntur, & unde tantum aliquid boni eße potest. Dicit ergo: O Israël, perditio est tua, hoc est, quod à te proficiscitur, perditiōem tibi adcumulat. Nam sensus, iudicium, sermo, & operatio, si à teipso sunt, quid nisi pditiōes esse possunt, q, ex fide nō sint? Omne autem quod non est ex fide, peccatum est. Rom. 14. Quod si credis, aut ex fide operaris, non est à te, sed à spiritu Dei, sine quo nemo potest post Christum uenire, id est, in cū credere. Io. 6. Nimirū hæc sententia, nunquàm nō est uera, q, sola perditio, nostra sit, salus aūt & auxiliū nostrū, à solo Domino Deo nostro. Israël uoluit proprio sensu duci & uiuere, reiecit autem Dominum, unde eius perditio est profecta. Et nos quid nisi perditionē thesaurizauimus, non simpliciter adquiescentes purißi. sermonibus Domini? Perditi fuimus cæci multis sæculis, id facientibus nostris inuentis, traditionibus, decretis. Nam si adhæsissemus auxiliatori nostro, non interitum, sed ueram salutem adquisiuißemus.

Porrò Israëlitæ, in hoc præ cæteris peccauerunt, quòd gentium exemplo petierunt sibi Regē. 1. Reg. 8. Stulto enim consilio, putarunt sibi melius futurum, si super se haberent Reges & Principes, sicut aliæ nationes. At contrarium experti sunt. Nam perditionis eorum causa uel maxima, Reges fuerunt. Proinde ait nunc Dominus: Vbi est Rex tuus? Quasi diceret: Voluisti eos, & fiduciam multam habebas, quòd te seruarent. Nunc autem nullum habes.

bes. Captiuus enim à te ductus est Osee, post quem nullus surget. Ecce positus es in pressuris grauißimis, surgat nunc Rex tuus, surgant & iudices tui, de quibus dixisti: Da mihi Regem & Principes. Ex hoc loco uidetur, quòd filij Israël non tantum petierunt Regem à Samuele, sed etiam, ut sub eo constituerentur principes.

Sequitur: Dabo tibi Regem &c. Hic uersus sic iungitur prioribus: Postulasti à me Regem & Principes. Tum dixi: Dabo tibi Regem in furore meo, hoc est, Regem quidem super te constituam, ut petis, qui tibi erit perditionis & malorum occasio. Verum & ipsum sceptri fastigium, quod amas, & in quo gloriaris, à te auferam, téque illo priuabo in indignatione mea, id est, in punitionem abominationum, tam eius quàm tuarum.

O uerbum terrendißimum. Dat Deus Reges in furore, & aufert itidem in furore. Durus est hic sermo, sed carni, & sanguini. Dominatur ille in Regno hominum, et cuicunq; uoluerit, dabit illud, & humillimum constituet super eum. Dani. 4. Populisq; impijs & apostatis, præficit Deus Reges hypocritas Iob. 34. Datq; pueros Principes eorum, & effœminati dominantur eis. Esaiæ. 3. Heu quàm sæpe nobis ita contingit. Liberet Deus omnes fidelium populos, à Regibus ac Principibus, & Dominis impijs, maxime autem ab hypocritis, qui nihil minus uolunt quàm ueritatem, tametsi in mendacio adserunt, q, illi toto corde adficiuntur. Hi prohibent, ne Christus regnet, calcantq; Ecclesiam eius, & impollutam ueritatem Dei, ut

ſtatuant abominabilem Antichriſti Synagogā, atq; menda cia. His fidunt multi, & pereunt, nēpe increduli. Nam qui ex Deo ſunt, in ſolum dominū fidunt. Reſpiciunt enī, quid iubeat Deus, Principibus aūt non adquieſcunt; niſi quate nus eorū decreta diuinis legibus cōſentiunt. His, qui eius modi ſunt, Prīcipes effœminati, pueri, ſeu hypocritæ, neu tiquam obſunt. Cæterum incredulis et hypocritis, Deus in furore ſuo tales Principes tribuit, quorū impietatibus & mendacijs profūndius ſemper in interitū ruant, qui pditi onem amant, hi ſcilicet, qui ſolo fornicationis ſeu perditio nis ſpiritu ac ſenſu, regi uolunt, calcantes ueritatem Dei, & mendacia amplectentes. Docendi aūt ſunt hi miſeri & ſeducti, ne ꝓpter ſuos Principes, uelint male perire. Diſpe rijt enī Iſraël, ob id uel multo maxime, ꝙ hypocritis Regi bus adquieuit. Indubie enim multi eorundem Principū, ui debantur in faciem pij, adhortabaturq; populum, ut cole rent Dominū, ſed impie illos docebant, nempe ꝙ uellet co li in uitulis, & idolis ſuis: id quod uſq; in hunc diem faciunt Principes hypocritæ, & pſeudocredentes, cum falſis Pro phetis eorum. At qui in ſempiternum diſperire noluerit, non adquieſcat eis. Potius diſcedat ab eorum imperio, & quærat ubi ſecundum eloquia Dei uiuere poſſit.

Si aliquis populus illuſtratus à ſpiritu ſancto unanimi ter ueritatem cuperet, ueniat, & dicat ſuis Principibus ac Magiſtratibus uerbo obſiſtentibus: Volumus audire uerbum Paſtoris noſtri DOMINI IESV CHRISTI. Oues nanque eius ſumus, & nobis diſplicet o-

mnis

mnis uox alienorum. Proinde nolumus, ut quisquam nobis aliud prædicet, quàm purißima eloquia Dei. Quòd si illi nolunt populo Christum & ueritatem eius permittere, poßunt illos abijcere ipsi populi, ne ultrà sint eorum Principes & Domini.

Non sic olim oportuit cum infidelibus Principibus, nunc autem cum his, qui cum se Christi eße dicant, Christum prohibent, id facere neceße est. Qui enim fiet, ut pereat tota regio, ob Principem hypocritam? Quare propter eum cogetur relinquere Dominum, et subscribere hypocrisi uermis unius corruptibilis. Vtinam pellerentur ab uniuersis fidelium terris, qui eiusmodi sunt.

PARS QVARTA.

Colligata est iniquitas Effraim, absconditum peccatum eius.

SEcunda pars, est prioris enarratio. Effraim, id est, Israëlis iniquitas, dicitur colligata, id est, abscondita, sicut res complicatæ, quòd non agnosceretur. Quia enim non aperte puniebãtur, non æstimabant peccatum eße quod faciebant. Dicebant enim: Si mala essent quæ facimus, non sustineret nos Dominus. Quia autem tot sæculis uitulorum et aliarum abominationum cultus mansit, & à Deo, qui subito omnia euertere potest, non sunt euersa usque in hunc diem, signum est quòd non illi displiceãt. Demũ multa pdigia fiunt, & responsa nobis dantur. Multi quoque sunt Prophetæ & Sacerdotes, i-

dem sentientes & docentes, quod non facerent, cum docti sint, nisi bona essent. Parum autem est, si Oseas & alij pauci aliud docēt. Nam potius est credendū multis, quàm paucis. Deus uult coli uarijs modis, & uarijs signis testimonium reddit, q, hæc grata habeat. Nam ille Baal, aut uitulos inuocans saluus factus est, ab hoc uel illo periculo, damno, egritudine. Cum inuocamus hoc Idolum, pro hac infirmitate, mox sanamur, itidem de singulis Idolis. En quod ex toto Israël reddiderunt Domino coram uitulis nostris uota sua, & bene habuerunt. Quis ergo dubitat, hæc grata esse Deo, cum pro nobis tam magna præstat, uitulos in sui gloriam colentibus? Denique quis adseret, quòd prædecessores nostri, infideles extiterint, tot temporibus? Bene fuit prædecessoribus nostris, ideo sequemur illorum ritus, traditiones, & fidem. Et alia his similia multa dicebant. Ita per omnem modum nunc est, & fuit, heu, diebus multis. Non discessimus ab Idololatria, & reliquis immundicijs patrum nostrorum, qui seducti à fornicationum spiritu, apostatarunt à DOMINO. Et neque illi, neque nos agnouimus peccatum nostrum. Diximus, ut Israëlitæ: Non esse uerisimile, quòd impia essent, quæ tot sæculis patres nostri secuti sunt, neque illos damnandos, quin potius sequendos omni diligentia &c. Sed ideo sic locuti fuimus, quòd nostra iniquitas, ut suprà de Idolorum cultu diximus, abscondita esset, & excæcati essemus. Sed quid faciet DOMINVS?

Dolores

Dolores parturientis, uenient ei. Ipse filius nō sapiens. Nunc enim nō stabit in contritione filiorum.

Cum dies punitionis Israelis aduenerunt, & pro delictis suis flagella reddita fuerunt, eius iniquitas, quæ dum non puniebatur, colligata & abscondita erat, reuelata ac cognita extitit. Nimirum oculos quos culpa obcluserat, pœna aperuit. Aperuit dico, non ut per flagella quis quam possit uere agnoscere, quod errauit, nā ad id mētis oculos illustrare, spiritus Dei est, sed ut uel qualitercunq; agnoscat, malum eße, quod fecit, dum pro eo tam dure à domino cæditur. Porro hæc cognitio sine ipso spiritu, hypocrisis est, quòd uera esse non possit. Proinde ipsi hypocritæ, non nisi pernicies est. Verum eam quandoq; ab impijs Deus exigit, in gloriam suam, & proximorum utilitatem. Sic Hyeroboam, posteaquam manum quam in uirum dei extenderat, arefactam uidit, utcunq; professus fuit peccatum suum, & orauit, ut uir ille Dei, apud dominum pro se intercederet. Sic & multi dum contra se manum domini experiuntur, se peccasse uel in mēdacio profitentur. Qua professione, tametsi illi non nisi iram sibi thesaurisant, proximū tamen ædificant, in gloriam dei.

Propterea autem dolores parturientis uenerunt Israeli, quod eßet absq; uera sapientia, nempe, dei, ambularetq; in stulta prudentia carnis, quæ nihil omnino aliud quā mors et pditio est Ro. 8. Stultus enī est omnis carnalis

& in-

& incredulus, eo quod non habeat sapientiam dei, & sensum spiritus sancti. Ob istam uero stultitiam, factum est, ut non staret, in contritione filiorum suorum, scilicet dũ cæsi, occisi, & in captiuitatem ducti fuerunt.

PARS QVINTA.

De manu mortis liberabo eos. De morte redimam eos. Ero mors tua, ò mors, morsus tuus ero inferne.

NOnnulli perperam, quæ hoc supersunt capite, enarrant de liberatione duarum tribuum, à Babylonica seruitute, quod præmissa hoc capite, nõ de Iuda sed de Israël sunt. Deniq; septuaginta, ubi nos habemus. Ero mors tua &c. transtulerũt. Vbi est causa tua, ò mors? Vbi est aculeus tuus inferne? Quem locum Paulus exponit de resurrectione 1. Corin. 15. Et nos Paulo, ut par, imò necessum est adquiescentes, hæc de redemptionis per Christum factæ efficacia enarrabimus, quod & nonnulli Hebræorum fecerunt. Enimuero quædam eorũ glosa, super Genesim cap. 24. incidenter ait. Dixit Rabi Iosue, filius Leui. Iui cum angelo mortis usq; ad portas Gehennæ, & iuit mecũ Meßias filius Dauid. Et cũ uideret captiui lucẽ Meßiæ, letãtes dixerunt. Istæ educet nos

de hac

de hac obscuritate, sicut scriptum est in Osee. De manu inferni redimet eos.

Igitur prænunciata captiuitate & flagellis imminentibus Israeli, dominus de liberatione quæ per Christum futura tum erat, quæ hic ponuntur subiunxit. Nimirum id fuit commune Prophetis, ut dum mala dicti populi prædixerunt, simul de Christo agerent, ne electi dum audiebant imminentia mala frangerentur, deumq; putarent suæ promissionis oblitum, qua se Israelem præ cunctis adiuturum, & ex eo Christum missurum spoponderat. Etenim dum peccatis immergerentur, cogitabant se forsan propter illa sic repellendos, ut promissiones Dei, neutiquam recepturi essent. Sic post peccatum Dauid territus, ait psal. 50. Redde mihi lætitiam salutaris, id est, Christi tui. Ob id quoq; prouidente Deo, post dura prænunciata, Christi benedictio à Prophetis prædicabatur, ut electi in Dei promissionum fide starent firmius, et per eam deo grati iustiq; fierent.

Ait ergo Deus. De manu, id est, potentia mortis, qua electi mei ex Israël, & etiam ex alijs nationibus, qui omnes sunt ueri Israelitæ, uerumq; Abrahæ semen, & filij mearum promissionum (Rom. 9.) premuntur, & nisi illos iuuem, dispereunt, liberabo eos, per filium meum. De morte enim redimam eos, cum illos per ipsum unigenitū meum suscitabo, in utriusq; hominis, scilicet animæ & corporis gloriam. Tum per illum ero mors tua, ò mors,

hoc

hoc est, destruam te. Nihil enim poteris in electos meos, ob fidem in illum. *Stimulum quidem seu aculeum habes,* nempe, peccatum. 1. Corin. 15. *Quod dum ex fide remitti tur, occiditur & uincitur mors, ut non præualeat in eos.* Nam ex fide iustificantur & uiuunt. Abac. 2. & Hebræ. 10. *Tuus quoq; ô inferne morsus ero, dum eos quos te pos se in æternum claudere putas, nempe, electos, à te aufe ram, & donabo uita sempiterna in gloria mea.*

Hæc in persona summi patris enarrauimus, quæ faci le est in filij etiam persona interpretari, & bene con gruet. Etenim ipse in carne adsumpta, fuit mors morti, dum à mortuis resurrexit, primitiæ omnium dormien tium in fide, qui per eum suscitabuntur. Itidem fuit mor sus inferno, dum Satanæ potentiam confregit, & adliga uit eum, abiecitq; illum à principatu, quem etiam in ele ctos usurpauerat.

Obserua, quod peccatum, causa & aculeus mortis ad pellatur, quod nisi ab eo liberemur, per eũ in morte sem per teneamur.

Consolatio abscondita est ab oculis meis, quia ipse inter fratres diuidet. Adducet urentem uentum dominus de deserto ascendentem, & siccabit uenas eius, & desolabit fontem eius. Et ipse diripiet thesaurum, omnis uasis desyderabilis.

Verbum est Prophetæ cupientis uidere Christum, de

quo

quo prophetabat. Etenim nihil dubito eum fuisse unum ex illis, de quibus dominus ait Matth. 13. & Lu. 10 Multi Reges & Prophetæ, cupierunt uidere, quæ uidetis, & non uiderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt. Credebat indubie eum uenturum, & inde consolabatur. Verum hanc consolationem minime habuit, ut uideret eum de quo prophetabat. Hæc est consolatio, quæ abscondita erat, non ab eo quidem, quod non minus quā si eum uideret, in eum credebat, sed ab oculis & præsentia eius.

Cupiebat igitur uidere illum. Quare? Vt præsentanee conspiceret, mirabilia opera eius. E quibus tria quæ ad uictoriam mortis, & inferni morsum consequuntur hic enumerat. Primum est, diuisio inter fratres, non dubium quin fideles, quorum est mundi hæreditas, Abrahamo, quorum sunt uerum semen, promißa. Rom. 4. Quidam uolunt hanc diuisionem, esse electorum à reprobis separationem. Sed eorum pace salua, non congruit. Tum enim minime dixißet, diuidet inter fratres, sed sic, diuidet fratres. Neq; uidetur, quod posuisset fratres, nomen dilectionis & germanitatis, sed aliud quiddam, ut oues ab hœdis, malos à bonis &c. Dum autem dixit. Diuidet inter fratres, oportet aliquid signari, quod inter fratres partiretur. Quid ergo est, quod diuidit hæreditatem, ut diximus, omnium. Ipse namq; seruator, uniuersorum hæres à patre est constitutus. Hebræ. 1. Electi quoque sunt hæredes dei, & cohæredes CHRISTI. Ro. 8.

Partictur

Partietur illis Christus, mansiones multas, quas in domo summi patris esse adseruit Ioan. 14. Ascendit quippe in altum, posteaquam de morte triumphauit, & secum duxit captiuam, captiuitatem, id est, mortem, ac eius aculeum, peccatum scilicet, & peccati causam, ac damnationem, id est, uim legis, & omnium traditionum hominum. Lex enim peccata multiplicat, per occasionem. Nam per eam irritata natura nostra, odit eam, quo fit, ut semper grauius offendat, & quod bonum & sanctum est, uertitur carnalibus in perditionem. Propter quod dicitur. Gal. 3. Propter transgressiones, posita est lex. Porro lex damnat peccatores, à qua damnatione, Christus liberos facit omnes in se credentes. Nulla siquidem est condemnatio, his qui sunt in Christo IESV, id est, qui credunt. Rom. 8.

Ascendens ergo Christus in altũ, id est, in cælos, omnẽ captiuitatem etiam diuinæ legis, secum duxit captiuam, Psal. 67. & Ephe. 4. Dedit dona hominibus, datq; indies & dabit, his scilicet qui puro corde in eum crediderint. Vide quàm bene dixerit Propheta. Inter fratres diuidet. Habes primum.

Aliud est siccatio & desolatio, uenarum & fontium eius, per uentum urentem, ascendentem, de deserto. Cuius sunt, hic fons & uenæ? Fons indubie & uenæ mortis, nempe, crimina, diaboli malicia, caro tyrannisans, Lex exigens carni impossibilia, & non præstantes mox quæ exigit, condemnans, has uenas & fontes, siccat & absumit, uentus urens, spiritus scilicet Christi. Ruach etenim

Hebræa

Hebrææ dictio quæ hoc loco ponitur, ad uentum & spiritum est æquiuoca. Hic spiritus & desyderabilis uentus, cõsumit, & adurit omnes mortis fontes & uenas, ita ut his quos perflauerit, nihil omnino officere poßint. Nam in eis remittuntur crimina, & non imputantur, diaboli calliditas Dei uerbo aperitur, ut uitetur, daturq; uitandi consilium, & fortitudo, caro frenatur, & in horas magis crucifigitur, redditurq; spiritui subiecta, & lex non iam exigitur, quæ multa libertate seruatur. Quod si aliquando nõ seruatur, mox ex fide ipsius transgreßiones remittuntur, & non imputantur. Psalmo trigesimo primo.

Hic autem uentus à deserto, loco scilicet incognito, ascendit, id est, uenit. Nam spiritus, ubi uult, spirat, & uocem eius audis, & nescis à te, unde ueniat. Ioannis tertio. Quis enim agnouit ipsius spiritus uias? Venit à Deo spiritus, qui ubi nondum te perflauit, nescire non potes illum, à quo est: quem dum nescis, non potes cum illo frequens esse. Tum tibi est desertum, cum absque illo es, eúmque deseruisti. Verum id non agnoscis, donec spiritus adsit. Tum autem uides, quòd ab eo quem deserueras, uenit spiritus. Sensus ergo est, quòd hic uentus, sic uenit, ut uiæ eius nobis ignotæ sint, nisi ipse se indicet. Venit autem à profundo deserto, id est, ab eo qui ab impijs deseritur, à quo & mittitur, & procedit.

Igitur desertum hic non capitur, secundum proprietates loci cuiuspiam derelicti, in quo omnia inculta, aspera, inuia, & inaquosa, sed pro deserto nobilißimo, aut amœnißi-

 moenißi-

mœnißima sylua, ut eum, à quo ascendit spiritus, significet. Quodcunq; uero aliud desertũ ab eo dixeris, non cõgruet. Non enim procedit ab alio quàm à Deo patre, & unigenito eius. Proinde incongrue dictum puto, quod nõ nulli dicunt, hominem hic per desertum capi.

Ventus ergo urens, est spiritus Dei. Hunc tum adducit Dominus IESVS Christus super nos, cum illum nobis infundit. Felix est cui mittitur. Nam mox aduret omnes fæces carnis, & omnes fontes ac uenas mortis exiccabit.

Postremum, quod Christus facit, consequẽs ad id, quòd mortem, & infernum, atq; etiam mundum (qui unus est è mortis fontibus) uicit. Ioan. 16. Ego uici mundum. Hoc, inquam, est, q. diripuit thesaurũ omnis uasis desyderabilis, sicut apertißime dicitur Matth. 12. Marci. 3. & Lucæ. 11. Adligauit nanque fortem armatum, huius mundi Principem Diabolum, cuius inuidia in orbem mors introiuit. Sapien. 2. & abstulit ab eo uasa eius, id est, electos, quos olim poßidebat, & incredulitate repleuerat. Porrò tum illos abstulit ab eo, cum illos ad se conuertit. In quibus cum adhuc erant increduli, multam habebat fortis ille fiduciam, q. scilicet per eos, multos sibi deuinceret. Nouit enim, q. efficacißimus ad seducendum laqueus, hi maxime sunt, qui aliquid ad persuadendum ualent. At de his tractauimus apud Lucam, ubi suprà.

Hæc uasa, id est, electi, idcirco desyderabilia esse dicuntur, quòd sint uasa in gloriam Roman. nono. Hæc uasa sunt thesaurus ille, de quo hic agitur. Nimirum res precioßißima,

ciosissima, electi sunt. Septuaginta quoque, non in genitiuo, sed in accusatiuo posuerunt: Diripiet omnia uasa desyderabilia. Quàm multa adhuc uasa adhuc possidet, execrabilis armatus ille, quibus & fidit. Nam quicunque ad Regnum & factionem Antichristi attinent, uasa eius sunt. Aufer Domine IESV, aufer ab eo, ô potentissime & uictoriosissime huius fortis expugnator, omnia uasa electorum desyderabilia, quæ adhuc seducta & adligata sunt uinculis eius. Fiat cito. AMEN.

Ca. S. Primum Samariæ, id est, decem tribuum, prænunciat mala, & eadem grauissima. Secundo, illos ad resipiscentiam, memorabili adhortatione commonefacit. Tertio, Dominus introducitur, loquens, qui spondet gratis misericordiam ad se reuersis, quòd uidelicet sanabit eos, auertet furorem suum ab eis, faciet, ut ueros fructus adferant, dabit pacem & amabilem uitam, exaudietq́; & diriget illos. Quarto ostendit, q; soli sapientes, & qui sapientes, scire possunt uias Domini, & ambulare in eis, ac quales sint ipsæ uiæ.

PARS PRIMA.

CAPVT XIIII.

PEreat Samaria, quoniã ad amaritudinem concitauit Deum suum. In gladio pereant, paruuli eorũ elidantur, & fœtæ eius scindantur.

In Hebræo non est deprecatiue, sed magis enunciatiue, sic: Peribit Samaria, quoniam rebellauit Deo suo· In gladio perdentur, paruuli eorum elidentur, & fœtæ eius scindentur, quod ferè Septuaginta transtulerunt·

Igitur Samaria, per quam Regnū decem tribuū rebellauit, & ad amaritudinē concitauit Deū suum· In quo? In abominationib· suis, dū scilicet idola contra fas coluit, illis fidit, et Deos esse putauit, illo contēpto, q eū ab Aegypto redemerat, & in cūctis iuuerat, haud secus atq; filios chariss·, ac custodierat, quasi pupillā oculi delicatam· Apostasia ergo et cōtumacia Israëlis, fuit causa euersiōis eius, uidelicet, q periJt et cecidit in gladio, q,q; in grauiss· tribulatiōe, quæ illis imminebat, non fuit respectus aliquorum· Nam etiam paruuli eorum elisi fuerunt, & prægnantes eius diuisæ & interemptæ·

PARS SECVNDA·

Cōuertere Israel ad dominum Deum tuum quia corruisti in iniquitate tua.

EXperimētodidicit Israël, quàm illi nocuerint inuētiones eius, ac quæcūq; fecit aduersum impolluta eloquia Dei, quæ hic iniquitates adpellātur· Enimuero corruit in eis· i· ꝓpter eas· Nimirū nulli est ruina, præter quàm illi, qui ꝓpria seqtur, & quæ Dei sunt floccipendit· Ob id adhortatur Propheta Israëlē, ut diuersum faciat, nēpe, ut ꝓpria figmēta et iniquitates abominetur, Deum aūt & quæ illius sunt, amplectatur· Cōuertere, inquit, ad Dominū Deum tuū· Deum eius uocat, q electorū typum Israël gerat·

ẽl gerat. Electi enĩ Iſraëlitæ ueri ſunt, quorũ dominus De us omnipotẽs, Deus eſſe dicitur, q illos æterna & inuari abili charitate amet, foueat, & ptegat. Præcipit aũt, ut cõ uertãtur, uerũ idipſum quod præcipit, illis eſt impoſsibile, niſi ipſe q præcipit, ad implẽda quæ iubet, ſpiritum eiſdem infuderit. Igitur neceſſe eſt, ut primũ ſeipſum ad nos conuertat, illuſtretq; nos ſpiritu ſuo, & tum ad illum conuertemur, quod alioqui impoſsibile foret.

Tollite uobiſcũ uerba, & cõuertimini ad Dominũ, & dicite ei: Omnem aufer iniquitatẽ, et adcipe bonum. Et reddemus uitulos labiorum noſtrorũ. Aſſur nõ ſaluabit nos. Super equos nõ aſcẽdemus, nec dicemus ultrà: Dij noſtri, opera manuum noſtrarum, quia eius qui in te eſt, miſereberis pupilli.

Primũ tollenda uerba, non dubiũ quin Dei, hoc eſt, audiẽda, legenda, amãda, et illis credendũ, quod nõ poſſumus à nobis facere, ſed ad id ſpiritu ſancto nobis eſt opus. Mox aũt ubi ipſe ſpiritus fecerit, ut dei ſermonib. adqeſcamus, & illos amplectamur, fieri nõ poteſt, ut nõ impleamus qđ ſequitur: Et cõuertimini &c. Nã ubi adeſt fides, & amor in uerbũ Dei, è ueſtigio ſeqtur obſeruatio eius. Tũ ergo cõuertentur, & uidẽtes, quàm à ſe nihil, quod uere bonũ ſit, efficere ualeãt, orabunt, dicẽtes: Omnẽ aufer &c. Qu. di. Vis, et præcipis, ut cõuertamur, et abijciamus iniquitates noſtras, quod à nobis facere nullatenus ualemus. Tu ſolus auferre potẽs iniquitates noſtras. Proĩde oramus, ut quod

tui solius est, facias. Aufer omnem iniquitatem, & fac nos iustos & bonos. Et tum adcipe bonum, hoc est, omniũ bonorũ, quæ in nobis operaberis, gloriam suscipe, quæ & tibi soli debetur. Tum agente in nobis spiritu tuo, nõ in hypocrisi, sed in ueritate, labiorũ nostrorum uitulos tibi reddemus. i. te etiã ore laudabimus, & cõfitebimur nomini tuo, nunciabimusq; proximis, sicut donaueris, gloriam tuam.

Quia aũt is præ cunctis laudat nomen tuũ, qui tibi soli fidit, ac in te sperat, idcirco profitebimur, sicut habet res, q. Assur nõ saluabit nos, sed tu Domine, in quo solo est uera salus. Vana autem est salus hominis. Psalmo 59.

Demũ super equos nunq̃ sic ascendemus, ut quidquam fiduciæ illis adponamus, sciẽtes, q. tu solus omniũ moderator sis. Ascẽdemus quidẽ super eos, te glorificãtes, q. nobis illos donaueris, ut nobis cooperẽtur, uerũ quasi non ascendemus super eos, dum nihil omnino fiduciæ in eos habebimus, sed in te, à quo, et equi ipsi, et eorum uirtus, et omnia omnino pficiscuntur. Scimus enim, quòd neq; gladij, neq; currus, neq; equi, neq; aliud quodcũq; saluare nos potest. Tuum est Domine seruare nos. Deniq; omnem idolorum abominationẽ abijciemus, nec adorabimus opa manuum nostrarũ, illis ultrà dicentes, q. dij sint. Neq; etiã quidquã numinis in eis est. Tu aũt solus Deus uerus es, & omnia potes. Porrò id à nobis minime faciemus, sed quia nos tuo spiritu diriges, misertus eius, qui in te est, pupilli. Nonnulli putant, pupillum idcirco dici populum Israël, q. absq; patre Christo, et matre Ecclesia, ut in erroris spiritu dicunt, fuerit. Nunquam aũt tale quidquã dicet, qui uere

q̄d Christus, & quid Ecclesia sit, agnouerit. Ecclesia enim Dei, est uniuersitas omniū prædestinatorū, qui fuere à mūdi principio, & in finē usq; erit, quæ ab ipso initio, sola in Christū fide, salua facta est. Nā Christus tametsi nondū in carnē uenerat, attamē electi omnes, etiā q̄ illius præcessere aduentū, firma in eundem tēpore præfinito uenturū, fide seruati sunt. Ergo nō recte dicitur, q̄ mūdus aliquando fuerit sine Eccl. et Christo. Nāq; si id adseris, nihil minus est, q̄ adserere, q̄ aliquo tēpore nulli fuere electi, et q̄ ante Christi aduentū, nullus ex fide eius seruaretur. Incongrua igitur, imò p̄uersa est dicta expositio. Pupillus, qui est in domino, est ille, cuius tantū ipse miseretur. Is est fideliū populus, q̄ idcirco pupillus dicitur, q̄ à multis, ut pupilli, deseratur, ac relinquatur. In Domino aūt pupillus est, q̄ p̄pter eū ab impijs male tractetur. O uere memorandam precationē: Omnē aufer &c. cui nō præferrē aliam facile, q̄ à spiritu sancto dictata sit, sicut et illa: Pater noster. etc.

PARS TERTIA.

Sanabo contritiones eorum.

Hebr. Sanabo habitationes eorū. Septua. habitatores.

SIc aūt iungitur præcedentib. Si ex fide, & toto corde mihi dixerint, quæ suprà posita sunt, nēpe illud: Omnē aufer iniquitatem &c. tū ego Deus, sanabo habitatiōes eorū. Sensus est: Faciā, ut secure & tranquille habitēt, ipsiq; habitatores ab uniuersis animi morbis sani sint, atq; à tot pressuris, quib. hactenus excruciati fuere, liberi fiant, quod in ueris fidelibus nunq̄ non fit à domino. Nā ta

metsi in mundo presſuram habent, animi ueruntamē uera trãquillitate potiũtur· Hæc est pax Dei, omnē sensum exuperãs, quæ scilicet supra omne humanum iudicium, etiam inter media tormenta, gladios, & ignes, semper manet.

Diligam eos spontanee, quia auersus est furor meus ab eis.

Iugulat hic locus merita, & liberum arbitrium. Nam si spontanee, id est, gratis, diligit, ergo non ex meritis. Si autem, ut res habet, nulla sunt merita nostra, profecto nulla erit libertas. Nam si libertas statuitur, itidem meritum, & ècõtrà. Hæc paucis nũc, q ad finē ca. 4. libello, de Arbi. hominis uere captiuo, de his abũde tractauimus. Dicit igitur: Diligã eos spontanee, non ex illorũ meritis, sed quia bonus sum, & auerti furorem meũ ab eis. Furor Dei grauis punitio est, quæ tũ à nobis auertitur, cum ipso miserãte, et tempore ab eo præfinito, ueniente, nostri miseretur.

Ero quasi ros, & Israel germinabit quasi lilium, & erumpet radix eius, ut Libani.

Ros Christus est, quia dum fide in alicuius mentem uenit, sui spiritus rorem simul infundit, & uere fœcundã facit. Proinde Esa. 45. roris & pluuiæ uocabulis designatur. Rorate, inquit, cæli desuper, & nubes pluant iustũ. Christus ergo, & spiritus eius, ros quidam sunt. Veni Domino IESV, & irrora nos, ut uere fœcundi simus. Sed quibus erit, ut ros? Israëli, uero scilicet Abrahæ semini, sint filij eius secundum carnē, uel non. Hi sunt electi, quos impossibile est, ipsum cælestem rorem non suscipe, sicut etiam fi

eri

eri non potest, ut pereant in æternũ. Ioã. 10. Hoc nanq; uer bum, primũ de Israëlis, secundo, de uniuersarum gentium electis capitur. Israël aũt germinabit quasi liliũ. Lilij flos in summitate atq; extremitate eius est. Sic germinabit Israël in summitate. i. in nouiß. dierũ, ut suprà ca. 2. & 3. Vniuersi quoq; electi germinãt & florent, ut liliũ, quod la te apud Salo. Cantica ostendimus. Proinde, qui ad hunc lo cũ plura desyderat, ipsa Cãtica petat. Sunt etenim fideles quasi lilij flos suauiß. ac iucundiß. Talis erit Israël conuer sus ad Dominũ, germinãs, pulcher, Deoq; adceptißimus.

Et erũpet &c. Hebr. Et percutiet radices eius, ut Liba ni. Arbores aromaticæ, ut Libanus arbor, aut aromata, quæ in Libano sylua insigniß. sunt, scindũtur, & pcutiun tur, ut aromata fluant, sic et ueri Israëlis i. credentiũ, pre tiosiß. radix, nẽpe Christus, qui est fundamentũ nostræ sa lutis, pcussus fuit, ut suauiß. eius aromata fluerẽt. Sunt aũt hæc aromata spiritus Christi, & munera eius, quæ in ueris fidelib. nũquam nõ sunt, quæ tum in eis uel multo maxime suauitatis odorẽ mittunt, cũ illi suæ radicis. i. Christi exem plo terũtur. De his nõ raro agitur apud Can. Cãticorum, ubi uel à libri principio mirifica habes. Vocãtur illic à S. spi ritu, unguẽta sponsi, Mirrha, Aloë, Fistula, Cynamomũ, Thus, alijsq; eiusmodi nominib. Propter illa Ecclesia san cta ibidem mons mirrhæ, collis thuris, et Libanus sylua ad pellatur. Porrò Christũ radicis uocabulo nonnunquam de signari liquet Esa. 53. ubi dicitur: Ascẽdet sicut uirgultũ co rã eo, & sicut radix de terra sitiẽti. Nõ est species ei, neq;

decor. Et uidimus eum, & nō erat adspectus, & desyderauimus eum, despectū, & nouiss. uirorū, uirum dolorū, & scientem infirmitatē. Et quasi abscōditus uultus eius, et despectus, unde nec reputauimus eum. Ecce q̃ apte dominus IESVS Christus, radici adsimiletur, cuius uirtus abscōdita est, & adspectus uiliss. Nūc audi quàm hæc radix percussa fuerit. Vere, inquit, lãguores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Et nos putauimus eū, quasi lepsum, & pcußum à Deo, et humiliatū. Ipse aūt uulneratus est ppter iniquitates nostras, attritus est ppter scelera nostra &c. Dicit ergo dominus: Percutiet radices eius, nēpe ueri Israëlis, siue Ecclesiæ, sicut Libanus. i. aromata, quæ sunt in mōte Libano. Et id qdem, ut fluant aromata, in nostrã salutem æternã. Duo aūt supsunt hoc loco exponēda. Primū, quid est q̧ in plurali radices ponitur. Secūdo, quis est, de quo hic dicitur: Et pcutiet. De primo dicimus, radices signare Christum, S. Apostolos ac discipulos eius, per quos radix & fundamnetū ueritatis in plebeculis missum est, atq; indies mittitur per eos, quos ad Euangelij ministeriū Christus uocat. Quòd aūt sancti, radicū nomine capiãtur, liquet ex Paulo Ro. 11. q de sanctis domus Israël, nēpe Patriarchis & Prophetis, cōuersis ex gentib. ait: Non tu radicem portas, sed radix te. De secundo dicimus, q̧ Deus ipse est, q per impios ipsas radices percutit. Nam primū de Christo ait Esa. 53. Propter scelus populi mei percußi eū. De reliquis uero dicitur Prou. 3. Flagellat omnē filium quē recipit. Veritas quoq; ab impijs quasi percutitur, dum illi ab eisdē semper cōtradicitur. Quidam uerterunt: Et

firmabit

firmabit radices suas, ut Libani. Sept. uero habent: Et mittet radic s &c. ut sit sensus: Israël alte mittet radices, quasi ligna montis Libani, quod tũ erit, dũ, sicut prædiximus, cõuertetur ad Dominũ, & suauiß. Christi iugo submittetur. Christũ enim p radice firmiß. habebũt. Radix etenim & fundamentũ salutis, quo solo firmi esse ualemus, Christus est. Sana est utraq; enarratio, uerũ ego malo priorẽ, q in Hebræo sit, percutiet. Vtriq; autem expositioni, etsi priori magis, quadrat quod sequitur.

Ibunt rami eius. Et erit quasi oliua gloria eius, & odor eius ut Libani.

Nullius quippe rami magis eunt. i. nemo in uia Dei magis pgreditur, plusue fructificat, his, q ardentius crucẽ ferũt. Christus enim tũ maxime salutẽ nostrã operatus est, & creuit gloria eius, cũ cæsus, percussus, & occisus fuit. Idem omnino est de prophetis, Apostolis, et electis omnib. Itidẽ ueritas tũ potiß. nota fit, & triũphat, cũ illi cõtradicitur. Ergo rami Israëlis. i. Ecclesiæ. tũ maxime eunt. i. crescunt, cũ est radicũ, Christi scilicet et ueritatis percußio, siue persecutio. Et quò maior & grauior erit persecutio, eò fructus & copiosior, & preciosior erit. Sic & ad literã erit de Israëlitis, posteaquàm conuersi fuerint. Ad hæc sunt nonnulli floccipendentes, q Israëlem dicimus cõuertendũ, sed si diligenter expenderẽt ordinem eorũ quæ habentur suprà ca. 2. maxime aũt ca. 3. ac quæ habẽtur Ro. 11. multisq; alijs locis, profecto nihil tale sentirent. At de his forsan aliquando latius.

Et erit quasi oliua gloria Israëlis, omniũ scilicet electõrũ. Gloria eorum Christus. A quo, quia oleũ lætitiæ .i. spiritus sanctus pcedit & mittitur, oliua est, & quisq; fideliũ, sicut ipsa oliua, Christus. Nã quantũ poßunt, illius exẽpla sequuntur. A Christo enĩ, illi sunt Christi .i. uncti, oleo lætitiæ prædicto. Sensus est, q, in hoc sita erit gloria Israëlis, q, pĩguedinis oliuæ Christi particeps erit. Proinde uerus ille Israëlita Psal. 51. ait: Ego aũt sicut oliua fructifera ĩ domo Dei, speraui in misericordia Dei. Dicitur quoque ut oliua gloria eius, quia semper uirens, & nõ marcescens. Erit etiam illius odor, ut odor Libani, syluæ thuriferæ, plenæq; aromaticis arborib. aut Libani .i. thuris. Libanus enĩ Hebr. thus est Latine, q̃uis & populũ arborẽ, & Lunã, & alia quædã significet. Igitur credentium odor, est sicut Libani. Propter quod .2. Corinth. 2. Paulus ait: Christi bonus odor sumus. Multa quæ his cõgruũt, in Canticis tractauimus.

Conuertentur sedentes in umbra eius. Viuent tritico, & germinabunt quasi uinea. Memoriale eius, sicut uinum Libani.

Quæ est hæc umbra tam amabilis, sub qua soli conuersi sedent? Israël siue Ecclesia, arbor ramosa & pcera est, cuius radices sunt Christus, & ueritas eius. A radice aũt, est arboris pulchritudo et proceritas, ac quicq̃d in ea est. Vmbrosa deniq; est ipsa Ecclesia, uniuersis ad se uenientib. refrigeriũ præstãs. A Christo aũt habet, q, umbrosa .i. charitate ac bonis opibus in pximorum consolationẽ plena est. Cõuertentur ergo m̃lti, et cõfugient ad ueri Israëlis umbram,

brã, in qua ſedebunt.i.quieſcẽt. Facit enĩ præſcriptæ radicis uirtus, ut cunctis ſub umbra ramorũ ſuorum quieſcentibus, ſit uera tranquillitas, ac pax, quæ omnem ſenſum exuperat, atq; ut eorundem ramorũ, id eſt, Eccleſiæ charitate, admodum conſolentur. Porro ſi quis ſe ex Chriſti Eccleſia, id eſt, ramis, eſſe adſerit, & proximis refrigerantem charitatis umbram, ut poteſt non exhibet, nihil minus quàm ramus Chriſti, & filius Eccleſiæ eſt. Oportet ergo ut quiſq; fidelium, ſit proximis in umbram & refrigerium, quemadmodum & cupit, ut alij ſint nonnunquam ſibi in umbram, id eſt, auxilientur.

Quidam putant hos locos, de perſona Chriſti adcipi, maxime quoties in ſingulari ponitur eius, quod omnino non conuenire huic textui puto. Nam tũ omnes eius partes, uix adinuicem conuenirent. De Iſraele ergo eſt hic textus, ſiue in ſingulari, ſiue plurali ſit poſitus. Nam de uocabulis collectiuis, ſub utroq; numerò loqui ualemus. Nõ nego tamen, quin umbra de Chriſto congrue dici poſſit, quamuis hic locus ſic minime capiatur. Vmbra Chriſti protectio & auxiliũ eius eſt, ut diximus Canti.2.ibi. Sub umbra illius quem deſyderaueram ſedi.

Viuent in Eccleſiæ umbra, quotquot in ea manſerint, tritico, non dubium quin eo tritico, de quo familiaribus Eccleſiæ, menſuram tribuunt, quos ad id muneris Deus præfecit. Hi ſunt ueri Euãgeliſtæ. Triticũ ergo eſt ſermo ueritatis, ſuper mel dulcis faucibus electorũ. Pſal.18.& 118. Hinc dicitur Lucæ.8. Semen eſt uerbum dei. Eo uiuũt

credentes.

credẽtes. Nam iustus ex fide uiuit. Aba 2. & Hebræ. 10. Ex eo tritico præparatur in corde nostro, panis uiuus qui de cælo descendit, & dat uitam mundo. Ioan. 6. Est autem hæc præparatio, quod docetur, per illud triticũ, id est, uerbum Christus, in quem dum credimus, quasi illo reficimur & uiuimus.

Deinde quasi uinea germinabunt. Vinea domini exercituũ domus Israël est. Esa. 5. Quod uel multo maxime de Ecclesia capitur. In ea uinea Christus est uitis, & fideles palmites eius. Ioan 15. Qui tum fructũ adferunt, cum in Christo manent, & tũ germinant quasi uinea. Sed quid? Vuas suauissimas operum ex fide, & spiritu sancto, quæ sunt iuxta uim iniusti cor hominis lætificãtis, id est, secundum uerbũ dei, quod ut supra cap 2. diximus, nedum tritici, uerũ etiam & uini & olei, uocabulis aptißime designatur. Israelitæ ergo, dũ conuertuntur ad dominũ, germinabunt quasi uinea, dum ex fide & secundum uerbum domini operabuntur.

Hinc certe subiungitur. Memoriale eius, nẽpe, fidelis Israelis & Ecclesiæ dei, est sicut uinum preciosissimum montis Libani, Ferunt enĩ quod ad montẽ illũ, sint uineæ, preciosißimũ uinũ proferentes. Alij putant hoc intelligendũ de uino aromatico, ꝙ in eo monte aromata sint. Verum quicquid sit de hac re, is est huius loci sensus. Suauissima erit memoria, Israelis conuersi, & electorum qui sunt ueri Israelitæ.

Effraim. Quid mihi ultra idola? Ego exaudiam

diam, et dirigam eum. Ego, ut abieté uirentem, ex me fructus eius inuentus est.

Effraim, id eſt, Iſraël, ſup. dicet, cum uere conuerſus fuerit. Quid mihi ultra idola. Qu. d. ſperno illa, & abominor, nec quidquã fiduciæ in eis habeo. Nihil enim poſſunt. Sufficit quoq; mihi deus meus. Satis eſt mihi dominus IESVS Chriſtus. Hic eſt adſectus omniũ uere conuerſorum, quod nulli omnino rei fidunt, præterquã domino & Chriſto eius. Vtinam tales eſſent, quotquot ſe Chriſti eſſe dicunt, ut idem toto corde proferrent. Quid mihi ultra & idolis? Sed id nolunt, qui ſunt ex Antichriſti factione. Magis enĩ pro idolis ſuis, aduerſus dominũ et Chriſtum eius, pugnare nõ ceſſant. Vtinam ſaperent, & intelligerent ac nouiſſima prouiderent. Aperiant cæci oculos ſuos, & uideant, q nihil omnino in ſacris literis, deũ legimus ſæpius reprehendiſſe, quã idololatriam, nec ulla crimina tam puniuit, quã dum quis ſequutus eſt figmẽta hominũ, contemptis puriſſimis eloquijs eius. Tam enim omnia quæ ipſe nõ inſtituit abominatur, ut etiam quæcunq; a nobis ipſis, ad cultum eius, inſtituimus, & excogitamus, coram illo ſint execrabilia, & haud ſecus atq; nominis ſui blaſphemias habeat.

Porro, ubi Iſraël, ab idolis & figmentis ſuis, quibus in hunc uſq; diem captiuus tentus fuit, defecerit, tum dominus illum exaudiet, et diriget atq; docebit ſpiritu ſuo, facietq; ut fructus ueros adferat. Ait enim. Ego exaudiam

diam &c. Ego ut abietem uirentem, sup. faciam eum, cuius fructus à semetipsa nullus est, sic & Israelem qui à se fructum nullũ habet, faciã, ut ueros fructus adferat. Verum agnoscetur, quod non à seipso, sed à me idem fructus proficiscitur.

PARS QVARTA.

Quis sapiens, & intelliget ista, intelligens et sciet hæc? Quia rectæ uię domini, & iusti ambulabunt in eis. Pręuaricatores uero corruent in eis.

Non sibi adroget caro, quod sapiens & intelligẽs sit, & quæ hoc libro ponuntur, penetrare possit. Impossibile etenĩ est, ut non ista odiat, quod ab ea penitus dissentiant. Si hæc uis capere, abijce spiritũ fornicationum, id est, sapientiam sæculi huius, & uide ne unquam putes, industria, experimẽto, ingenij acrimonia, sapientia Platonica siue Aristotelica, linguis, aut omni literatura posse peruenire ad intelligentiã scriptorũ dei. Hoc sane nouerat, qui dixit. Quoniam nõ cognoui literaturam introibo in potentias domini, memorabor iustitiæ tuæ solius. Psal. 70. Ergo aberrant superbissimæ illæ Antichristi uniuersitates, quæ sapientia hominũ ac literatura, abscondita dei scriptorũ mysteria, se enarrare posse autumant. Quibus etiam, nõ minus deuiant à scopo, qui per eloquentiã aut linguas, se idem posse adserunt. Si dei spiritũ habemus, bonæ sunt linguæ, uerũ non ad id, quod per linguas, scriptorũ dei ueritatẽ intelligere ualeamus.

Quod

Quod si ipse spiritus abest, linguæ & ornatus, ad nihil nisi ad perniciem, & superbiam ualēt. Suadeo ad linguarum studiū, sic tamē, ut nullam in eis fiduciam habeamus. At de his alibi plura. Non detraho linguis, & literis, sed quod eis plurimi fidunt, non damnare non possum. Nimirum non est aliunde expectanda dei eloquiorum intelligentia, quàm à spiritu sancto.

Proinde cum Propheta hic dicit. Quis sapiens &c. non intelligit de sapientibus, doctis, & prudentib. secundum hominū iudicium, q hi nō raro sint stulti coram domino, sed de his qui corā illo prudentes sunt, quos scilicet ipse erudiuit, et doctos fecit spiritu suo. Hi sunt in quibus nō proprius, sed Christi sensus siue iudicium regnat. Hos nō seducit & ligat fornicationū spiritus, sed cautos & super se uigilantissimos facit spiritus sanctus. Si quis est hoc spiritu sapiens, & intelligens, is indubie sciet hæc. Nimirum solo dei spiritu sciri & intelligi possunt.

Nam quid in his legis nisi rectissimas uias domini, quas nemo nescire nō potest, præter eum in cuius uiscerib. spiritū rectū deus innouauit. In his uijs ambulāt, uersantur, & meditātur, qui uere iusti sunt, nēpe, fideles. Præuaricatores uero, id est, increduli & hypocritæ, corruent in eis, quod nunquā nisi in hypocrisi & mendacio, in eis ambulent, aut aperte illis contradicant, & uias proprias, huiusq; seculi ament. Quæ omnia abominatur ipse dominus, uere sanctus & iustus, in omnib. uijs ac operib. suis. Cui sit honor, gloria, decus, & imperium in secula seculorum. AMEN.

FRANCISCVS LAMBERTVS
Auenionen. Christiano lectori. Gratia & pax dei tecum semper.

PRopoſueram dudum noſtros in Prophetas duodecim commentarios ædere, ad id me plurimum adhortantibus, his qui me apud inclytam Saxoniæ Vuittenbergam, illos enarrantem audierant. Sicq; res concluſa erat, ut putarem illos prius excudendos, quàm multos qui in hunc diem excuſi ſunt. Proinde, in ipſis excuſis libris, aliquoties horum in Prophetas iſtos commentariorũ memini, quaſi iam emiſſi eſſent. Per errorem igitur factum eſt hoc. Nam tã multis raptus ad alia fui, ut nihil minus ualuerim, quàm emendare ad prælum ipſos Commen. quos ędideram. Me quoq; abſterruerunt hactenus, non nullorũ bibliographorũ ſtudia, quærentiũ, quæ ſua ſunt, non quæ IESV Chriſti, & proximorum. Expectaui ad id diem oportunũ, quem apud inclytam Argentinam, mihi donauit Chriſtus, ſimul tribuens, fideliſſ. typographum IOHANNEM HERVAGIVM, non uulgariter eruditum, & Chriſti negociorum ſolicitum promotorem. Cui poſt alias quaſdam æditiones noſtras, etiam quæ

in eosdem Prophetas scripsimus, typis cudē
da tradere cępimus. Tu autem pie lector, o=
mnia boni consule, & ora deum, ut quæ ce=
pit in nobis ipse quoqꝫ perficiat. Aliud est, ꝙ
te quoqꝫ ignorare nolui, ꝙ tam in his Pro=
phetis, quam etiam in alijs, maxime in Eze=
chiele, quē etiā deo uolente ędemus, ex uul=
gata æditione pauca mutare uoluimus, nē=
pe, eos tantum locos ad quos ueritatis intelli
gendę necessitas compellebat. Est qui textū
ipsum reformat ad Hæbraicam synceritatē,
& oportune prodibit. Alia fuit ratio in Salo.
Canti. ut eodem libro ostendimus, ideo &
complura immutauimus. Verum nō absqꝫ
consilio & auxilio eorum qui nunc ipsa bi=
blia uertunt. Prolationem quoqꝫ propriorū
nominum Hebræorum, dimisimus, si=
cut hactenus est cōsueta. Parū enim
refert, Hoschea, an Osee, Vzia,
an Ozię, Iotam an Ioatam di
xeris, modo intelligas quid
loquaris. Quod si qui o=
mnino id exigūt nouā
æditionem ex=
pectent;

ARGENTORATI APVD IOHAN
NEM HERVAGIVM MENSE
MARTIO AN. M. D. XXV.